



P, 76

ANTONII MVSAE BRASAVOLI FERRARIENSIS MEDICI

EXAMEN OMNIVM SIMPL. ME=
dicament. quorum usus in pu=
blicis est officinis:

Opus perinsigne & medicinam facientibus perutile, quod nusquam antea in lucem editum est, sed cum Indice locupletissimo recens nascitur.



Cum Priuilegio Illustriss. Senatus Veneti ad decennium.

VENETIIS.

Ex officina ERASMIANA *apud Vin=*
centium Valgrisium.

M. D. XLV.



Antonio Torrelli.



AD ILLVSTRISSIMOS, ET SERENISSIMOS PRINCIPES HERCVLEM ESTENSEM, ET Renatam Gallam Ferrariæ duces, Antonij Musæ Brasauoli

EPISTOLA NVNCVPATORIA.



EGITVR *Serenißimi Principes, Socratem summum illum sapientem Platonis præceptorem, qui nũquam Athenis nisi pro patria pugnaturus discessit, discipulos suos ad speculum mittere consueuisse, illosq́; admonuisse, ut sese preßius intuerentur : qui si bonis corporis .i. pulchritudine se ornatos conspexissent, animam pulcherrimis uirtutibus exornare conarentur: si autem corporis liniamenta diminuta, obtorta, mutilaq́; fuissent, extimularentur, excitarenturq́;, ut quod natura mutilum fecerit, id arte, laboribus, industria, & solicitudine exæquarent, & in melius augerent animamq́; suam copiosißimis unà & perfectißimis uirtutibus ornantes antiquißimis proceribus aßimilarentur.* Nos Illustriß. Principes *per Socraticum illud speculum, non materiale quodpiam, aut chalybeum intelligimus, sed speculum quoddam mystice, & Philosophicis inuolucris designatum.* Quippe Socrates *discipulos suos animi mores, actionesq́; contemplari iubebat, quæ si proprijs liniamentis respondissent, & uiuide in eorum animis inserta essent totis uiribus perseuerare, & indies melioribus optima addentes exaugere conaren*

tur, si è contrario prauis moribus, & quasi ferinis se ipsos imbutos esse nouissent, eos puderet his maculis deturpatos esse: itaque ueris, & exquisitis animæ bonis indui tentarent: nec desisterent prius quàm depositis ineptis moribus, ueri, præcipui, & quodammodo diuini egregie introducti fuissent. Hæc præfatus sum Illustrißimi Principes, ne assentandi, palpandiq; uitio argui poßim, si nonnihil uestrarum laudum, & probatorum morum enarrare incipiam. Nam uos potius tanquam in Socratico speculo uobis ipsis commonstrare tentabimus, ut, quibus, qualibus'ue præstantißimis uirtutibus insigniti sitis agnoscentes, in eisdem perseuerare, eosq; indies exaugere conemini. Sed alicui forte stilus noster humilis nimium, & pœnè depressus uidebitur, ineptusq; ad tantorum principum laudes enarrandas, ac enumerandas, huic statim respondebimus: Satius nobis esse hac tenui, & serpente uena, Illustrißimos hos Principes sibi ipsis uelut in Socratico speculo ostendere, quantum præsertim nuncupatoria Epistola exigit, quàm illos prætermittere, aliàs tamen ubertim de ipsis (ut dignum est) tractaturis. Viros è bonis potißimum laudauit antiquitas, quorum tria genera apud probatißimos Philosophos inueniuntur, naturæ, fortunæ, & animæ. Naturæ bona corporis pulchritudinem amplectuntur, membrorum symmetriam, concinnam totius suo ordine respondentem compositionem, robur immensum: quæ à Stoicis μέσα uocantur, & ignauißimis quibusq; contingere possunt, ad humanam perfectionem, felicitatemq; indifferentia. nullus, ex his culpa, uel laude dignus est, sed rerum effectrix natura. Seneca etiam omnium moralißimo, & penè in uirtutibus tetrico admonente

monente, egregiam mentem sub quauis etiam pelle, & cute latere, cui nec illud Virgilianum aduersatur, Gratior est pulchro ueniens è corpore uirtus, nec poetarum mos, qui quū uiros aliquos uirtutibus præstantes adumbrant, eos pulcherrima forma, & uenustißima pingunt, ineptos uero & mendaces turpi & indecora. Verum enim uero, & si hoc naturæ bonum sit, in quo ipsamet potius laude digna est, tamen ad felicitatem humanam mire adiuuat: philosophorum omnium sapientißimo in ethicis dicente, eum omnino felicem non esse, qui turpi sit forma, & careat prole. Ad Christianam uero felicitatem, & uere philosophicam, pulchritudo nihil facit, sed inter externa bona numeranda, quæ nec meliorem, aut insigniorem hominem reddunt, quamuis gratior sit pulchro ueniens è corpore uirtus. In hoc autem bono potißimum naturæ debetis, quæ uos, & pulcherrimos effecit, & pulcherrimis natis Anna, Alphonso, Lucretia, Eleonora, & Aloisio decorauit. Fortunæ bona diuitiæ sunt, quæ & ipsæ hominem meliorem non faciunt, sed cuique etiam scelestißimo contingere possunt, quamuis eorum usus ad uirtutum culmina progredi adiuuet, atque dirigat. Quid enim in se habet egregij, quod in infanda scelera cogit? in furta, homicidia, auaritias, bella, nisi eorum usus temperatißimus sit? in hoc etiam fortuna ipsa encomio extollenda, quæ uos Principes fecerit, antequam nati essetis, ditiores, quàm in tota Italia regnent. ex hoc autem uos Illustrißimi Principes laude digni estis, quòd his diuitijs perpulchre utimini, bonis, honestisq; uiris impartiendo, ut nullus indonatus à uobis recedat. magnus ego sum testis, quem (alijs pluribus omißis) nuper amplo prædio

donaueritis, testes sunt omnes alij domestici, quorum neminem absque munere inuenire licet, immo quis ex Ferrariensi populo etiam abiectissimus, Mutinensi, & Regiensi, Herculis Illustrissimi Ducis Ferrariæ hoc nomine secundi immunitatibus non gaudet? ut hinc colligere liceat, diuitias Herculem non perficere, sed ipsum ad sui perfectionem, & uirtutis cumulum diuitijs uti, quibus, cur, quomodo, quando conuenit elargiens, hoc est in ipso Principe egregium, non quòd diues sit, quòd omnes Italiæ Principes non æquet solum, sed longe superet, gemmis, auro, urbibus, campis, mari. potissimum uero laude digna sunt & encomio decantanda hæc duo fulgentia Italiæ lumina, & lucidi Soles Hercules, & Renata ex tertio bonorum genere, hæc uera bona sunt, & unicuique propria, & peculiaria, non à natura, uel fortuna tributa, sed à nobis ipsis acquisita primo omnium motore adiuuante, & ostendente, quæ animæ bona nuncupantur. hæc non sunt pulchritudo, aut membrorum symmetria, non corporis dexteritas, non agilitas, non diuitiæ, non latæ urbes, maria, & montes, quæ à uobis ample possidentur, non genus Estense, aut Gallum, non genitores bellica in re egregij, Ludouicus duodecimus Galliarum rex, & Alphonsus tertius Ferrariæ Dux: sed ea sunt animi bona, quæ nos beatos, & in hoc statu, & in futuro reddent. hæc ea sunt bona, hæc inquam, quibus proceres, & antiquissimi heroes iere: hæc quibus Christianissimi, & qui de fide benemeriti sunt, incessere. Vides in primis, quæ decus est, & animi ornamentum, adeo in uobis splendet, ut pro fidei specimine, Hercules, & Renata adducantur. De prudentia, magnanimitate, fortitudine, munificentia, temperantia

perantia, charitate quid referam? quum plura paßim nota sint, quàm ego referre poßim? nullus enim tam obliuiosus est qui non meminerit, nullus tam uecors qui non nouerit, nullus tam inciuilis, qui dißimulare poßit. Iustitiam quoque transigere decreui, quum & ipsimet rei, & crimine aliquo correpti uos iustißimos Principes esse fateantur, & prædicent. De liberalitate autem quid opus est referre? quum nullus sit, qui ab Illustrißimo Hercule, & Serenißima Renata indonatus, aut suis uotis (modo honesta sint) inexpeditus recedat. Hæc sunt uera bona, quibus laudandi, quibus extollendi, quibus in cœlum rapiendi sunt principes, quibus uita perenni uiuere datur. felices arbitror, & terq; , quaterq; beatos nostros ciues, quoties mihi in mentem ueniunt hi proceres à summo rerum opifice in hoc calamitatibus pleno æuo, donatos, ut initium sint remittendi aduersa, populos in rectam uiam dirigendi. Hoc est Socraticum speculum excellentißimi Principes, seipsum sibi ipsi qualis sit, ostendere. Vobis autem uos ipsos commõstraui, qui principis exquisitißimi exemplaria estis, ut continuo perseueretis, & in dies exaugescatis, quanquam ad uirtutum uestrarum cumulum nihil addi poßit. Ne autem uidear potius assentandi gratia, quàm uera narrandi præfari, his finem faciemus, ad præcipuum huius Epistolæ institutum accedentes. superioribus mensibus omnia simplicia medicamenta, quorum in officinis usus est Ferrariæ, nostra trutina (qualiscunque sit illa) percensere cœpimus, Illustrißimo genitore tuo suadente, fauente, & exorante, immo & qui plerunque uarios apud pharmacopolas errores audire, & uidere delectabatur. propterea hunc libellum eius excellentiæ inscribere atque

dicare institueramus, sed inopina morte præuentus est, & nobis ferè clanculum surreptus. Tu mox Illustrißime Princeps, & patrone serenißime totius ditionis, & imperij, & omnium bonorum hæres euasisti, unde & huius libelli, sicut cæterorum aliorum bonorum hæres esto, quem tibi inscribimus, tibi dicamus, atq; deuouemus. ut excellentiæ tuæ aura fretus, ubiq; aperta fronte incedere poßit, & eo tutius euagari, quo Illustrißimam Renatam fautricem nactus erit. Iamq; huic nuncupatoriæ Epistolæ extremam manum imposuissem, nisi ea in mentem uenissent, quæ superioribus diebus de citris, Adami pomis, Narantijs ita à nobis appellatis, ab excellentia tua quærebantur, an apud antiquos inuenirentur, & quomodo à profunda hyeme seruari possent: quippe hoc anno frigoris inclementia omnes ferè huius generis arbores periere, quæ in amœnißima Padana insula Caliopia. i. Beluidere nuncupata, Alcinoi & Hesperidum hortos delicijs excedente uirebant. Nunc tuæ Illustrißimæ excellentiæ satisfactum iri statuimus: quanquam superioribus annis ad Illustrißimum, & Reuerendißimũ fratrem tuum Hippolytum Mediolani Archiepiscopum unam & alteram Epistolam supra hoc negotium scripserimus. At nonnulla in tuæ excellentiæ gratiam repetere non grauabimur. Primo autem communis omnium error menti occurrit (eorum præsertim, qui sacras literas interpretantur) ex hac arbore ligna cedrina esse putantium, quibus Salomon Hierusalemi templum strui præcepit, & de hac etiam id intelligunt, quod in libris Regũ scriptum reperitur, Salomonem à Cedro Libani usq; ad hysopum parietis disseruisse. i. à præstantißima & maxime omniũ arborum procera, ad infimam, humilem, & imbecillam

becillam plantam disseruisse. Legimus præterea cedrinas mensas apud antiquiores ingenti precio emptas, uelut Ciceroniana mensa, cuius decimo quinto capite decimi tertij uoluminis Plinius, & antiquiores meminere. Additq; in Anchorano monte citerioris Mauritaniæ ingentissimas, altissimasq; enasci, Theophrasti authoritate fretus: passim deinde à Poëtis incorruptibilem materiam esse decantatur, & cedrino unguēto, oleo'ue inunctas chartas perpetuo durare: ut Poëtæ carmina digna cedro, idest perpetuo superesse dicantur, quæ summum apicem artis gestiente natura attigere. Nunc uero præscriptam arborem à uulgari citro alteram esse ostēdamus. Principio sit nobis Dioscoridis sentētia telum, & acutissimus ensis pri mo rei Herbariæ uolumine in hunc modum inquiētis, cedrus de magnis arboribus est, fructum fert ut Iuniperus myrti magnitudine rotundum. Quibus indicijs manifestissimum est, alteram esse arborem cedrum in Illustrissimi Principis nostri delicijs receptam: neq; enim illam inter maiores arbores numerare oportet, quum sit ferè arbuscu larum pumilio, fructus quoque myrti magnitudinem lon gius excedit. Liceat præterea Plinij uerbis præmonstrato loco aures admouere, sunt autem (inquit) cupresso fœminæ etiamnum syluestris similes, folio, odore, caudice. Quod apertissime Theophrastus, uel hoc indicio manifestat, nusquam de cedro locutus quin cupresso, Iunipero, al tioribus'ue arbusculis compararet, immo & in tertio de plantarum historia uolumine inquit, est Iunipero non absimilis, sed folio maxime distat. Quippe cedro durum, acutum, spinosumq;, Iunipero mollius. additq; fructum Iuni pero similem, ex his quātum antiquior illa cedrus ab hac nostra uulgari dissentiat, cuique etiam mediocriter erudi

to

to manifestum esse arbitramur, ex antiquiori etiam mensas, Delubra, Naues factas esse Plinius & Theophrastus prodidere. Antiquam cedrum aliàs, nunc uulgarem prosequamur, at unum in primis submouere instituimus, nominibus etiam in auctorum communi usu differre. Quippe illam ex qua naues, & templa cedrum, nostram uero citrum, atque citriam, apud Græcos appellatam legimus. Quin & Dion in Neronis uita non citreas, sed cedrinas mensas nuncupare maluit, quod adiectiuum in sacris literis frequentius animaduertimus. Quanquam nullo modo dißimulandum sit Phaniam Eresium quinto de plantis libro cedrum appellasse, atq; malum cedrium pro eo quod nos citrum uocamus, & citrium. Præstat igitur antiquũ nomen referre, quo fuit diu hæc arbor insignita, legitur apud Theophrastum quinto plantarum uolumine sub mali medicæ, aut persicæ titulo, quam in hunc ferè modum pingit, folium habet simile, & penè æquale potulacæ, aculeos, quales Pirus, aut spina acuta, sed leues, acutosq; uehementer, & ualidos. Pomum eius non manditur, sed odore præcellit, necnon & folium arboris odoratißimum est, & si inter uestes pomũ ponatur, inoffensas cõseruat: utile & cum medicinam mortiferam quis biberit, & ad oris suauem olentiam, quippe si quis interna pomi in iure, aut aliquo humore concocta in os expresserit, digesseritq;, suauem halitum reddet. fert poma omnibus horis, alijs decidentibus, alijs subnascentibus, alijs maturescentibus, quæ nostræ arboris imaginem repræsentant. ambiges uero, dictum esse pomum eius non mandi. sed ambiguitas cesset, quippe Theophrasti, et Plinij tempore nundum mandebatur, sed tantum odore commendabãt. Athenæus etiam author est neminem ex antiquis gustasse.

Mox

Mox post Palladij tempora cœpit mire in conuiuijs ad ganeam, atque gulæ irritamenta in sapores, ac per se ipsum expeti, ut nulla uideatur elegans, aut Saliaris cœna, qua citrum desideremus. Lubeat deinde Dioscoridi aurẽ accommodare hanc arborem mirum in modum uerbis effingenti. Nota sunt Medica, quæ alij cedromela, alij persica, Romani citria appellant: arbor hæc omnibus horis pomifera est, ita ut antecedẽtem fructum subnascens identidem occupet nouus. pomum ipsum oblongum, caperatumq; rugis, colore in aurum inclinato, suaui odore, alioqui graui. semen habet piro simile. contra uenenum in uino bibuntur, aluum laxant, oris halitum, & suauitatem commendant. In uestiarijs condita uidentur arcere animalium noxas. His quoque Plinius grauis author assentit, in hunc ferè modum, tertio duodecimi uoluminis capite scribens, malus Assyria, quam alij uocant medicam, uenenis medetur. folium eius est unedonis interuenientibus spinis. Pomum eius aliàs non manditur, odore præcellit, foliorum quoque qui transit in uestes una conditus arcetq; animalium noxia. Arbor ipsa omnibus horis pomifera est, alijs cadentibus, alijs maturescentibus, alijs uero subnascentibus. Hæc est, cuius grana Parthorum proceres incoquere diximus esculentis, commendandi halitus gratia, ex his quisque etiam ineptus, arborem, quam citrum appellamus, ab his authoribus adumbratam intueri potest, eiusdem generis omnino sunt, quæ Limonia, Adami poma, aut rancida nunc uulgo dicuntur, quæ Rantia uocantur Hermolao teste, quasi raudia, à colore æris, id est fulua, uel à Neratio inuentore, Neratia dici potuere, nisi quis uelit Aranium, quasi Arianum, idest persicum à gente appellatum: est enim Aria (ut inquit Hellanicus)

Persica

Persica quædam regio. Quid item si malum Arantium, ab Arantia oppido Achaiæ? Iuba author est Hesperida, et malum Hespericum nũcupari, refertq; Herculem in Græciam transportasse, & malum aureum esse uocatum, de quo in pastoritia contentione Virgilius meminit, aurea mala decem hodie misi, cras altera mittam, quamuis Pausania non aureum malum, sed Hesperidum ab Hercule primum in Græciam trasportatum dixerit, Aristophanes etiam grammaticus oximala persica uocari prodidit, Galenus quoque pomum ipsum non medicum, sed citrinum appellatum uoluit, quanquam sit apud Theophrastum, sub Medicæ mali dictione repertum. Græci quidam fabularum inuentores, nuptiale pomum esse putauerunt, à Tellure editum fabulantes, nuntiato Iouis, & Iunonis connubio. Superest Illustrißime Princeps antiquißimam curam in plantando, & diligentiam in seruando edocere. Propagine ac seminibus ortum ducit. Semina (inquit Theophrastus quarto plantarum historiæ libro) detracta uere, terris seruntur diligẽtißime cultis. Rigantur deinde quarto, aut quinto die: quum autem maiuscula fuerint, transferuntur uere iterum ad molle, riguumq; solum, nec ualde tenue: tale enim desiderat, opusq; est pingui aqua, marcida'ue irrigari, non admodum frigida, qua etiam equorum stercora triduo macerata sint. Additq; seri fictilibus in uasis perforatis. Prosunt & columbinæ sordes eadem aqua maceratæ. Quum hæ arbores in iustam molem creuere, flores pariunt, qui an spes sint futuri partus Theophrastus primo plantarum libro his indicijs ostendit, inter flores (inquit) mali medicæ, qui ueluti columnam quandam erectam in medio habeant, fœcundos hos fore affirmant, qui uero non habeant, hos fore infœcundos.

Quod

Quod iterũ uolumine quarto animaduertiſſe teſtatus eſt. Vnum uero ſubmonendũ arbitramur, ſi hyemis inclementia in Ferrarienſibus hortis flores, aut ſubnaſcentia poma defuerint, cauſam à Theophraſto primo de plantarum cauſis aßignari: Quippe placidum aërem expetunt, medioq; conflatum tempore, quo ſcilicet germinatio, & fructificatio aßidue factitari poteſt. Nec illud poſt habere dignum eſt, illa eſſe fœcunda ſemina, quæ in colo quadam prorumpant, hic unus eſt naſcendi modus. Nonnulli ramuſculum, ut ſubnaſcentia uirgulta radicibus euellunt, ac intorquent, uere in molle sŏlum, udum, & pingue magis, quàm gracile plantãtes, quarto etiam, aut quinto die prædictis aquis irrigant. alij ramos non ab arbore euulſos, ſed adhuc illi infixos, fictili uaſe, teſtaceo, aut cucurbiteo uertice, pingui terra pleno circundant, quoad radices emittat, proinde ab arbore diuellitur, transplãtaturq; dato radicibus ſpiramento. Sæpius integras arbores è longinquis partibus transferre excogitauimus, ut antiquori tempore ex Perſia, & Media euehebantur. Nunc triuialis eſt ferè arbor. pluribus horum pomorum generibus citreta Liguriæ, Campaniæ, Apuliæ, Benaco lacu, & tota ſere Italia, præſertim uero calidioribus locis, & meridiem uerſus ſitis, ac maritimis fœlicius germinant, & quancunque imaginem topiario opere reddunt. Nos Genuæ, & Sauonæ, Atria, Cubicula, Papiliones topiario opere ex his arboribus fictos uidimus, quum excellentia tua anno à Chriſti ortu. M. D. XXVIII. Galliam peteret. Sed qua arte ſine ullo diſcrimine transferri poßint, Plinius. 3. 12. uoluminis capite oſtẽdit. Tentauere (inquit) gentes transferre ad ſe propter remedij præſtantiam fictilibus in uaſis dato per cauernas radicibus ſpiramento: qualiter

qualiter omnia transitura longius, seri arctißime, transferriq; meminisse conueniet, ut semel quæque dicantur, necnon eiusmodi arbores antiquitus inserebantur, quorū fructus citromela nonnulli appellarunt. Denique huius arboris morbos, & remedia huic opus esset afferre, nisi satis, superq; in nostro de arborum medicina libro illa tractauissemus, tamen illud unum admonere nō grauabimur: Corticis ablationem esse huic arbori mortale nocumentū, hyeme præsertim: tunc opem ferre, noua cera, resiná ue obstructo uulnere decet, ne frigus intimam arboris medullam ingressum perimat. Hyeme uero à temporis inclemētia seruantur, si in fictilibus plantatæ sint hæ arbores, & in clausum locum portentur, in quo aër natura, uel arte temperatus sit. Arte autem si propè calidarium fabricetur: At si communi solo plantatæ sint, tugurio cannitio, aut ex Milij nigri culminibus spatio unius pedis ab arbore circundentur. Mox equinum fimum ad medium usque tugurij exterius circumponatur. Hæc sunt Illustrißime Patrone, quæ ex antiquorum uoluminibus de hac arbore tuæ excellentiæ gratißima scribere uoluimus, quibus iam esset finis additus, nisi hoc unum in mentem accesißet, Lacedæmonios (Aristophane grammatico authore) Deos hac arbore coronare solitos esse. Vale Illustrißime Princeps, & totius Italiæ decus eximium, & nostrum hoc munusculum, ut cætera alia hylari fronte accipias, quod hæreditario iure tibi meritò debetur.

INDEX LOCVPLETISSIMVS OMNIVM SIMPLICIVM, QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTUR. Primus numerus chartas signi ficat, secundus uero lineas.

A

Agnito

Alosena

10

Armenia

Belzuin

Cardamo

Chitrines

Coton

Equus

Folia

Genebro

Grudes

Milium

23

Nosu

Ὄνυξ

Pasternak

25

Petron

26

**** Poma

Rubis

Schul

σπάρτον

Suoldam

Terra

Vinum

Zlotoglo

FINIS.

EXAMEN OMNIVM SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM,

QVIBVS FERRARIENSES PHARmacopolæ in ſuis officinis utuntur, Antonio Muſa Braſauolo medico Ferrarienſe authore.

BRASAVOLVS. SENEX PHARMACOPOLA. HERBARIVS.



VORSVM optimi uiri per has alpes inhoſpitas, & inacceſſas, & per tam horridos receſſus, qui uix timidis capreolis, & leuibus damis, ac dorcadibus aditum præſtant? HER. Quorſum pedibus ducimur? BRA. Nos capite ducimur, pedibus autem ambulamus. SE. Mihi uideris æque, ut nos pedibus incedere, & capite aerem ſecare. BRA. Ita incedimus, quoniam pennis caremus. ſed ò optime ſenex, mens eſt, quæ nos ducit, & quæ huc uel illuc pedes ambulare iubet, ipſi autem ueluti famuli parent. bruta alioqui pedibus, non mente, nec ratione quorſum impetus rapit, trahuntur. ſed ne ſilentio prætereatis (obſecro) cur hos montes aſcendatis. HER. Herbatum uenimus, ut uirentes herbas, ac radices noſtris manibus euelleremus, quæ ad nos adeo ſicca feruntur, ut uix integrum folium, aut tenuis cauliculus cerni poßit. BRA. Optime conſuluiſtis, uerum cuiates eſtis? HER. Mundani. BRA. Hoc non me latebat. HER. Cur latere non potuit? adeo alta montiũ iuga cõſcendimus, ut mundum ſuperare uideamur.

deamur. BRA. Non ab re dubitabas, sed qua patria oratum ducitis? HER. Qua optime esse contingit. nam ubi bonum ibi patria, ut uulgato adagio fertur. BRA. Denique uos capiam, qua mūdi parte orti estis? HER. Nos absque retibus aut pedicis non capies, occidentales autē sumus. BRA. Sed iocari desinamus. qua urbe nati estis? SE. Ferrarienses sumus, nostra effigies te aufugit, tamen simul millies uersati sumus. BRA. O Dij immortales demum uos agnoui, tam diu mihi necessarios, quantum exterior uestium habitus effigiem mutat. Herbarium uero primo intuitu agnouissem, nisi barbam illam promissam abscidisset, & si cinericio bardacucullo circundetur. Immortali Deo gratias ago, qui in his inuijs montium cacuminibus adeo beneuolos uiros coniunxit, & eo maxime, quòd eodē proposito ducimur. obsecro uos per Apollinem, & Aesculapium, ut me in uestrum sodalitium recipiatis. Quippe ero facundus comes in uia, nec pigebit laboris, quamuis ardua mōtium penetralia superetis. SE. Quid iucundius accidere potuit, quàm adeo familiarem uirum inuenire, & uiæ, & euellendarū herbarum comitem? ubi potius ursos, uoracesq; lupos inuenire putabamus. BRA. Et chartam, & atramentum, & pennas mecum attuli, & quicquid pro diuersis rebus annotandis commodum est. SE. Ad rem ipsam quid hæc facient? BRA. Omnia, quæ inuenire continget diligentißime scribam, ne cum Ferrariæ Pharmacopolium tuum frequentabo decertare contingat: hæc herba talis erat, illa erat alio, quàm uiderimus, modo affecta. SE. Hoc non modo probo, sed apprime laudo: uerum tuus hic liber, si forte in aliorum manus incidat, non deerunt æmuli insidias modo struentes, modo iurgia commouentes, qui omnia re-

hendent,

bendent,& te ueluti nugigerulum subsannabunt. BRA. Si noster hic labor in publicum quandoque prodeat,satis nobis erit , illa esse posteris aperta & deprompta,quæ hoc tempore ita esse compertum erit,non ambigentes in multis deinceps nos sententiam immutaturos esse,& ubi meliora inueniemus,uel ab alijs inuenta esse constabit à priori sententia recedemus,uerum illud,quod postea inuentum erit sequentes. SE. Non me latet multos in te scripturos esse. BRA. Nos oppositũ sentimus, quis enim hac in re omis absque honore subire uoluerit? nempe uiri probi aliud quid habẽt quod agant,quàm in uno alicuius authoris libro decem, aut duodecim non quidem errata, sed ambigua inuenire:ignaui uero , & qui bonas literas summis solum labris degustarunt,& si praua eorum natura in bonos uiros inuehatur,& inani quadam gloriola ducti eos uellicare tentent,posthabendi sunt , & tractandi uelut aselli , qui cum per uiam transimus pedita emittunt & ueluti troclearũ strepitus negligendi,illisq; dicendum,scribe tu si sapis , & iustum uolumen, & non uiginti,aut triginta uersus in ordinem congere.quantum in me sit , scribat quicunque in nostras nugas , nunquam Apologias conficiam,ne uulgi fabula euadam,& per totam urbem digito commostrer,sed cum in re aliqua uellicabor,de ea agam cum obiter incidet , nulla etiã illius, qui me carpere tentabit mentione facta,illa scribẽs quæ ueritati nobis conuenire uidebuntur , ne & ego uidear uirum illum(si uir sit)uice uersa,& maligna quadam mẽte reprehendere uelle , & ueluti de illius iniuria uindictam sumere. SE. Id boni uiri officium esse semper censui. HER. Sol propè meridiem est,et Solis radij adeo calent,ut in proximan illam planiciem secedendum sit, &

in certa illius specus umbra prandendum, dum cicadæ resonant, inclinante enim Sole tot radices euellam, quòd non uidebor diem, & operam lusisse. BRA. Meridiano æstu ingentes destillationes, & capitis dolores fieri solent, ideo huius arboris incerta umbra derelicta, herbarij consilium sequamur. SE. Tu ergo herbarie onere deposito mappam supra uirentes illas herbas, & humiles sternito, pernamq́; & tucetum in ligneum orbem ponito, & cantharum generoso uino plenum deobturato. hæc sunt, quæ in hac syluestri solitudine Antonio Musæ præstare possumus. BRA. Hæc Principi inter montium iuga equitanti satis essent. ego pane, uinoq́; etiam dilutissimo, & maxima uisendarum herbarum appetentia contentus sum. Antiquitas herbis, & glandibus diu uescebatur dum homines syncera fide, & probis moribus uiuebant. Mox (proh pudor) ganea, tot uaria, in saporibus coquendi modis, uariarum rerum permixtione, cibaria adinuenit, ut nullus sit modus, nullus finis edulijs, quæ infinitos morbos pariunt, & plerunque in mortem inopinam perducunt. SE. Quid ad nos si alij ægrotent? ego pharmacis, tu medendo lucraris. BRA. Quantum in me sit, Deum optimum oro, neminem unquam ægrotaturum: quum uero id fieri nō possit, ægros aliquot mihi cōtingere opto, ut ex mea arte honestum uictum, & uestitum habere possim. At si nullus unquam ægrotaret, non sum adeo stupidi ingenij, quin statim artem aliquam mihi comparare sciuerim, ne uitam per inertiā transigerem. HER. Omnia in promptu sunt: in hac uirēti herba sedete. SE. Tucetum hac parte rancidum est, illa uero optimum. HER. Nec deest sua laus pernæ. BRA. Vinum generose respōdet. uerum ò herbarie, quænam herba illa est, quæ apud

cantha

cantharum uiret? HER. Apud omnes notißima. eam ignoras? Reuponticum appellatur. cuius radix adeo præstat, ut eius duplum pōdus reubarbarum æquet. BRA. O mirus recentiorum error, & mira pharmacopolarum ignauia, per tot secula in hac herba decepti sunt, & nunc decipiuntur, tamen addiscere nolunt, & si res ipsa præ oculis adducatur, ueritatem agnoscunt, sed maligno quodam animo uerum abnegant, potiusq; in sua illa ceruicosa ignorantia perseuerare uolunt, quàm uerum agnoscere. HER. Id forte nostra gratia dictum cupis, apud me certum est, herbam illam Reuponticum esse, ut ab ineunte ætate à summo quodam herbario didici. SE. Nec ego aliud Reuponticum uidi, quàm simile. tu fortaßis uis nobis ostendere panem non esse panem, aut uinum non uinum. Ego ita Reupōticum nosco, ut tu hoc uitrum, uitrū esse putas. nunc autem quidam iuniores insurgunt, qui potius libidine gloriolæ, quàm ueri scientia optimos libros reprehendere conantur, nec uerentur, nostrum Euangelistam. i. diuinum Mesuem execrari, Pandectas reprehendere, Auicennam taxare, Serapionē demoliri, & Auerroim exibilare: non desunt nobis luminaria, sed hi conantur extinguere. BRA. Obsecro te optime pater, ne ira conciteris, sed blandis uerbis rem tractemus, & mites aures præsta. SE. Nunquam potero in Mesuem, aut alterum Arabem conuicia audire. BRA. Et quis adeo audax hos præstātißimos uiros uellicare conabitur? SE. Tuus Leonicenus, Manardus, & nescio qui recētiores. BRA. Deciperis optime senex, nam Leonicenus, & Manardus si aliquot Arabum errores detexerint, modeste loquuntur, recentes autem illi potius culpa digni sunt, quum execrantur, quàm laude. erant demonstrandi errores, non cō

uicijs laceſſendi authores. SE. De Meſue quid ſentis? BRA. Quid aliud, quàm optimum uirum, qui omnia deo duce ſcripſerit, & poſteris iuuandis multum inſudauerit? SE. Quid de Auicenna? BRA. Non quidem principem medicorum (ut recentes putauerunt) ſed Cordubæ: at ſummum philoſophum, qui multa uiderit, ac perlegerit, quanquam eius uolumina multis erroribus ſcateāt. SE. Quid de alijs Arabibus? BRA. Id quod Plinius teſtatur. Nullus liber tam malus, quin aliqua ex parte proſit. ego omnibus rei medicæ candidatis ſuaderem, ut in primis Græcis perlectis, Arabes quandoque guſtarēt, quos aliqua ex parte prodeſſe non dubitamus. unde conſilium id non modo, non probo, ſed ualde improbo, quo nōnulli Arabes penitus abolendos ſuadent, nos uero potius corrigendos iudicamus, ubi mendæ aliquæ apparent. SE. Si omnes tuā ſententiam amplecterentur, nulla eſſet inter Arabum, & Græcorum ſectatores controuerſia. BRA. Non laudamus Arabum ſectatores, ſed omnes Græcos imitari hortamur Arabibus non ſpretis: at tempora incidimus, quibus Græcis maledicunt, nec ipſos dignantur ſuo nomine appellare, quod in bonis literis tyrannidem quandam peperit. Hippocratem igitur, Galenum, Oribaſium, Paulū, Aëtiumq; admiremur, ſed nec Serapionē, Raſim, Auicennam, Auerroim, Meſuem omittamus, niſi ubi inextricabiles nodi inciderint, & nonnullæ in rebus ipſis lituræ. SE. Sunt'ne aliqui iuniores Ferrariæ inter eos, qui recenter doctores creati ſunt, ad id nauandum commodi, ac prompti? BRA. Equidem ſunt. Hippolytus Conſtabilis, Franciſcus Bruſantinus, Maurelius Sanctus, & Ioannes Leouercellenſis. hi quandoque, & breui noſtræ patriæ ſplendentia lumina euadent, qui Græcos authores ſumme



me obseruant, nec Arabum recte dicta contemnunt, ut enim propriam animam rectis, & Christianis moribus exornarunt, ita ab omni maledicentia immunem fecerunt. SE. Ad rem ipsam sermo uertatur, Herbarie affer Reuponticum. HER. En, nec una deest radicis fibra. SE. Hoc igitur Reuponticum esse ambigis? BRA. Immo nõ esse certus sum. SE. Sum'ne tam grandæuus sententiam mutaturus? BRA. Eia pater, quacunque ætate discendũ. statim autem te assensurum non dubitamus, si benignas aures præstare uolueris. SE. Amor erga te meus, aures præstare cogit. id igitur non esse Reuponticum ostende. BRA. Apertißime ostendam modo antiquioribus authoribus fidem adhibere statuas. SE. QUOS antiquos appellas? Pandectarium mecum attuli, quem omnia ad unguem scripsisse arbitror. BRA. His igitur authoribus fidẽ præstabis, qui à Pandectario in testimonium adducuntur? HER. Aliter fieri non potest. BRA. En igitur Pandectarius Dioscoridis testimonio utitur, eo capite, quo de Rheon, uel Rha, à Romanis Rha põticum appellatũ tractat (non enim Reuponticum, uel Reubarbarum, ut uos paßim dicitis, sed Rha ponticum, & Rha barbarum proferre oportet, uerum uocabulis uestris uos uti non impediam) tamen idem Pandectarius per Rhaponticum id intelligit, quo paßim in officinis utimini, cui magna recentiorum pars consentit. at si tibi apertis oculis, hoc non esse Dioscoridis Rhaponticum ostendam, non'ne dices nõ solum non esse Rhaponticum, sed longe Pandectariũ hallucinatum esse? SE. Alij adhuc suberunt scrupuli, nunc istud demonstrare pergas. BRA. Primo igitur antiquiores Rha dicentes, uel Rheon simpliciter, id intelligunt, quod à Romanis Rhaponticum uocabatur, & Celsus radicem

dicem Ponticam lib. 5. in antidoto Mithridatis nuncupauit, postea Dioscoridi aures præsta, hanc radicem, quæ Rhaponticum dicitur esse sine odore, esse fungosam, & sine pondere, & habere gustum glutinosum dicenti. Olfacias igitur ipsam radicem optime senex. SE. Iam olfacio. BRA. Caret'ne odore? SE. Minime, sed grauem habet, forte intelligit, non habere odorem scilicet bonum. BRA. Hoc potius est sine ratione sugere, quoniam Dioscorides hoc uocabulo odor, tāquam medio utitur, cui bonum, aut malum, suaue, aut insuaue coniungit, quum igitur sine odore scripsit, quod sua lingua ἄοσμος dicit, odore carere penitus censet, sed aliud consideremus, an χαύνη sit, & ὑπόκουφος, fungosa, & sine pondere. SE. Equidem fungosa non est, sed potius densa, ut inde grauis efficiatur. BRA. Nec gustū prætereamus, quē glutinosum censet, gusta, mihi nullum glutinum in lingua parit? SE. Nec mihi. BRA. In alijs si quodammodo huic nostro Rhapontico conuenire uideatur, in multis dissentire certum est. SE. Hoc adeo manifeste percepi, ut is cæcus sit, qui non uideat. nunc sententiam mutare cogor, ut deinceps in simplicibus Pandectario nostro fidem nō adhibeam. tamen plures de Rhabarbaro differentes audiui, qui hoc Dioscoridis Rhaponticum, Rhabarbarum, quo utimur, esse profitentur. BRA. Non defuere plures, qui id sentirent, quod etiam Leoniceno attributum est, et hoc Ruellius, ac si pro aris dimicet probare nititur, tamē decipiuntur, quoniam ἄοσμος non est Rhabarbarum. i. sine odore, nec habet radicem similem centaurio, quippe centaurium radicem longam habet, & quamuis Rhapontico minorem scribat, tamen eandem formam non habet, quia Rhabarbarum in formam rapæ, & rotundum uergit,

uergit, nec Rhabarbaro inest ῥίζα μέλαινα. i. radix nigra, sed potius in subcroceum quendam colorem uergit, adeo, ut tabulas quasdam ex infusione Rhabarbari apte croceas reddiderim, & nisi pretium impediret, eo pictores uterentur. SE. Hoc ergo probare tentas Rha antiquorum non esse nostrum uocatum Rhabarbaricum, quia nostrum odorem habet, Rhaponticum uero sine odore est, at nos huic tuae sententiae occurremus dicentes, id ex regionum diuersitate contingere, quod enim in Ponto nascitur ob loci frigiditatem odore caret, in Arabia uero ob feruētem solis aestum odorem contrahit. BRA. Haec est irrationalis excusatio, qua tamen Ruellius intētionem suam demonstrasse arbitratus est, quippe nulla est radix, quae uel feteat, uel fragranti odore praedita sit, & nulla est herba etiam si ab aestuosißimis locis ad glacialia, & humidißima transportetur, quin aliquid proprij odoris, & saporis seruet, licet remißiora sint, en Origanus ex Creta Venetias affertur uehemētißimi saporis, & odoris, nascitur & in Ferrariensi solo nonnullis in locis humidißimis & frigidis, & eundem habet odorem, et saporem cum Cretensi, sed longe remißiora sunt. idq; in sexcentis herbis, probari potest. amarißimum est, quod in montibus oritur Absynthium, & uehementem habet odorem. Ferrariae uero in locis humentibus, & frigidis, & amaritudo remißior est, & odor. SE. Cur Ruellio non credis, si tantus uir id testatur? BRA. In his, quae sensu constant nemini credēdum est, si ratio, quae ex sensu summitur oppositum suadere uideatur, illuc ego nunquam duci potero, ut suadear locorum diuersitatem in eadem herbae spetie, odorem penitus auferre & illam ἀοσμὴν reddere, cū experientia ostendat, eiusdem speciei odorem semper

per seruari in eadem specie herbæ in calidissimis locis, et frigidissimis, humidissimis, & siccissimis, solũ uero intensione, & remissione differre. mirũ igitur mihi uideretur Rhabarbarũ in Arabia odore præditũ esse, in Ponto odore penitus carere. SE. Quid dices ad Ruellij authoritatẽ? BRA. Illum ex uoluntate locutum esse, & quicquid in mentem uenerit deprompsisse testabimur: nos uero in his omnibus de quibus uerba faciemus rei ipsi innitemur, & de quibus etiam ante Ruellium scripsimus. In reliquis autem quid de tam probo, & tam docto uiro sentiam, aperire non desistam. cum essem Lutetiæ Parisiorum. 1528. non mediocrem habui cum eo uiro consuetudinem, & plerunque excepit me prandio, & ego illum nonnunquam, proprias sedes habebat propè templum illud famigerabile uirginis Parisiensis, & erat illius templi (ut dicunt) canonicus, uir erat in moribus mitissimus, in græcis, & latinis literis erudissitimus, sed talis, qui omnia simplicia domi sciebat: in hortis uero, montibus, cõuallibus, & alijs locis, in quibus hæc nascuntur, nunquam uersatus erat, propterea nihil ab eo dicitur, quin de uerbo ad uerbũ ex Plinio, Dioscoride, Galeno, Paulo, Aëtio, Atheneo, Polluce, & plerunque Hermolao Barbaro depromptum sit, nos econtrario paucissimas authorum sententias, & illas quidem quambreui fieri poterit, referremus, & illa tantum, quæ oculis uidimus, & his manibus non semel collegimus perscribere conabimur, ea antiquorũ sententijs conferentes, quicquid tamen sit nostra hac ætate doctissimus fuit Ruellius, & in euoluendis authoribus diligentissimus, in summa igitur fieri non potest, ut herba uno in loco odorata in alium transportata, odorem penitus amittat, potissimum cum sicca erit. SE. Loca omnino herbarum qualita

tes

tes immutare uidentur, nempe Galenus cum de Cisthо Ladanum ferente agit, in Asia inquit ob loci temperiem frigidam habet naturam, in alijs uero locis calidam. BRA. Venerande senex nullus unquam, qui sapiat, inficias ibit narias regiones, & cœli periodos simplicia medicamenta immutare, at hæc mutatio in qualitatibus est, quæ per magis & minus distinguuntur, Galenũ ergo de Cistho loquentem contemplemur, qui septimo de simplicium medicamentorum facultatibus inquit: In calidis regionibus hic Cisthus proueniens, tam & si haud alius sit genere, quàm qui apud nos nascitur, eximiam tamen à regione, ac peculiarem, digerentemq; caliditatem nactus est, atque utroque à nostrate differt, tum quia frigiditatem deposuit, tũ quia calorem assumpsit, itaq; cætera quidem huius Cisthi illis, quæ in nostrate uisuntur similia sunt, hæc de Cistho à Galeno referũtur: uerum quis est tam hebetioris ingenij, ut ignoret herbas etiam frigidißimas in calidioribus locis minus frigidas enasci? quod autem minus frigidum fit, aliquid caloris acquirit, unde & si Galenus dicat à regione eximiam, ac digerentem caliditatem acquirere, intelligendus est, frigiditate remissa, aliquid caloris acquiri, quo digerere poßit, tamen non it inficias aliquid frigiditatis habere. SE. Immo apertis uerbis dicit, tum quia frigiditatem deposuit, tum quia calorẽ assumpsit. BRA. Intellige deposuisse, hoc est, remisisse frigiditatem, nã & in ea frigidæ partes relinquũtur, assumpsisse uero caliditatem, præter frigiditatem illam, quam Cisthum seruat, si in Cisthi specie esse debeat, quoniam si frigiditatem penitus deponeret esset ex tribus primis conflatus qualitatibus, nihil uero in rerum natura, ita confectũ reperiri potest. adde quòd in aliam transmigrasset speciem, impoßibileq;

bileq; eſſet, ut in aliis qualitatibus ſecundis cum noſtrate ſimilitudinem haberet, ut Galenus teſtatur. nempe primis qualitatibus in totum immutatis, & ſecundas immutari neceſſe eſt. SE. Tu ex te ipſo ut tibi menti occurrit hæc dicis. BRA. Immo ita conſtat, & res naturæ hoc ordine conſtantur, frigidæ herbæ in calidioribus regionibus minus frigidæ euadunt, & ſi in frigidis oriantur partibus, & ad calidas tranſportentur, calidiores fiunt, hoc eſt frigiditatem remittunt, ut nõ penitus deponant, neque amittant, alioqui in eadem ſpecie non eſſent, immo (ut de Ciſthide loquamur) ſi frigiditatem: unde quanque deponeret & nõ remitteret, illi uis adſtrictoria non ſeruaretur, quã adhuc ſeruare fatetur Galenus. SE. Puto te hæc tibi fingere, & pro libito commentari, Galeni uerba ſunt, frigiditatẽ deponere. BRA. Intellige (ni refugias) remittere, alioqui in ſua ſpecie non ſeruaretur. SE. Addit acquirere facultatem digerentẽ, quæ non niſi in caliditate conſiſtit. BRA. Nolo uerbis amplius cõtendere, ita Galenum exponendum cenſeo, ſi acquieſcere lubeat acquieſcito, ſin minus intentionem tuam ſequaris. unum eſt proculdubio ſentiendum, cum remittitur frigiditas, caliditatẽ introduci neceſſarium eſſe. at tanta ſeruatur frigiditas, ut res in ſua ſpecie conſeruari poßit, propterea hæc non eſt conueniens ſimilitudo de Ciſtho reſpectu diuerſorum locorum, adde Rhabarbarum, Rhapontico in ſecundis qualitatibus comparari, Ciſthum uero in primis, quanquam ad rem ipſam hoc parum conducat, ueruntamen his prætermißis argumentum quoddam pro tua ſententia adducam, quod adeo efficax erit, ut illud euitare difficillimum ſit. SE. Quod nam eſt hoc argumentum? illud tam exaudire percupio. BRA. Audies aliqua eſſe, quæ uno in loco odore

penitus

penitus careant, in alio uero sint odorata. SE. Iam diu aures erexi, ut sententiã nostram comprobatam esse percipiam. BRA. En Dioscorides de Iride agens, illam, quæ in Iberia, & Macedonia nascitur odoratam facit, illam uero, quæ in Thracia, et frigidioribus locis nascitur odore carere testatur. SE. Quid ergo ad Dioscoridẽ dices? BRA. Qui putant Dioscoridem ita scriptis reliquisse longe decipiuntur, nam de Iride agens, Illyricam, & Macedonicam cæteris præfert, nusquam tamẽ dicit, quod aliæ odore careãt, in odore uero Macedonicam cæteris præfert, at si locorum diuersitas odorem probum ex calore rebus ipsis infert, quis unquam Illyrium pro regione & tali, & calida probabit? SE. Scito ò Musa non esse Dioscoridẽ, qui Iridem dicat in Thracia odore carere. BRA. Quis ergo fuit, qui tamẽ fide dignus sit? SE. Theophrastus est in 6. de plantarũ causis. BRA. Id est diuersis in locis, unde, & nos uarijs in locis apud hunc authorem annotauimus, unus est locus cum de sensu odoris, qui gustatu percipitur agit, docetq; nõ temere adiungi olerum genus, quod à palati gratia nomen accepit, ceu Anethum, Feniculus, Iris, & eiusdem generis reliqua, quorum pleraque nihil penitus olent, at si recte cõtempleris, hoc quod dixit nihil penitus olere, non refertur ad Irim, aut ad Anethum, uel Feniculũ, sed ad alia olera referri debet, quæ nullum penitus dum manduntur odorem habent, ut Lactuca Chrisolachana. alter locus est in eodem sexto, ubi eadem siccata, & recentia inuicem comparat, & de causis zuchari mentionem facit, quæ dum recentes sunt dulces gustantur, exiccatæ dulcedine priuantur, postea addit, uirides enim aut nihil olent, aut non æque, siccatæ nimirũ redolent, ut Iridis radix. uides expresse non dicere non

olere

olere, sed non æque olere, idem intellige de locorum diuersitate, quæ faciat, ut non æque redoleant, non tamen, ut odore penitus destituantur: notatoq́; nõ ponere Iridem secundum diuersas regiones odorem, & inodorem, at potius uult remißius redolere, ubi docet siccitatem, & caliditatẽ res magis odoratas reddere. Hæc sunt eius uerba, argumento etiam illud est, tractibus æstuosis plura, melioraq́; odoratorum genera prodeunt: melius enim sibi concoquitur, & quædam siccata olent, uiridia nihil olent, ut calamus, iuncus, nonnulla etiam plenius olent siccata, ut Iris, & Sertula campana, ubi uides asseruisse Iridem in æstuosa regione, magis quidem redolere, sed in frigida odore non caret. SE. Nondum attigisti locum, quem citauimus ex Theophrasto. BRA. Id quidem scimus, sed noluimus & hos locos prætermittere, ille uero quem citasti est in ultima ferè sexti libri parte, ubi docet terram, quæ res parit odoratas non debere esse limosam, neque pinguem, neque lentam, quoniam humoris, & lẽtoris causa calor non æque fungetur officio suo. paulo post addit, hac enim de causa Iris melior in Illyride, quàm in Macedonia est, in Thracia uero, cæterisq; frigidioribus locis, ac minus cocturæ idoneis odore penitus caret. SE. Hic est proprie locus, quem citaui quid noui paries? ut tam apertam sententiam euites? BRA. Theophrastum intelligo, ut de uiridi Iride loquatur, nã ne à se ipso dissentiat, id arbitrari necessarium est, quod tamen à ueritate nihil discrepat, nempe sicca radix in quacũque orta sit patria redolet in humida uero, & frigida longe minus, at cum uiridis est odore penitus carere uidetur. SE. Hæc commentaris ut tibi menti occurrunt. BRA. Immo ut ratio dictat, nam locorum diuersitas odores quidem remittit,

sed

sed penitus non aufert præsertim cum exiccatæ fuerint, hoc in sexcentis herbis experientia ostendit, quæ è locis calidioribus Ferrariam transportantur, odorem nunquam penitus amittunt, ut in Origano patet è monte Ida Cretensi, Ferrariam asportato, & in nostro solo terræ mandato. SE. Non uidetur tanta locorum distantia hæc quanta illa, quæ inter Põtum, & Arabiam interest. BRA. Distantia hæc ad rem nihil facit, sed sunt locorum qualitates, adde esse longius spacium inter Idam mõtem, & Ferrariam, quam inter Pontum, & Arabiam, si Ptolemæum contempleris prima Asiæ tabula, & quarta. Nam inter Idam montem, & Ferrariam intersunt decem, & octo, uel decem, & nouem gradus, inter Pontum uero, & Arabiã undecim, uel duodecim gradus. At hæc omissa faciamus, id nos mordicus tenemus ob locorum diuersitates simplicium qualitates non immutari, sed remitti, & quandoq; adeo remitti, ut percipi non uideatur nisi exiccetur, ut de Iride à Theophrasto dictum est, immo & excusationẽ hanc accipere ne pigeat de eo, quod Dioscorides dicit, et ab alijs asseritur radicem Rheu odore carere, intellige cum recens est, nam exiccata grauem quendam odorem emittit, ut Iris facit in frigida regione orta. SE. Arbitror ad Galenum, & Dioscoridem radices siccas fuisse comportatas, ut in præsentiarum etiam Ferrariam conuehũtur. BRA. Et uirides effodere, & siccis utebantur, propterea mirum certe est, si odorem aliquem habebat, quod odore penitus carere fassi sunt: sed his omissis ad negociũ iam cœptum accingamur. SE. Ne te pœniteat, & huic alteri ambiguitati aures porrigere. BRA. Dic sodes. SE. Inquis à Rhapontico Rhabarbarum differre, quoniam Rhaponticum prælongam radicem habeat, Rhabarbarum rotundam

tundam

tũdam ueluti rapum, nos uero dicimus Barbaricos uiros prælongas,& magnas Rhapontici radices in frustra dissecare,quæ in rotundam quandam formam uergere uidentur. BRA. Sæpius à te dictum est nos absque ratione,sed ut menti occurrit locutos esse,cũ tu in præsentiarum mihi potius sine ratione , & ex appetentia loqui uidearis, nempe & assero,& testor radicem hanc,quam Rhabarbarum uocamus rotundã esse,& quamcunque ex his,quæ ad nos apportantur extrinsecum suum corticem integrũ habere eiusdem undique coloris , & eiusdem substantiæ, quanquam & nonnunquam frustra uideantur incisa, immo & Rhabarbarum quod rotundum esse fatemur ueluti rapum,in duas uel tres partes diuidi potest,neq; hoc obstat,quin in rotundum uergat. Nos ut de hac re denique finiamus,& uerum Rhaponticum,& uerum Rhabarbarũ recentia uidimus, Rhabarbarum in horto magnifici Sinibaldi Flisci Genuæ.si uidere hoc tibi animo est illuc equitato.forte & nunc adest.radix erat rotunda non quidem perfecte,sed ut ad nos ex India,uel Arabia in præsentiarum in dies afferuntur,& aliquid (licet parum) odoris Rhabarbari seruabat,immo & folia diuersa erant , quæ nostræ rapæ folia referebant,& easdem ferè incisuras habebant,erantq; folia ueluti citrorũ robusta. SE. Hæc suntne uera? BRA. Me puderet referre nisi id his oculis uidissem. SE. Forte erat alia radix. BRA. Non miror te garulum esse , quoniam & senio confectus es , an esset eadem radix,an diuersa disputare non aggrediar,sed Genuam proficiscitor, ubi illam uidere licebit , multæ enim in præscripto horto sunt eiusdem generis radices,nisi obaruerint. SE. Alij tuis uerbis non acquiescent. BRA. Nõ acquiescant, sit mihi est ueritatem exprimere,& ex

conscientia

conſcientia loqui, immo & nunc in Oenotria, quæ uulgo Calabria dicitur, quoddã Rhabarbari genus naſcitur folia habẽs prædicto Rhabarbaro ſimilia, radices uero, longe minores ſunt, & intus rubriores, integrã radicẽ mihi dono dedit egregius Leonardus Veſpolus Neapolitanus, qui illam ſæpius expertus erat, & nos diuerſis hominibus quinque drachmas potui dedimus, unicuiq; ſingulam drachmam, in his quinque inuenimus uehementius educere, quàm hoc noſtrum uocatum Rhabarbarum educat, nũc etiam illius radicis partem domi ſeruo, quæ manifeſtam rotunditatem præſe fert. SE. Putas'ne radices illas adulterari? BRA. Galenus in primo de Antidotis ubi exponit ſimplicia theriacam ingredientia, de Rheo loquens adulterari inquit his uerbis, in Rheo quoque fraus committitur, nam quibus in locis naſcitur, ſimulatq; euulſum eſt, ipſum elixant, quo ſuccum remittat, ac tamen ſuccũ, ut ſyncerum, & aquæ impermixtum, quàm Rheon exiccatum, ut non elixum ad nos poſtea mittunt, quamobrem ſcientia opus eſt, uerum ab adulterino ſecernendi, quàm facillime conſequuntur, qui ſuæ ſpontis Rheum aliquando uiderint, nam elixi pars, quæ ſub aſpectum uenit denſa per totum & compacta non eſt, ſed rarior, & guſtu tentatum ſaporem adſtringentem uel nullum, uel obſcurum remittit;, cum tametſi adulteratum non ſit, uehementer adſtringat, cito tamen, & ipſum foraminoſum efficitur. Hæc Galenus de his, qui Rheon adulterant improbis uiris, immo & de aliorum ſimpliciũ adulteratoribus, in tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum genera conqueritur, ubi in principio ita amicos admonet, amici uos admoneo, ut in hoc quoque me ſequamini, ſi artis opera pulchre obire uelitis, nouiſtis enim quomodo ex

omni natione præſtantiſſima quot annis medicamenta mihi adſerantur, eo quòd perditi illi omnigenarum rerũ coemptores (Græce Rhopolas uocant) uarijs modis ea cõtaminant. præſtiterat forſan nõ hos ſolum, ſed multo magis etiam mercatores qui illa aduehunt incuſare, atque his multo magis ipſos herbarios, item nihil minus eos, qui radicum liquores, ſuccos, fructus, flores, & germina ex montibus in urbes conferunt: hi ſiquidem omnium primi in eis dolum exercent, ut Galenus de medicamentorũ adulteratione apprime conqueratur. SE. Id ſemper abſurdum exiſtimaui Ponticæ regionis uiros Rhapontici radices excoquere. BRA. Et id ridiculum ſemper putaui, in loco, in quo tanta huius radicis copia inuenitur, quanta graminis Ferrariæ, excoqui, ut ſuccus extrahatur, & uis aquam ſubeat, nam quod elixum eſt deinceps facile corrumpetur, neque putandum eſt fieri adulteria, ubi tãta alicuius rei copia ſit, & nullius ferè pretij exiſtimetur, niſi quis dicat excoqui, ut maior ſucci copia paretur. tamẽ recẽs Rheon ſucci copiã emittit, et ſi aqua miſceatur facile corrumpitur & ipſe. SE. Tamen Galenus id aſſerit. BRA. De his, quæ ipſe non uidit, illi fidem in omnibus non adhibemus, nam & de Lemnia terra agẽs, illam putabat hædino ſanguine commiſceri, priuſquam oculis uidiſſet, non fuit in Ponto Galenus, propterea hoc uidere non licuit, ſed id rettulit, ut ab alijs audiuit, quanuis, & Auicenna illud idem aſſerat, atque Meſue. SE. Quod dicebas Rheon, radicem eſſe nigro coſto ſimilem, Rhabarbarum uero lutei coloris, nos fatemur, et Rhabarbari radices nigras eſſe, ſed extimus cortex auſertur. BRA. Vidiſti'ne iſtud? SE. Non uidi, ſed noſtræ menti ita ſuccurrit. BRA. In his quæ ſenſu conſtant non

eſt

est opus imaginatione uti, sed sensus ipse iudex esse debet. forte radices aliquæ, quibus terra inhærebit, aut exustæ, nigræ uidebuntur. SE. Hoc etiam discrutior, ut Rhabarbarum, cum Rhapontico idem esse contendam, quoniã eædem proprietates, eædem operationes nostro uocato Rhabarbaro insunt, quæ ab antiquis Rhapontico inesse scriptæ sunt. BRA. Eædem omnino sunt, sed longe efficatiores in Rhabarbaro. quis enim ambigit duo simplicia easdem uires nonnunquam habere, & in uno intensiores esse, quàm in alio, & tamen erunt in specie diuersa? Adde Mauritanos Rhabarbaro attribuere, quod & bilem crassam educat, & pituitam, antiqui tamen Rhapontico id non attribuere, quanquam & in Rhapontico rationes inuenire scirem, ob quas educit, quanquam ab ipsis expressum non sit, nempe ex acrimonia ad deiectionẽ præparat crassa incidẽs atque glutinosa, ex amaritudine detergit, & etiã crassa incidit, sed remißius, quàm ex acrimonia, est uero adstringens, quoniam in se habet aliquid terrei, quod frigidum est, unde easdem uires habere fatemur, & tamen diuersa esse, uerum quoniã inter se in multis alijs similitudinem habent præterquam in his prædictis, propterea Arabes uisi sunt in Rhabarbaro illa referre, quæ de Rhapontico ab antiquis scripta sunt, cum tamen & alia sit radix, & ipsi distinctam faciant à Rhapontico. Antiqui præterea faciunt Rhaponticum leuem, sed Arabes probant Rhaponticum ponderosum. SE. Id fit quoniam ad diuersa comparant, nam antiqui alijs radicibus comparabant, Arabes uero comparant radicibus in eadem specie. BRA. Leuiores radices potius probare deberent, quoniam pro nota exquisita ab antiquis ponitur Rhaponticum leue esse oportere, præterea opus est

comparationes intelligere & ad eadem & ad diuersa, si tu ergo absque ratione ita dices, nos ratione ducti, quod iam dictum est sequemur. SE. Vbi radicem illam uidisti, huic Dioscoridi descriptioni de Rhapontico similem? BRA. Venetijs in ædibus pharmacopolæ, qui campanam pro insigni habebat, hic (ut uir erat, nulli parcens sumptui) ex ripis Rha fluminis in Mæotidem paludem influētis radicem hanc, & ipsam herbam Venetias portari curauit, cui hæc Dioscoridis descriptio adeo quadrabat, ut tu ipse tibi ipsi similis es, meminit huius radicis Annianus Marcellinus 22. Historiarum libro inquiens (de Tanai uero primo loquitur) huic Rha uicinus est amnis, in cuius superciliis quædam uegetabilis eiusdem nominis gignitur radix proficiens ad usus multiplices medelarum. SE. Est ne Rhabarbaro similis, quo nunc paßim utimur? BRA. Non equidem sed potius Rhapontico uestro, his demptis in quibus Rhaponticum uestrum ab illo Dioscoridis dissentire monstrauimus. HER. Reperitur ne apud Dioscoridem, aut aliquem antiquum authorem, nostrum uocatum Rhabarbarum? BRA. Nodum Herculeo illo arctiorem soluendum petis, nunc silentio pertransire decreui, ut res maturius agatur, unum tamen præterire non possum, neminem adhuc apud antiquos authores adinuenisse, & hi longius hallucinantur, qui Rhecoma Plinij Rhabarbarum esse existimarunt, quanquam solum nomine Rhabarbarici mentio fiat à Paulo lib. 7. cap. 11. in cōpositione διὰ κοραλλίου. HER. Audes'ne tu inuenire, nunquam ab alijs inuentum? BRA. Nondum effari audeo, sed diutius intra me, quod animo concepi examinabo: forte, priusquam alijs, quæ cōcepimus tradamus, perpetuo silentio transire decernemus, aut breui scriptis mādabimus.

dabimus. SE. *Sentis ergo Rhaponticum Dioscoridis, & aliorum antiquorum, ut Galeni, Pauli, aliã rem esse à nostro uocato Rhapontico, & Rhabarbaro?* BRA. *Non modo hoc sentio, sed adeo certus sum, ut alioqui dubitare nefas arbiter, in summa igitur Rhabarbarum, quo utimur diuersa res est ab antiquorum Rhapontico.* SE. *Arbitror non defuturos æmulos, qui in hanc tuam sententiam scribant.* BRA. *Et nos aliter sentimus, neminem. s. in hæc scripturum, nempè is fatuus uideretur, qui de re scribere tentet, de qua ad hæc usque tempora tot, tamq; probi uiri scripsere, ut nihil addi posse uideatur, nisi ad sensum radicem ipsam ostendat, & herbam, & reliqua, quæ oculata fide de ipsa uideri debent, illaq; erit optima scriptura, & optimum argumẽtum, in quod nullus reclamare poterit, hic est in his rebus uerus argumentandi modus ex re ipsa, nam ex his, quæ ab authoribus desumuntur, utriq; parti defendendi ansa præbetur.* SE. *De Rhabarbaro satis, ego & hoc, & illud in mea officina seruabo, & illa ægris præstabo, quæ indicabuntur à medicis, id uero scire percupio, quibus qualitatibus insigniatur Rhabarbarum.* BRA. *Mesue indicauit calidum esse, & siccum in secundo ordine, quanuis nonnulli in primo esse probarint, uerum cum hi omnes ordines in tres partes ab antiquioribus distinguantur, iudicamus calidum esse in secunda parte secundi ordinis, & ad tertiam attingere, nam accipientibus iecur plerunque calefacit potissimum si calidioris sint iecoris, & eius caliditas statim sentitur, & nonnulli ea die, qua Rhabarbarum sumpsere circa manus, & pedes uehementem æstum persensere, & siti premebantur, etiam si non eduxerit, quanuis à multis pro iecore purgando exhibeatur, qui probandi sunt, ubi*

iecur humoribus plenum sit, & sola calida qualitate non afficiatur. SE. Ne pigeat oro in omni herba de qua agemus prius qualitates referre. BRA. Id libenter efficiã, uerum si hoc facturus sum per Galeni regulas incedere oportet, & per uiam illam regiam, quam in calce quinti libri de simplicium medicamentorum qualitatibus edocuit, ubi inquit calidũ primi ordinis nominari, quod nos excalfacit, non tamen euidenter, sed opus est demonstratione rationali uti ad hoc probandum, eodem modo frigidum, humidum, & siccum, quod demonstrationem requirat etiam, nondum actionem ualentem adeptum. SE. Primus igitur ordo calefactionem sensualem non habebit? BRA. Non quæ facile, & cito sentiatur: quæ uero manifeste aut calefacere, aut frigefacere, aut humectare, aut desiccare possunt, ea secundi esse ordinis dicẽtur. SE. At omnia quæ in tertio, & quarto ordine sunt manifeste calefacere possunt, erunt igitur in secundo. BRA. Intellige illa, quæ incipiunt sentiri calefacere, frigefacere, exiccare, & humectare, & iam sentiuntur, non quod in intenso sint sensus gradu. nempe illa, quæ uehemeter quidem non tamen summe calefacere, frigefacere, humectare, & exiccare possunt in tertio sunt ordine, intellige ista esse calidißima, non tamen adeo ut escharam moliri poßint. At quæ adeo calefacere possunt, ut escharam moliantur, & urant quarti sunt ordinis. frigida uero in quarto ordine adeo infrigidant, ut extinguant, de exiccantibus in quarto ordine nullũ inuenitur, quod non urat simul, apud Galenum deinceps uidetur, tres istos ordines secũdum. s. tertium & quartum in triplices differentias, uel partes distingui, de primo autem ordine an in partes distinguatur nullam mentionem facit, quoniam euidenter non calefacit

lefacit, unde distingui non potest, tamen in aliquibus primi ordinis & sua quædam differentia inueniri potest, de his uero quæ in quarto sunt ordine non solum tres partes aderunt, sed longe plures, quoniam inueniuntur infinita calida secundum intensiorem, & remissiorem calorem, omnia tamen in quarto sunt ordine. hoc autem supposito de incessu pro qualitatibus simplicium medicamentorum inueniẽdis ad rem propositam progrediamur. SE. Rhabarbarum igitur calidũ & siccum erit in media parte secundi ordinis? BRA. Id iudico & attingere ad tertium, quoniam manifestissime calefacit, & cito, & satis intense atque exiccat. SE. At nostrum hoc Rhaponticũ apud antiquiores inuenitur ne? BRA. Si herbam illam legamus, quæ centaureum maius dicitur, huic adeo similis apparet, ut ipsamet sine persona incedere uideatur, unde plures recentes, & Leonicenus absolute eam esse cẽsuerunt. Tu igitur herbam, ac radicem manibus sumito. SE. Iam cepi, Dioscoridis textum legas. BRA. Aures præsta, ita enim inquit, iuglandis nucis folia habet. SE. Habet equidem, licet bletæ etiam Romanæ conferri possit. BRA. Oblonga. SE. Nec ab hoc dissentit. BRA. Colore ut in brassica uiridi. SE. Illam fere uiriditatem habet, sed extra subalbescit. BRA. Serræ modo per ambitum incisuris secta. SE. Hoc nõ ita quadrat. BRA. Omnino incisuræ sunt, licet paruæ: caulem rumici similẽ habet, duorum, trium'ue aliquãdo cubitorum altitudine. SE. Hoc frequentissime uidi, habet enim radices longiores, quàm herba altera, quàm uiderim. BRA. Multis à radice adnatis, in quibus papauerum modo capita sunt. SE. Recte modo papauerũ dixit, quòd centaurij caput, nõ est omnino ut illud papaueris. BRA. Floret colore ad cæru-

leum inclinato. SE. Ita certe uidetur. BRA. Cnico simile semen, ueluti lanis in flore inuoluitur. SE. Et si hæc res lana appellari non poßit, similis tamẽ lanæ uidetur. BRA. Radix uasta, ponderosa, dura, longitudine ad bina cubita, succo plena, sapore acri, cum adstrictione, dulcedineq; aliqua, rubescẽs, & cuius pariter rubescat succus. SE. In gustu nullam acredinem percipio, & nullam uel minimam adstrictionem. BRA. Nec ego, tamen optime mando, & iam magnam copiam deglutiui. SE. Suspicor igitur nostrum hoc Rhaponticum, id non esse, quod Dioscorides centaureum maius appellat, præsertim cum ex Apulia afferatur. BRA. Affertur quidem ex Apulia, & sponte oritur in monte Gargano, nunc sancti Angeli, ob Archangelum Michaelem, qui ibi uisus est, appellato, in cuius pede, olim Sipontum insignis urbs sita erat, nũc ab eo distat, & Manfredoniæ nomen acquisiuit, alias loca celeberrima, nunc adeo pressa, ut uix extent antiquitatis uestigia. Quamuis ergo ex Apulia afferatur, & Dioscorides in Lycia, Peloponesso, Helide, Arcadia, & Messene abundare, & plurimum circa Pholoen, Lyciam, Smyrnam nasci fateatur, non tamen negat alia loca eo abundare posse, imò & in Liguria. hoc, & Rhaponticum uestrum. i. centaurium maius inuenitur. SE. Imò & nunc Ferrariæ habetur, & plerisque in locis plantatum uiret. BRA. Et futurum speramus multas alias herbas ad nos afferendas. SE. Vt autem de hac re receptui canamus, tres diuersas radices edocuisti, centaurium maius, Rhapõticum Dioscoridis, & Rhabarbarum quo utimur. BRA. Immo si centaurium maius, à nostro uocato Rhapontico separes, quia in pluribus differre uidentur, quatuor radices erunt, quarum si unan ignorabimus, perfectam ipsarum

rum historiam nescimus. SE. Obsecro *igitur quid sint edoceas.* BRA. *Tibi satis sit hodie, nostrum* Rhaponticũ *non esse* Dioscoridis Rhaponticum *didicisse, nec etiam esse centaurium maius eiusdẽ* Dioscoridis, *nec parum fuit (adeo inueteratis opinionibus) id simplex non esse, id quod quæritur demonstrasse.* SE. Igitur *hoc* Rhaponticũ *proijciam, & deinceps domum nostram nõ ingredietur.* BRA. Imò *collige. est enim radix multis nominibus digna, & qua frequentißime ad meos ægros reparandos utor.* HER. Iam *stomachari cœperam, si tam magnũ aceruum proiecturus eram, quem uobis loquẽtibus effoderam, mihi igitur quatuor has radices explicato.* BRA. En *nunc* Ferrariæ *in publicis* Pharmacopolijs *duo radicum genera habẽtur, unũ alio nigrius, neq; rubedine delibutũ, hoc genus* Dioscoridis *centauriũ esse non potest, sed alia quædam herba est. quam nos ignoramus, paßim in hortis* Ferrariæ *nascitur, & pro* Rhapontico *à* Pharmacopolis *uẽditur, folia habet nucis iuglãdis, & qualia à* Dioscoride *describuntur eo dempto, quod folia modo serræ non habent incisuris diuisa.* SE. Centaurium *igitur esse non poterit.* BRA. Non *equidem, imò gustum non habet, quem suo centaureo attribuit* Dioscorides, *ueruntamen, ut nihil ex his, quæ suspicati sumus te lateat,* Rumicis *speciem esse putamus, est alia radix, quæ ex* Gargano *monte* Ferrariam, & Venetias *affertur, & quam* Pharmacopolæ *diu pro* Rhapontico *uendidere, cuius folia in modum serræ diuisa conspiciuntur, hanc* Dioscoridis Centaureũ *esse nõ dubitamus, adest &* Rhabarbarum *uocatum, & uerum* Rhapont*icum, itaque erunt quatuor distinctæ radices.* SE. Si Rhaponticum *uidissem omnes has radices ita cognoscerem, ut braßicam, & lactucam cognosco.*

BRA.

BRA. Finge te illud uidisse ne plus temporis hac in re conteramus, hæc radix cuius folia in hoc monte uirere uidimus, & cuius copiam colligit herbarius non est centaureum maius Dioscoridis, sed illa centaureum est, quam in officina habes, & pro Rhapontico uendis, primam uero Rumicis speciem iudicauimus, & certe Rumicis radices uero centaureo, & illi cuius folia in modum serræ diuisa non sunt, similimas uidimus. SE. Nisi cito properemus, non erimus hac hebdomade expediti in colligẽdis herbis. HER. Tot herbas collecturus es? SE. Officinam meam oppleturus sum, ut nihil desit, nec ab his montibus discedam, quin hos sacculos plenos uideam. BRA. Studes igitur in his montibus omnes herbas inuenire? SE. Omnes, quibus utimur, & omnes flores, omnia semina, omnes radices. BRA. Hoc erit in maximum ægrorum incommodum: non enim omnes herbæ à montibus petendæ sunt, sed aliquæ in conuallibus, aliquæ in humentibus locis, & planis utilius colliguntur. SE. Arbitrabar montanas herbas uirtute magis pollere. BRA. Pollent quidem eæ, quæ à montibus sumi debent. SE. À pueritia hoc imbiberam montanas herbas cæteris præstare. BRA. Nec solus eras huius opinionis particeps, forte tu ab Hippocrate accepisti in epistola ad Crateuum, qui uidetur præferre montanas herbas cæteris cum inquit, tu uero nunc montanas herbas, & altis tumulis natas nobis colligito, nam firmiores, & robustiores sunt, acrioresq́;, & uehementiores, quàm aquaticæ propter terræ densitatem, & aëris tenuitatem, flores tamen earum, quæ secundum lacus, stagna, paludes, fluuios, riuos, fonticulosq́; nascuntur colligito, quas imbecillas, nec multi roboris, succiq́; dulcioris esse duo. uerum Hippocrates de herbis loquebatur, quæ atræ

bili

bili aduersantur, cum Abderam profecturus esset ad Democritum ex hoc morbo curandum. SE. Obsecro te per Medicæ artis Deos, ut in hac herbarum collectione mecũ sis, & eas herbas ostendas, quæ in mõtibus, & quæ in plano, locóue aquoso, & humenti ualeant: hic enim non desunt conualles, aquosa loca, & plana. BRA. Id lubentissime agam, sed nec omnes herbæ hic nascuntur, quia nonnullæ alibi petendæ, nec tempus hoc aptum est, ut omnes colligantur. SE. Nonne possemus omnes Ferrariam afferre, & transplantare? BRA. Possemus quidem, sed uires amittunt. SE. Tamen eadem folia seruant, eundem caudicem, eosdem flores, & eosdem fructus. BRA. Immo multæ non fructificant, ut castaneæ, xylocaractæ, quæ in montibus, & sua cœli periodo fructificant, alibi uero nunquam, & pinea nisi falso quodammodo solo fructificat. SE. Vidimus pineam Ferrariæ, quæ fructus gignebat, & nunc gignit extra mœnia spatio unius milliarij, in horto monachorum sancti Bartholomei, et in horto patrum sancti Pauli castaneam. BRA. Fructus quidem pariunt, præsertim pinea, sed imperfecte maturant, & pineæ nuces minores sunt, ita natura res distinxit, ut hæc cœlo isto, illa altero gaudeant, nam cœlum est quod parit, non sõlum, ut Theophrastus inquit, quamuis & terra aliquid faciat tanquam mater, & materia, cœlũ uero, id est aër forma est, & agens præsertim cum influxu cœlesti, & hoc non solum in plantis, sed etiam in animalibus usu uenit. SE. Quomodo in animalibus? BRA. Leones in Italiam, Cameli, Dromedarij conuehuntur, tamen non pariunt, uel ægre id faciunt, ut per sobolem non multiplicentur, adeo cœli periodus in uiuentibus agit, immo & in lapidibus, ac mineralibus. HER. Hæc nihil ad

rem

rem, sed totus sermo, ac labor circa herbarum collectionem sit, si prius me admonueris an Rhaponticum apud alias nationes alio modo appelletur, quàm Rhapõticum. BRA. Nomina illa omitto, quæ à Dioscoride citantur, quoniam ex te ipso ea legere poteris, etiam omitto à Serapione Raued, uel Reu dici, nunc uero Hispani hoc eodem nomine appellant, quo nos uulgo Reupontico, Germani ultimam syllabam prætermittunt, & Repontic dicunt, Galli uero per e, & u, scribũt Reupõtic, proferunt autem ac si inter e, & u, media quædã litera sit. SE. Cur tot nomina, quæ uni herbæ, uel radici in uarijs locis adhibentur referre, si Galenus in principio sexti de simpliciũ medicamentorum facultatibus libri, hoc negligat, & ita referentes reprehendat, inquiens: plerunq; uero ista herbarum nomina, aut Aegyptiaca, aut Babilonica, quæq; nõnulli aut priuatim, aut communi quorundam consensu illis imposuerunt, hic adscribere mihi uisum est superuacaneũ, nam præstat siquis hæc uolet curiosius persequi, seorsum, & per se apud illos legere, qui transtulere, nam ita, & libros suos inscribunt, ut qui eos non cõposuerint. BRA. Non it inficias Galenus, uaria herbarum nomina sciri oportere, immo eum, qui de simplicibus medicamentis scribit, conuenit, ut diuersarum nationum nomina scribat, quo quæq; natio de qua herba loquatur facile ex nomine proprio cognoscere possit, unde ab re nõ erit, uaria diuersorum Idiomatũ nomina, ex his, quæ ab alijs authoribus scripta nõ sunt referre, & illa potissimum, quæ per uulgus cuiusque nationis uulgantur. SE. Quæ nam sunt Rhapontici qualitates? BRA. Galenus in septimo de simplicium medicamentorum facultatibus, inquit, Rhaponticum habere mixtam temperaturã, cum habeat quiddam

terrestre

terrestre frigidum, ut testatur adstrictio, & coniuncta est quædam caliditas, quia si mãdatur conspicitur, aëriæ etiã cuiusdam substantiæ est particeps, quod indicat cum laxitas, tum leuitas, unde iudicamus nos calidum & siccum, sed in fine primi uel in principio secundi calidum, siccum uero in secunda parte secundi, propterea in siccitate ferè cum Rhabarbaro *cõuenit, in caliditate multũ differt.* SE. *Rhabarbarum est ne æque siccum, uti calidum?* BRA. *Magis siccum est, quàm calidum, sed ò pater, quem ordinem seruas in colligendis herbis?* SE. *Mihi in primis omnes flores, postea omnes herbas, tertio omnes radices, denique omnia semina, quibus utimur, descripsi.* BRA. *At quomodo flores nunc, radices, & semina colligere poteris, quum hæc uarijs temporibus in suam perfectionem ueniant?* SE. *Omnia simul colligebam, tu nunc ordinem edoceas.* BRA. *Librum scripsimus de colligendarum herbarum temporibus, qui iam propè umbilicum est, illum tibi dono dabimus, quo colligẽdis herbis apta tempora, & radicibus, seminibus, ac floribus inuenies, immo & quibus locis quæq; herba quærenda sit, ubi proprias uires efficaciores habet, multum enim refert quo cœlo, & qua prouincia herba ortum duxerit.* SE. *Esto dux facti, & à qua parte incipere lubeat admoneto.* BRA. *Schedam illam tuam summe in qua omnia scripsisti, & à prima incipito.* SE. *Nullus ordo seruatur, ego à floribus cœpi.* BRA. *Et ab his incipere opportunum, primum florem legas, & si nullo ordine digesti sint, nã satis ordinem seruabis, si nullum in colligẽdo omiseris.* SE. *Primus est in ordine scriptus camomillæ flos, quo frequentißime utimur.* BRA. *Chamæmalon potius dicito, nam* Dioscorides *ita appellari censet, quia odorem mali habeat.* SE. *Id aliàs audiui,*

ſed quomodo odorem mali haberet nunquam diſcere potui. BRA. Nõnulli putarunt floris mali odorem habere. ego autem puto odorem mali præmaturi intelligendum, non tamen is præciſe odor eſt, ſed in illum uergit, nec cuiuslibet mali, ſed alicuius tantum ſpeciei. hanc herbam in hoc monte colligere poteris, nam ſiccis gaudet, & macris ac ſemitis uiret, in ipſaq; caliditas, & ſiccitas aliqua expetuntur, ſed miror cur flores tantum legere ſtudeatis, quum & herba, & radices uiribus præſtent. SE. Herbã quoque ſeruamus, ſed flores ſeorſum, radices uero in uſu non ſunt. BRA. Iubeo ut deinceps ſerues. SE. Seruabo, ſed nunquam uendentur. BRA. Ne uerearis, nam curabo, ut eas prius uendas. unum præterea admiratione dignũ eſt, quum tres ſint chamæmali ſpecies, cur hanc unam tantum colligatis, quæ in medio orbiculum aureum habet, foliolis albis circundatum, cum alterum genus habens foliola illa purpurea calculoſis efficacius ualeat, & Eranthemum à quibuſdam proprie dicitur, quia uere floreat. præterea uide in hac ſemita tertium genus habens foliola illa aurea, unde Chryſanthemum nũcupatur, quod ciendis urinis magis ualet. Neſcio cur uos pharmacopolæ hæc genera omiſeritis, quæ lõge mortales iuuare poſſunt de quibus Macer poëta, qui de herbis carmine ſcripſit (ſi is liber, qui circũfertur Macri ſit) in hunc modũ canit.

Authores dicunt tres ſpecies illius eſſe,
Quas ſolo florum diſtingui poſſe colore
Tradunt, eſt cunctis medius flos aureus illis:
Sed uarijs folijs flos circumcingitur ille,
Albi, uel nigri ſunt, purpurei'ue coloris,
Dicitur Anthemion proprie, cuius foliorum
Purpureus color eſt, maiorq; & fortior hæc eſt.

At Leucanthemon folijs deprehenditur albis
Mellinis Chrysanthemon . uis omnibus illis
Sicca,calensq; gradu primo conceditur esse.

Hactenus Macer,qui uires trium specierũ postea enumerat,& quamuis speciem unã nigri coloris esse dicat,Mellinum intelligere oportet,ut postea quum eas distinguit, manifeste scribit. SE. Nos unam speciem tantum seruamus,quæ habet foliola illa alba aureum globum circundãtia,quoniam in Ferrariensi solo illa uireat,cæteræ minime . est autem ea,quæ leucanthemon appellatur. BRA. Aliæ etiam species in Ferrariensi agro nascuntur , licet non adeo frequenter,tu igitur ex omni specie colligas. SE. Deinceps hoc agam,uerum uno deterreor, ut ambigam hoc esse chamæmalam,quoniam Dioscorides illa florum foliola,magnitudinem foliorum rutæ habere tradit. BRA.Rem non probe intelligis,quoniam Dioscorides inquit foliola illa esse parua,tenuia,numerosa:quum autem dicit habere magnitudinem folij rutæ,id in toto flore intelligit,non in paruis foliolis circa luteam partem sitis, ut sensus sit,flos totus chamæmali magnitudinem foliorum rutæ habet,& in rotundum uergit. SE. Tibi assentire cogor,ut sit totus flos,qui horum foliorum magnitudinem æquet.Serapio cap.22. Dioscoridem intelligere uidetur,ut comparet florem chamæmali floribus rutæ. HER. Satis'ne collectum putas? SE. Duobus annis satis erunt. BRA. Ne tam magnam copiam legas , ut ea altero anno utaris,uerum singulis annis recentem habeto,alioqui uires deerunt,secus autem est de eius oleo,quod inueteratum efficacius sanat,nec prætermittas ex floribus recentibus pastillos fingere,& seruare pro sudoribus ciendis, ut Aetius ex sententia cuiusdam Aegyptij cõformari docet.

cet. SE. Singulis annis herbas colligo, & ueteres proiicio, præsertim quum in puluerem redigi uideantur. BRA. Probe agis. SE. Quæ nam sunt chamæmali qualitates? BRA. Galenus in sexto de simplicium medicamentorum facultatibus calidum, & siccum in primo ordine chamæmalum facit, & in secundo de compositione medicamentorum secundum locos cap. 1. ubi de his agit, quibus ex ardore caput dolet, apponit oleum rosaceum, & oleum chamæmalinũ, & inquit post oleum rosaceum adesse chamæmalinum ex quibus colligere licet non habere nisi modicißimam caliditatem, quæ erit in primo caliditatis ordine, Galenum secuti sunt omnes, qui post ipsum scripsere autores tam Græci, quàm Arabes, & Latini. SE. In hac re anceps sum, & non sine ratione, an chamæmalon in primo solum ordine calidum sit, quoniam in primo ordine adest solum obscura quædam caliditas, quam opus est ratione comprobare, uerum in chamæmalo est manifestissima caliditas, quæ proculdubio ex odore, sapore, colore statim deprehẽditur, unde in secundo ordine calidum esse iudicarim. BRA. Ego aliàs huius sententiæ fui, tamen ne à Galeno discederem, illud posui in ultima parte primi ordinis calidum propè secundam, hinc oleum chamæmalinũ post rosaceum posuit, & in tertio de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 9. de chamæmalino oleo hæc dicit, est & chamemalum tenuitate quidem rosæ persimile, calore uero ad olei uires magis accedens homini tum familiaris, tum temperatus. SE. Addo si corpori applicatur calefacere, & id quidem manifeste. BRA. Id facit cũ sit tenuium partium, unde facile penetrat, & suam illam, quam habet in primo ordine caliditatem imprimit. SE. Cum uideam tormina discutere, & multum resoluere, ha

in

ius ſemper ero ſententiæ, quod in ſecundo ſit calefacientium ordine, immo & exiccantium, quamuis de ſiccitate cum aliquo digladiari noluerim. BRA. Quod lubet teneto, quiſque liber eſt, ut ſuam ſententiam ſequatur modo proba ſit, ego potius & Galenum, & antiquiores ſequar, tamen ab hoc abſtinere nõ poſſum de oleo chamæmalino, quod nunquam illud ſupra caput ex ardore dolentem imponerem, niſi in inclinationem, quamuis hoc oleum ſi ad ardorem comparetur, frigidum dici poßit, neq; iſtud prætereundum eſt, chamæmalum Ferrariæ altius creſcere, quàm à Dioſcoride referatur. HER. Ego autem ſcire uoluerim quibus nominibus ab alijs nationibus appellentur, his demptis, quæ à Dioſcoride & Plinio numerantur. BRA. Rem dignam quidem petis, ſed ferè infinitam: nã quot prouinciæ ſunt, tot ferè nomina, & quot etiã in prouincijs diuerſæ urbes, aut caſtra etiam nomina diuerſa reperiuntur, en Hiſpania prouincias habet Luſitaniam, Bæticam, & Taraconẽſem, Luſitani ipſam Macellam appellant, alij Mancauillam, Gallica meminam, Germanorum pars Camileblum, blum enim apud ipſos florẽ ſignificat, Poloni Romyen uocant, Cretenſes uulgo eodem nomine, quo nos utuntur. At poſtea quàm nouiſti tres chamæmali ſpecies ſeruandas, & ſimul herbam, radices, ac flores, nec hos montes præterire conuenit, ideo ad alia tranſire opportunum erit. SE. In hac mea ſchedula ſecũdo loco uiolarum flores ſcripti ſunt. BRA. Ergo nullum ordinem ſeruas, quia frigida calidis immiſcuiſti? SE. Hoc à principio admonui, ne ordinem aliquem in mea ſchedula expectares. BRA. Eſto, uiolæ ſequantur, ne ipſas in montibus quæras, præſertim communes has, quas Dioſcorides nigras appellat. SE. Dicit ne hoc, ac ſi ſint aliæ uiola-

rum ſpecies, præter nigras, à quibus uiolatus color noſtra materna lingua deducitur? BRA. Immo plures aliæ ſunt uiolarum ſpecies, & ab authoribus multum in medica re commendatæ, ſed medicorum incuria nec colliguntur, nec earum uſus habetur, Græci enim duo nomina habent, quibus uiolam ſignificant, ἴον unum eſt, quo omnes uiolas intelligunt, ab Io, quæ à Ioue in uaccam conuerſa eſt, pro cuius pabulo iuſſu Iouis uiolæ in campo creuerunt: unde et nos uiolam ablato, t, quaſi uitulam dicimus. ſub hoc ergo nomine ἴον, omnes uiolas, etiam quas Ioſeminos dicimus, connumerantes intelligunt. Aliud nomen eſt λευκοΐον, quo proprie albæ ſignificantur, tamen ad omnes uiolas uſurpant præſertim ad eas, quæ primo ſtatim uere naſcuntur, ſiue cādidæ, ſiue luteæ, ſiue cæruleæ, ſiue purpureæ ſint, de quibus omnibus aliàs diffuſe tractabimus, quoniam in re medica plurimum ualent, & uarijs locis quærendæ ſunt, ne autem in præſenti ab incœpto remoremur, ne deſinas tu uiolas purpureas, aut nigras colligere, quia de albis aliàs agemus, dixi aut purpureas, aut nigras, quoniam Dioſcoridem in aliquibus codicibus ſimpliciter legitur περὶ ἴου. i. de uiola, per hanc tamen, ea quæ apud nos in uſu eſt intelligitur, in aliquibus περὶ ἴου πορφυροῦς. i. de uiola purpurea ſcriptum eſt, Antiquiſsimi uero habent περὶ ἴου μέλανος. i. de uiola nigra. SE. Hæc adeo confuſa mihi uidentur, ut longiori ſtudio indigeant, quàm nunc opus ſit. BRA. Immo longiſsimo, uerum ad loca illa umbroſa ſecedamus, ubi uiolas nigras inuenies, en uide iam terram præ copia purpureſcere. SE. Quas partes collecturus ſum? BRA. Tres herbam, flores, & medium id purpureum, aut ſub croceum, quod in medio floris ſitum eſt. SE. In compoſitis au-

thorum

thorum medicamentis frequenter ambigo, quoties uiolas miscent, an flores, uel herbam intellecturus sim. BRA. Cum Ferrariæ erimus, composita illa medicamenta osten dito, quoniam aliqua flores, alia herbam recipient, nam in syrupo, qui uiolatus dicitur, pharmacopolæ paßim herba utuntur, nos autem potius flores accipere iubere- mus. SE. Medium id purpureum qua de causa colligen- dum? BRA. Vt anginis succurramus, & comitialibus in infantia, si cum aqua bibatur, quæq; enim pars suis uiri- bus insignitur. SE. Estne uerum uiolam narcoticam esse, ut Mesue illi tribuit? BRA. Vir quidam excellentißimus Mesuem reprehendit, qui uiolam in primo ordine frigi- dam, postea narcoticam dixerit, hic celeberrimus uir in suo paruo Mesue marginales quasdam annotationes scri psit, quas in uulgatam epistolam collegit. at non debuit existimare, omnem Mesue codicem ita legi, sicut suus il- le paruus. quippe antiquißimum habeo, in quo optima, et non Narcotica legitur. inquit enim et ipsa quidem est in- frigidatiue optima. i. inter ea, quæ infrigidant optima est uiola, quoniã nulli parti officit ex his, quæ infrigidatio- ne indigent, propterea addit sedatiua dolorum calidorũ, extinctiua inflammationum. SE. Hæc sentẽtia mihi plu rimum arridet, nec erat tam magnus uir ita temere cul pandus, præsertim quum Auicenna, quem Mesue imita- tur, & Serapio nihil simile dixerit, tamen nullus forte tuo codici credet. BRA. Neque ego quempiam cogo, ut credat, ita res se habet, quisque in hac re ut lubet, opine tur. SE. Possetne alio modo ab hac menda leuari Mesue? BRA. Non deest etiã alter optimus modus leuandi Mesue ab hoc onere, ex altero antiquißimo textu, in quo quidẽ legitur Narcoticam esse Violam, sed ita scribit, & ipsa

nusquam reperitur facta mentio ordinis qualitatum uiolarum, Mesue illas frigidas, & humidas in primo ordine censet, idem facit Auicenna, at Galenus de uiolis agens hæc dicit, uiolarum folia aqueam, & subfrigidam substãtiam superantem possident, quispiam posset per frigidam uiolarum substantiam primi ordinis frigiditatem intelligere, tamen cum primus ordo obscuram frigiditatem habeat, & uiolæ ex sensu ipso cum applicãtur frigidæ deprehendantur, ob id non ab re erit dicere frigidas esse in prima parte secundi ordinis. SE. De humiditate uero quid dicendum? BRA. Sunt magis humidæ, quàm frigidæ nam tertiam partem secundi ordinis attingunt. SE. Cur à Mesue, & ab Auicenna disentis? BRA. Non dissentio penitus, sed posteris ansam præbeo dicendi, & recte hanc rẽ considerandi, nam rosis frigidiores sunt, & humiditate pollent, & Auerrois in quinto collectionum suarum, uiolas in secundo ordine frigidas, & humidas esse iudicauit, nos uero in prima parte secundi ordinis frigidas facimus, in tertia uero humidas. HER. Libenter scirem quibus nominibus apud diuersas nationes appellentur. BRA. In aliquibus tibi satisfactum erit, Galli uioletes appellant, Germanorum pars Veil, alij elegantius Viol, dicunt, magis rude est uiolaten apud ipsos, Hispani urcielas dicunt, quanquam aliqui uioletas uocarint, à Polonis fiolki. SE. Iusta uiolarum copia collecta est, tertio loco rosæ occurrunt. BRA. Non minor est in rosis specierum diuersitas, quàm in uiolis. Poetæ, omnes rosas antiquitus albas fuisse tradiderunt, uerum quum Mars Zelotypus Adonidem interfecisset, accurrebat Venus per dumeta opem latura, & uulnerato pede, eius sanguine rosæ tinctæ sunt. Alij ex sanguine Adonidis potius, alij sanguine

guine

guine Cupidinis, alij ex uino sparso à Cupidine lasciuiente alis in cœna Deorum, sed hæc Poetarum fabulamenta omittamus, dic optime senex quot rosarum genera seruas? SE. Tria: Rubras, ex quibus oleum, electuarium, & saccarum rosatum cõficimus, Communes nostras, ex quibus aquam præ copia facimus, & syrupum rosatum solutiuum, & Albas quas Damascenas appellamus pro solutiuo syrupo, & odoratis oleis cõficiẽdis. at nõnunquã syluestres quasdam albas colligimus, quibus rarißime, aut nunquam utimur, sed pro cynorhodis seruamus, tu (si lubet) quas collecturus sim edoceas. BRA. Apud Theophrastum, & Plinium distincta genera ex locis reperiuntur, ut Prænestina, quæ celeberrima est, Campana, Milesia, Trachinia, Alabandica, distincta etiam sunt multitudine foliorum, quæ à quinto usque ad centesimum sunt. Rosæ enim quinq; foliorum, & non pauciorum, & centum foliorum, & non plurium reperiuntur, differunt etiã asperitate, leuore, candore, odore. en tu rosas, quæ circa hæc ruderata, colligas. SE. Quas legere debeo, & quas partes? BRA. Nusquam legi (quod nunc meminerim) aut herbam, aut radices in re medica ualere, sed tantum flores, inter flores autem puniceas illas, antiquitus laudatißimas seruato, quas Milesias Plinius uocat, ardentißimum colorem habentes, nec duodena folia excedentes. contentus essem, si has solas colligeres (quamuis & alijs sua uis insit) tamen quum pauciores sint, ad tot cõpositiones parandas non sufficerent, ideo et nostrates has, quæ paßim ubere nascuntur habere conueniet, & Damascenas etiã, quas antiqui ignorarunt, multas enim rosarũ species nesciuit antiquitas, quas Lusitanorum nauigatio annis superioribus adinuenit, de illis enim partibus, aut de his,

quæ ibi naſcuntur,nusquam antiqui locuti ſunt, aut illuc etiam poſſe nauigari prodiderunt. SE. Optarem ſummopere,ut partes in roſa demonſtrares,quas hoc anno, & alijs ſubſequẽtibus ſeruaturus ſim. BRA. Multæ ſunt roſarũ partes à Plinio,& à Theophraſto numeratæ, quas habere oportunum erit, una eſt cortex,illa.ſ. quæ calicem circundat,quæ cum calix aperitur, in quinque partes ſecatur. SE. Sunt'ne illæ,de quibus ſcriptũ eſt,quanuis parum eleganti carmine,

Quini ſunt fratres in eodem tempore nati,
Tres ſunt barbati,& duo ſunt barba abſque creati,
Vnus de quinis non eſt barbatus ubiq;?

BRA. Illæ equidem ſunt,quæ in illis carminibus, tanquã ænigma proponũtur. SE. Valent'ne hæ partes in re medica? BRA. Valent,exiccant enim & extenuant, ideo ſeorſum illas ſerua. SE. Ne alias partes omittas obſecro. BRA. Calix eſt ille roſæ globus antequam folia pateſcant,quem nos uulgo bocolum appellamus, hoc etiam integre ſeruandum eſt,quoniam optime exiccat. SE. Forſitã quia adhuc immaturus,immatura autẽ,ſtiptica quodammodo eſſe conſueuerunt. BRA. Immo, & quia eam naturam habet,quæ illi ſponte innaſcitur. Flos eſt illud medium croceum capillamentis inſidens,capillamenta uero ſunt ueluti tenuia fila,ſupra quæ flores incident. SE. Hæc etiam uires habent? BRA. Habent quales in roſa inueniuntur,& ſunt hæ calidiores roſarum partes, quibus ad multa pro ratione uti poſſumus.ſimul enim capillamenta,& flores legito,multum enim adſtringunt Galeno teſte,& pro gingiuis à Dioſcoride,pro albis uero mulierũ fluctionibus à Plinio parantur, quanquam & pro rubris ualeant.Caput eſt globulus ille ab inferiori par-

te,

te,quem si aperias,re quadam ueluti lana plenum uidebis,quod quum maturuerit,semen ambit,aptum plātari: non plantatur autem quia tardiuscule nascitur, unde multos deceptos arbitror,qui putarunt semen esse id crocum,quod flos dicitur capillamentis insidens, at semē in capite est,illi uero flores è semine prodeunt. Decipiūtur autem plerique recentes,qui antheram rosæ florem putarunt. Verum anthera Celso teste compositio est ad oris ægritudines proficua, quæ tamen rosas recipit. de antheris,id est floridis compositionibus mētionem facit Galenus 5.de compositione medicamen. secundum locos,ubi de gingiuarum doloribus agit,& in calce secundi capitis sexti libri eiusdem uoluminis, folia ipsa sunt ueluti tegumentum seminum:in his enim natura propter semen omnia facit, sicut etiam in fructibus semen proprie fructus est, ut in secundo de anima libro ab Aristotele docemur, & à Theophrasto in libro de plantarū historia, caro autem illa,quæ semen circundat,propter semina facta est. Lanam illam per se colligito,quæ ad Gonorrhœam mire ualet,& in mense Octobris succum ex capite exprimito. SE. est'ne caput illud,quod subrubescit,& crassius efficitur,quum in maturitatem peruenit? BRA. Illud inquam. SE. Cum eram puer libenter eo uescebar quadam insita dulcedine allectus. BRA. Succus ad pastillos conficiendos optimus est, qui adstrictoriam uim habent, & per se solus induratus Gonorrhœæ,in aqua plātaginis potus succurrit. SE. Folia despicere uideris. BRA. Nunc ad folia perueniemus, quæ duas partes habent: illa enim infima pars alba unguis appellatur,quæ in medica re(si authores cōsideremus)nullum usum habere uidetur. Reliquum foliorum,& expressum in succum,& per se,ad plura cōuenit,

uenit, si Dioscoridem, Plinium, Galenum, & cæteros antiquos medicos sequamur, tamē nec unguis despiciendus, qui in clysteriorū decoctionibus, in dysenteria ualet. SE. Quum rubræ rosæ, id est, quæ puniceum colorem habēt, summe laudentur, quid est, quod uir quidam Mesuem reprehendit dicentem, in abscisione rubedinis, non plus est rosa, quàm homo mortuus? BRA. Quibus argumentis reprehenditur? SE. Primo, quia rosa non habet speciem ex rubedine, alioqui alba rosa non esset rosa, præterea colore deperdito, odor seruatur, & adstringendi uis. BRA. Non debuit adeo inconsulte reprehēdi Mesue. Nam compositionem rosæ cōsiderans, ex partibus aëreis, & igneis tenuibus, & considerans has partes, rubræ rosæ, non autem albæ amaritudinem, & ruborem tribuere, per quæ species rosæ rubræ circunscribitur, præter hæc speculari cœpit, quid ex his duobus esse rosæ magis seruet, an amaritudo uel rubor, & considerans impressiones, quæ fiunt ut amaritudo efficiatur, & rubor, nouit maiorem impressionem fieri à uirtute dante ruborem, quàm à dante amaritudinem, & hoc uia regia philosophica, ideo rubor magis, quàm amaritudo, aut etiam odor perfectionem illius conseruat, ideo scriptum reliquit, in abscisione ruboris, id est, quum rosa rubra non est rubra, id est, ruborem amisit amplius non est rosa, nisi ut homo mortuus est homo, nam æquiuoce homo est, nunquam autem rubedinem amittit, nisi uel ex senio quum in puluerem transit, aut cum putrescit, ut si in humido loco rosas dimiseris, breui ruborem amittunt, & cæruleæ efficiuntur, & tunc non sunt rosæ. Nec Mesue intelligit ruborem esse ueram differentiam, quæ rosam in esse cōstituat, sed esse aptius accidēs, quàm aliquod alterum ad circunscribendam differentiam. Quū

uero ille infert tunc albam rosam non esse rosam, consequentiam inficiamur, nam in rubris rosis loquitur, in albis autem aliquod aliud fortaßis sumeret, quàm colorem, ut eius speciem circunscriberet, nec id uerum est amisso colore adhuc odorē, & adstringendi uim seruari: si enim per putredinem hoc fiat, non modo nō bene olet, sed grauiter etiam fœtet, potiusquam relaxat, quàm stringat. at si hoc per senium fiat, quum in puluerem ducuntur, nihil penitus redolent, & ita stringunt sicuti puluis, unde uir ille remitti puniceum illum colorem, amitti esse putauit, quod non ita est, tamen quum exiccatur, diuersas uires subit, ut græci pariter, ac Arabes docuerūt, sed in alio de hoc uiro miror, qui inquit Mesuem manifeste errare, quum dicat albas rosas non soluere, quod dignum cōsideratu sit, nam rosæ albæ de Sceni, quas Damascenas dicimus, quum albißimæ sint, tamen cæteras in purgando excellunt, sed pace dixerim tanti uiri ac mei præceptoris, plus peccat ipse, quàm Mesue, quoniam Mesue sub genere rosarum eas non numerauit, quæ de Sceni appellantur, immo sub alio capite à Serapione, & ab Auicēna ponuntur, quippe Serapio. 187. capite sub nomine Nersim, & Auicenna sub nomine Nefrim(quamuis uocabula corrupta existimem)& non sub nomine rosæ eas intelligāt. est ergo uanum Mesuem in alba rosa reprehēdere, quam sub nomine rosæ non intelligit, sed per albas rosas communes has nostras deprehendēdas uoluit, sed error peior priore detegitur, quia rosæ de Sceni eæ nō sunt, quas Damascenas appellamus: non enim sunt sambuco similes nostræ Damascenæ(nisi colore)ut sunt ille de Sceni, quod hi authores referunt, nec Damascenæ nostræ calidæ, & siccæ in tertio ordine sunt, ut ille de Sceni. De his autē alias

ut

ut denique de rosa finiamus. SE. Ego autem nunquam recte finitum arbitrabor, nisi omnes rosarum partes, quas collecturus sum in summa edoceas. BRA. Hoc lubentissime agam si promptas aures accommodabis, puniceas rosas collige, rubras, albas (utpote magis adstringentes) & Damascenas, ex omnibus autē his rosarum speciebus præscriptas partes serua, quæ ad plura in medica arte proficiunt, ut Græci partim, & partim Arabes edocuerunt, quæ (ut fœlicius numeres) in hunc modum disponentur.

Rosarum species seruandæ.

Rosæ puniceæ.	Rosæ rubræ, quæ passim apud nos sunt.
	Rosæ albæ.

Rosæ Damascenæ.

Partes Rosarum seruandæ.

Cortex	Calix
Flos	Capillamentū, uel capillus
Caput	Lana
Semen	Vnguis
Folium, dempto ungue.	Succus ex folijs.

Hæc sunt, quæ singulatim legenda, ac seruanda sunt ad rem medicam ualde proficua. SE. De rosarum qualitatibus ut nonnihil edisseras obsecro. BRA. Galenus de rosarum qualitatibus in libris de simplicium medicamentorum facultatibus ample tractauit, aitq́; rosam compositā esse ex aquea substantia calida, mixta duabus alijs qualitatibus adstrin-

adstringēti uidelicet, & amaræ. Mesue & Auic. rosas in primo ordine frigidas, in secundo siccas censet, at Auerroes in collectionibus suis, illas in primo ordine frigidas, & siccas autumat. At si Galenum consideremus secundo libro de simplicium medicamentorum facultatibus capite ultimo, ubi de oleo rosaceo agit facile colligere poterimus rosas in primo ordine refrigerantium esse. SE. *De rosaceo loquitur in quo est oleum, at oleum recens omphaciū non est absque frigiditate, unde ex solis rosis id non habebitur, sed & ex ipso oleo.* BRA. *Deciperis si Galenum præcitato loco recte considerabis, quippe inquit oleum eligēdum esse salis expers, & purum, quod dicit esse mediæ materiæ, & mediæ temperaturæ, unde nec calidum est, nec frigidum, sed quicquid habetur frigidi, id totum accipitur à rosis, post hæc de experimento quod sit frigidæ temperaturæ, et ratione rosarum inquit, experieris ergo eos, qui adustione tentantur ab eo infrigidari protinusq; utilitatem aliquam percipere, qui uero refrigerati sunt omnes lædi, uti facile ex utroque intelligas, uires eius refrigerare magis, quàm excalfacere. non tamen ualida à rosaceo apparebit refrigeratio, sed quæ proxima uideatur tēperiei mediæ, uoco autem id genus medicamēta, lucidioris doctrinæ gratia ex prima natura, ordine quàm refrigerantiū, ut hinc manifeste deprehendi posit, Galenum rosas in primo ordine refrigerantium posuisse, uerum cum à medio declinet in prima parte primi ordinis erit, de siccitate nihil exprimit Galenus, in tertio præterea de simplicium medicamentorum facultatibus libro cap. 9. docet oleum neque calidum, neq; frigidum esse ratione temperati hominis, rosaceum uero esse in primo ordine frigidum.* SE. *In summa igitur rosa magis exiccat,*

quàm

quàm infrigidet. BRA. Ita conſtat, Dioſcorides autem dicit magis adſtringere, quàm exiccare, idq́; ſicca magis facere. SE. Sicca, eſt ne magis frigida, quàm recens? BRA. Non eſt magis frigida licet magis ſicca ſit. SE. Argumēto quodā ducor, ut arbitrer, frigidiorem etiam cum exiccatur, quàm prius, nam cum exiccatur amaritudinem uel remittit, uel penitus amittit, cum uero amaritudo caliditati atteſtetur, remiſſa amaritudine caliditas᷑ ſimul remitti uidetur, & frigiditas ex conſequēti augetur. BRA. Et ſi amaritudo amittatur, tamē primi ordinis frigiditas ſeruatur, & ſiccitas potius augetur, quoniam ſuperficialis quædam humiditas remittitur, atque reſoluitur. SE. Hæc eſt igitur ſumma frigidam eſſe in primo ordine roſam, et in ſecundo ſiccam. BRA. Ita eſſe non dubito. HER. Ne prætermittas (obſecro) quibus nominibus apud alias nationes roſæ appellentur. BRA. À Gallis Roſzes dicuntur, ita ſcribentibus, ut nos elineauimus, quanquam nonnulli etiam ita ſcribant roſe, ſed illud, s, legunt, ac ſi, z, fuerit, & proferunt, quod plerunque faciūt Galli quoties, s, ſimplex inter duas uocales ponitur, Germani ros, uel roſen, primum ſingulare eſt, alterum plurale, ſunt autē qui aſperius illud, s, proferāt ac ſi noſtrum, z, ſit, Hiſpani ferè ut nos roſas uocāt, Cretenſes uulgo Roda dicunt, & Poloni Roza. Tu ò Senex quid in tua charta ſcriptū ſit proſequaris. SE. Nenuſar ſequitur. BRA. Ecce occaſionem præſentaneam habes, ex utraque ſpecie tibi copiam parare, quoniam cōuallis hæc, ad quam facilis deſcenſus offertur, his herbis ſcaturit alba. s. nymphea, & crocea. SE. Cur nympheam dicis? BRA. Quoniam quam uos corrupto uocabulo Nenuſar appellatis, antiqui nympheā dicebant, uerum barbaries in pluribus adeo nomina immutauit,

uit, ut nullam cum antiquis similitudinem habeant, in hoc autem aliquid similitudinis seruatur, ut Nenufar, *quasi nymphea dicatur, ex his duabus herbis flores, & radices colligere nihil impediet, nam foliorum usus (nisi uireant) in re medica nullus est, ipsis enim in æstuantibus renum caloribus utimur: in* Ferrariensibus *paludibus copiose nascuntur, si tamen hic præsentes colligere placuerit, libenter expectabimus.* SE. *Hunc descensum ægre fero, satis erit* Ferrariæ *colligere.* BRA. *Immo aptiores habent, et exquisitiores nostro cœlo uires: duo seruanda sunt ad medicæ rei usum, flores, & radices, folijs quãdo utitur quisquis, accipiat.* SE. *Quæ nam est nympheæ temperies?* BRA. *Ignoro an de flore, an de radice loquaris.* SE. *De flore, de semine, de radice, & omni parte.* BRA. Galenus *octauo de simplicium medicamẽtorum facultatibus libro, semẽ, & radices desiccare censuit, idq; citra morsum, unde sicca esse dicere oportet.* SE. *Res profecto mira, radicem illam siccã esse, quæ in aquis semper moretur.* BRA. *Immo est adeo exiccans, ut uentris profluuia cohibeat, addit & albam muliebri profluuio mederi.* SE. *Cur ergo* Auicenna *hanc herbam frigidam, & humidam esse in secundo ordine docuit?* BRA. *De flore loquitur non de radice, uel semine, immo alij ut ex* Serapione *cap. 143. uidere licet, frigidum in tertio ordine, & humidum in secundo fecere, & profecto his potius assentiendum est, qui frigiditatem illi condonant in tertio ordine, & eadem est in folijs qualitas, nam egregie infrigidant, & humectant, ut ego in frigiditate, & humiditate folia floribus præferre audeam.* SE. *Res mira mihi uidetur radices, & semen exiccare.* BRA. *Ne admiratione afficiaris, quoniam & alia multa, quæ in aquis nascuntur exiccant.* SE. *Flores*

calidi

caliditatē habere uidētur, cum & odorem habeāt. BRA. Is non est odor, tamen non negarem, & partem aliquam calidam habere. HER. Ne aliarum gentium nomina prætereas. BRA. In præsenti silebo apud nos uocari, Taiero d'acqua, uel Taierazo, sed referam Gallos, qui fere modo Arabum dicūt Nenusar iaulne, Neusar blanc, album, & luteum intelligētes. Saxones autem Germanorum partes selekenken appellant, alij in Germania populi Vuassermaehn, alij schebloumen, alij Sebbloum, quasi flores lacuum, albos autem à croceis distinguunt uocis, & Gelē uocis scheblum album significat, gelscheblum luteum, alij horuu urtz, alij horstrang, alij rolleruu urtz appellant. nā ut à principio te admonui fere tot sunt herbarum nomenclaturæ, quot urbes, Hispani ex Lusitania Golphano, Poloni Grzibenye, Lilien, Vodney, uocant. Tu ad reliqua transeas. SE. Buglossæ flores offeruntur, quid circū spicis? BRA. Spectabam an aliquo in loco huiusmodi flores uiderem, ecce ad illa sabuleta transeamus, ubi iam uideo purpurescere. SE. Transeamus, tamen potius sedere optarem. BRA. Nemo potest sedere, & herbas colligere, forte non ab re erit, si asellum hunc conscēderis. SE. Bona uenia conscendam, quum ætas id exigat. BRA. Ipsum herbæ nomen manifestum errorem ostendit: uulgus enim hanc buglossum, id est bouis linguā putat, quum nullam habeat cum bouis lingua similitudinem, sed potius canis linguæ similis est, eius enim folia longa sunt, ac stricta cuius figura linguam canis imitatur. Boum uero lingua latior est, nō tamen hæc dixerim, quòd cynoglossum Dioscoridis esse putarim: inquit enim cynoglosson caulem nō habere, ut nobis Ferrartensibus constat, in quorum agro cynoglosson in terra spinosum non nascitur: humi enim

stratum

stratum est,ut idem author refert , uerum herba à nobis buglossa noncupata,& caulem habet,& à terra multum eleuatur,ideo nõ est cynoglossum Dioscoridis. SE. Quid *ergo est?* BRA. Nihil *à me in præsẽti certi habebis.* SE. Hoc *mihi satis non est,quia quod collecturus sum, ignoro.* BRA. Huius *herbæ flores legito,quæ apud nos borago appellatur , nam apud* Dioscoridem *&* Plinium *buglosson est,*Cirsion *uero cum buglossa nostri temporis similitudinem habere uidetur,immo* Nicolaus Leonicenus *præceptor excellentissimus eam esse suspicatur , tum in hac re potius ipsi sensui,& antiquorum uerbis consentirem,quàm alicui alteri . id tamen non prætermittam, duo genera boraginis apud nos esse,quorum unum cirsion.i.magnũ buglossum,aliud buglossum apud antiquos appellari suo loco demonstrabimus.* SE. Optarem *ut hoc nunc efficeres.* BRA. Nolo *sermonem sermone confundere,alias herbas omnes tibi ad unguem ostẽsurum promisi.*Nunc *satis sit,eas herbas & simplicia recẽsere, quæ in uestris officinis uagantur.* SE. Quid *ergo de hac herba colligere oportet?* BRA. Flores,*herbam , & radices, nec tuam illam,aut communem buglossam prætermittas, ne alij medici à tua officina abigantur,quum abesse nouerint,præsertim illi,qui bonas literas negligunt.* SE. Hos *adeo paruifacere incipiam,ut nec obambulantes salutare uelim.* BRA. Nugaris,*nullus uel penitus ignarus despiciendus est,sed potius ad bonas literas hortandus,quas si amplecti uoluerit,felici omine incipiat,sin minus sibi imputetur.* SE. Futurum *spero,ut omnes ueritatem amplecti curent.* BRA. Ego *secus arbitror : quippe nonnullos cognosco,qui adeo fatuitates, & sophistica deliramenta imbibere,ut ueluti dibapha uestis, nunquam sint colorem*

amissuri. SE. Hos missos faciamus, & hic lege Dioscoridem, qui Cirsion non esse nostrum buglosson manifeste ostendit, nec etiam boraginem, inquit enim esse triquetrum. i. habere triangularem scapum, nostræ autem borago, & buglossa rotundum habent, nec etiam in his foliola sunt rosaceorum figura, nec aculeatis per interualla angulis. BRA. Immo adde ipsarum flores non exire postremo in pappos, nec in illos euanescere, sed hæ duæ herbæ potius in semen desinunt, quamuis in boragine nonnihil lanuginis sit. SE. Quibusnam qualitatibus herba illa insignitur, quæ uulgo borago nuncupatur? BRA. Galenus sexto de simplicium medicamentorum facultatibus libro illam facit calidam, & humidam, at in quo sit ordine non exprimit. sed alij in primo ordine talem esse censuerunt, quanquam non defuerint qui illam frigidam fecerint, ut Serapio cap. 83. refert ex sententia Alchãzi. SE. Hoc non mihi displicet si sanguinem purificare debet. BRA. Ergo frigida esse debent, quæ sanguinem puriorem reddunt? SE. Ita arbitrabar. BRA. Decipiebaris quoniam plerũque calidis utimur cum fuerit pituitosus, unde est herba calida, idem Paulus, & Aëtius ueluti ex uno tramite dependentes censuerunt. SE. Vnde habetur quod letitiam inferat? BRA. Si Galeno, Paulo, & Aëtio credimus, ob caliditatem quam habet, & humiditatem, nam Galenus præcitato loco inquit esse humidæ, & calidæ temperiei, itaque uinis iniectum lætitiæ, ac hilaritatis causa esse creditum est, ut hæc uideatur Galeni causa hilaritatis, quoniam humidam habet, & calidam temperiem. Paulus id clarius exprimit inquiens esse temperiei calorificæ, & humectantis, quamobrem in uinum deiectũ animi uoluptates, lætitiamq; inducere perhibent, & Aëtius

tius inquit calidi,& humidi temperamenti est,ideo uino iniectum;lætitiã,iucunditatemq; animi inducit,de qua lætitia arbitramur omnes prædictos à Dioscoride accepisse,id uero non accipere,quod illam inducat,quoniam calidum,& humidum sit,nempe dicit in uinum deiecta animi uoluptates auget,at quomodo id faciat quia calidum & humidum percipere nescimus,nisi dixerimus esse tẽperatæ caliditatis,& humiditatis propterea sanguinem in temperiem quãdam reddit in qua cum est, homines lætantur & spiritus habent lucidiores,qui gaudium quoddam inducunt,uel id habet ab intrinseca quadam natura, & proprietate,at hoc potius odoratis inesse uidetur,unde non ab re præcitati authores hoc non asserunt,sed ita perhiberi referunt. SE. Noui plures medicos,qui in calidis morbis boragine uocato usi sunt, non'ne errabant? BRA. Non profecto,nam caliditas huius herbæ in primo est ordine,et in prima fortaßis parte,unde respectu morborum calidorum frigida est,quippe,quæ primum ordinẽ non transeat,calidioribus,& frigidioribus comparata alterius extremi officio fungitur.Plinius qui ante Galenũ scripsit lib.25.cap.8. iungitur huic buglossos boum linguæ similis,cui præcipuum,quod in uinum deiecta animi uoluptates auget,& uocatur Euphrosinum,propterea et Dioscorides ob id Euphrosinũ uocari dicebat. SE. Quid de eo sentis,quod à Serapione refertur secundum Aben Mesuai boraginem purgare choleram? BRA. Si per purgare id intelligat,quod est bilem educere , Serapionem deceptum esse putamus & Abẽ Mesuai de alia re loqui, quàm de boragine herba,& est quod magis delirum est, inquit dosim eius esse à drach.iij.usq; ad quinque,& boli armeni drachmam simul misceri iubet,qui adstringit.

SE. Posset'ne in rectum aliquem sensum deduci Serapio? BRA. Posset equidem si per purgare, qualitatem rectificare intelligimus, quanuis non sit apud antiquos, uel rarus huius uocabuli talis usus. SE. Forte quod dicitur lætitiam inferre uini ratione fit, non ratione boraginis, cũ omnes authores concurrant, id facere uinis iniectum. BRA. Et uinum lætifiat cor hominum. SE. At quæ nam sunt uulgaris buglossæ uires? BRA. Sunt eædem feré, quas boragini. i. uero buglosso attribuimus, tamen magis temperatum est, uerum differentia adeo parua est, ut nulla sit distinctio consideranda. HER. Quibus nominibus ab alijs nuncupantur hæ herbæ? BRA. A Gallis Borago bouraches, ab Hispanis ex Lusitania berragenis, ab alijs lengua de boi, à Cretẽsibus uulgo borazena, à Polonis borak, à Germanis burretsch. Buglossa uero à Gallis eodẽ modo buglose proferendo, s, ac si sit, z, ab Hispanis lengua de uacca, ab alijs lengua de boi, à Polonis miodunka, & Volonij iazyк, ac si bouis linguam dixerint, à Cretẽsibus uulgo auoglosso, à Germanis ochs, enzung, uel gengenstas, dicitur. tu ad sequentem florem te præpara. SE. Flores stœcados sequũtur. BRA. Stœchas herba ipsa nũcupatur, recẽtes paßim genitiuo sticados pro recto utuntur, uide hic miram huius herbæ copiam, & recentium florum exuberantiam. SE. Certe pulchriores sunt, quàm unquam uiderim. BRA. Pulcherrimi omnino sunt, & apprime redolentes, & quanuis in insulis è regione Maßiliæ pulcherrimi nascantur, hic tamen non deest suus honos, in hoc monte colligito, nec multum referat, stœchas, uel stichas scriptum legeris, nomen est ab illis insulis acceptum ubi potißimum nascitur, quæ Stœchades appellãtur, & partes Galliæ sunt. SE. Quid seruaturus sum?

BRA.

BRA. Sūmos apices.i.flores,quibus si aliqua foliola inhæreant,ne curæ sit. SE. Iam satis superq; collegit Herbarius,uerum ab uno discrucior,quum in Gallia potißimum nascatur,cur Arabicū à Mesue cæteris præfertur. BRA. Pluribus locis nascitur,quanuis Dioscorides in sola Gallia nasci retulerit,sed ob magnam copiam,quæ est in Stœchadibus insulis ibi nasci dictū est,nō tamen inficiantur authores in alijs etiam locis,& copiosas,& electas crescere,ut in Arabia patrium sōlum Mesue, aut in proximiori parte,ideo non mirum,si ab Arabibus authoribus suum præfertur,quem præ manibus habent. SEN. Quibus uiribus stœchas insignitur? BRA. Auerrois quinto collectionum suarum, quoniam stipticitatē habet cum amaritudine , & aromaticitate,in primo ordine eorum, quæ calefaciunt poni debere censet,& in secundo eorū, quæ desiccant.easdem qualitates illi imposuit Mesue, cū ex partibus terrenis frigidis compositum sit, quæ paucā illi condonant stipticitatem,& ex partibus igneis tenuibus à quibus insunt ei acuitas,& amaritudo.SE. Nō possum non ambigere,an stœchas in primo solum ordine calidum sit. BRA. Non ab re ambigis,quoniam habet maiorem,quàm in primo sit ordine caliditatem,nempe probare nō est calidum esse clariori argumento,quàm ipsummet sese ostendat calidum esse,cū enim manditur,uel corpori applicatur,protinus absq; alia ratione calidum esse persentitur, & probatur. SE. In secundo igitur ordine calidum erit? BRA. Id arbitror,& Galenus in.8.de simplicium medicamentorum facultatibus libro inquit eius temperiem esse compositam ex terrena essentia frigida exigua,& altera terrena extenuata copiosiore,hanc alteram terrenam Arabes dicunt esse igneam tenuem , &

ideo supra primum ordinem caliditatem habere necessarium est. SE. Verũ quomodo id fieri potest cum adstringat, quod est frigidi opus? BRA. Galenus non uocat adstrictionem, quod habetur ex terrena essentia frigida, sed inquit esse mediocriter subadstringens, unde cum sit amarum, acutum, extenuet, & extergat ob hoc primum caliditatis ordinem excedit, & hoc sensu percipitur, neque aliqua indiget ratione, ut calidum esse probetur, & Dioscorides odorem acrem illi attribuit, ut ex his omnibus deprehendatur illi caliditatẽ inesse ex ipso sensu cognitam, quæ caliditas primum ordinem semper excedit, de siccitate uero idem cum alijs sentimus. SE. Est'ne uerum quòd bilem nigram educat, ut Mesue testatur? BRA. Nobis parcat recentiorum euangelista: id experiri uolui, & in substantia, & in decoctione in copia sumptum nihil penitus educit, nisi quispiam diceret aliud esse stœchas Arabum de quo Mesue, quàm id quod in Gallicis insulis ortũ ducit, hoc eodẽ nomine appellatur à Gallis, ab Hispanis eodem modo & à Germanis, quanquam & aliqui Hispani uocant cantuesso, cretenses paßim Dendroliuanon nuncupãt, Poloni xoczenxi, at in Polonorũ Pharmacopolijs distinctionem faciunt inter stœchas citrinum, & arabicũ primumq; uocant xoczenxi zolthe, secundum uero xoczenxi arabne, ad reliqua autem te accingas. SE. Flores anthos in meo hoc folio consequuntur. BRA. Quàm uane hi flores appellantur. nam anthos Græce idẽ est, quod apud latinos flos, ideo idem est flores anthos dicere, ac si dicas flores flos quemadmodum eodem errore recẽtes in amore superfluo, qui ægritudo est decipiuntur, ipsum .n. appellant amor eros, quum potius eros dicere debuissent de quo peculiare caput faciunt, ac si dicant amor amo.

SE. Ita nos solemus per excellentiam flores herbæ, quæ rosmarinus dicitur appellare. BRA. Tamen reperiuntur flores multo odoratiores istis, nec absolute flores dicuntur, nullus etiam author fide dignus hoc nomine utitur, licet Simon Genuensis per anthos florẽ rorismarini intelligat, sed nullum authorem sequitur, ab ipso autem pandectarius, & cæteri recẽtiores accipiũt. De hac herba Dioscorides sub nomine Libanotidis tractat, quam Romani (ut nos) rorem marinum uocãt, quod nomen à thure sumptum est, quod Libanum appellant, utpote quod una eius species thus redoleat, uel saltẽ eius flores, aut potius radix. tu ex hac herba, quæ in his montibus efficacior est, quàm Ferrariæ, flores seorsum, & folia serua, ad plura enim in re medica ualent, & flores acopis miscẽtur. SE. Quum Dioscoridem perlego, occurrit mihi nescio quid ambigui, inquit enim graui odore, at mihi suauis apparet. BRA. Non intelligit Dioscorides, hanc herbam graui odore insigniri, eo quod fetat, sed redolet, uerum cum quadam grauitate. habet enim nescio quid uehementis in odore, unde sua lingua dicit βαρύοσμα. i. odorata cum grauitate. ita enim commodius interpretabitur. SE. Aliter etiam nodus occurrit, nempe inquit folium habet intus candicans, extra uiride. at potius econtrario uidetur folium extra cãdidum, intus uiride, ego enim inferiorem partem foliorum extra, et exteriorem, superiorem intra, & interiorẽ putabam. BRA. Ita equidem est, & illa est Hermolai summi uiri interpretatio, quam legebas, immo & Dioscorides ita sua lingua dicit ἔνδοθεν λευκὰ ἐκ δὲ τῆς ἐκτὸς χλωρά, quem si nostra lingua ad uerbũ referamus, inquit, intus alba, extra uiridia, sed in his locis res intelligenda est, ut ab authore ponitur, nam per

ea in uocem ἔνδοθεν inferiorem partem per ἐκτὸς superiorem intelligit, quæ Hermolaus ad unguem non aduertit, nec omnia possumus omnes. ipse autem uerba potius, quàm rem considerauit Serapio cap. 327. egregie hanc partem interpretatus est inquiens (de libanotide loquēs) quorum color exterius est albus, & interius uiridis. Nūc Ferrariæ ex libanotidis floribus nonnulli pharmacopolæ zuccharum parant roborando uentriculo commodum & odoratum. S E. Nos quoque parare incipiemus, hic flores, & herbam colligentes, sed quænam est eius temperies? B R A. Serapio ex sentētia Aben Mesuai inquit esse calidā, & siccam in tertio ordine. S E. Id cogitare non possum quod tali sit caliditate, et siccitate prædita. B R A. De caliditate est uel in prima tertij ordinis parte, uel in tertia secundi, tamen de siccitate non puto secundum ordinem transire, uel secundam ordinis secundi partē. HER. Quomodo ab alijs nuncupatur? B R A. Galli Roumarin, Germani ut nos Rosmarin & similiter Poloni, & Cretēses uulgo, Hispani uero Romero dicunt. S E. Origani flores ad limen ueniunt. B R A. Nulla ferè herba est, & nulli flores, in quibus antiquißimi etiam authores magis dissentiant, quàm in origano, quippe si nunc tempus daretur hanc rem pertractandi, omnium in omni ferè specie opiniones dissentire ostenderemus, tu uero herbam, et flores colligito huius nostri uulgaris, quo utimur, & potius in his montibus, quàm Ferrariæ, hic etiam copia nō modica offertur, quem si gustu tentes, saporem alterum, & acutiorem in hoc montano persenties, quàm in nostro humido Ferrariensi solo, ideo & uires etiam exquisitiores hic habet. S E. Quam speciem hanc nostram uulgarem existimas, apud antiquos? B R A. Ea est, quam Origanū

Heracleoticam Dioſcorides appellat, ab Heraclea urbe Ponti, in qua perfectißima exuberat, tamē alijs plerisq; in locis naſcitur. SE. Vt diuerſæ ſunt origani ſpecies, itáne & ad diuerſas ægritudines ualent? BRA. Paulus Aegineta, qui de omni ſpecie origani ſimul agit in genere inquit omnes ſpecies origani incidere, extenuare, ſiccare, & calfacere. SE. Fieríne poteſt, ut una ſpecies altera efficacior ſit? BRA. Immo ita eſſe conſtat, nā Dioſcorides priuatim ſyluestrem origanum uenenatorū morſibus ualere tradit, flores, & folia cum uino bibita: & Plinius Tragoriganum pluribus priuatim conferre cenſet. tamen, & omnes aliæ ſpecies in idem concurrunt, ſed ne in tanta antiquorum differentia nunc uelimus ſententiā ferre, herbam & flores huius noſtræ uulgaris in his montibus colligere non deſinas, ſuo enim loco ſpecies omnes tanquam digito oſtendere, & authorum differentias cōciliare conabimur. SE. Iam ingentem copiam exaceruauit herbarius. BRA. In meum etiam uſum, ac gratiā partem accumulet, nempè eius puluis ſupra coctos mugiles ſumme placet, nec in placentis, aut phaſelis, alijsq; obſonijs immiſceri diſplicet. SE. Neapolitani hoc puluere frequētißime utūtur. BRA. Et græci intinctus plures ex origano parāt, uide hic mirā naturā, et ingēs odiū cū braßica, ubi uiret unū, alterū perit, et areſcit, en braßicæ iſtæ propinquæ aridæ ſpectātur. SE. Quæ eſt huius rei cauſa? BRA. Multarum rerum cauſæ reddi non poſſunt: non enim à cognitione oritur hoc odium, ſed potius ex quadā naturarum cōtrarietate, & dißidentia, ut lupus ouem odio habet, & Gryphus equum, ſunt nonnullæ manifeſtæ proprietates, quarum determinatas, & ſtatas cauſas philoſophorum præcipui inuenire neſcierunt. SE. Quæ ſunt

Origani

Origanì qualitates? BRA. Galenus.8. de simplicium medicamẽtorum facultatibus libro, exiccare, & calfacere in tertio ordine censet. SE. Auicenna ergo mentitur, qui in secundo tantum ordine calidum, & siccum facit Origanum? BRA. Decipitur omnino si montanum Origanum, & quod locis calidioribus ortum ducit accipiat, immo de Auicenna mirandum, qui Origanum adurentem facit, & in secundo ordine calidum esse fatetur, si de Ferrariensi loqueremur forte in secundo ordine calidum dici posset, at montanum, & quod ex Creta Venetias, & Ferrariam affertur in tertio ordine calfacit. Galenum secuti sunt Paulus, & Aëtius, & cæteri antiquiores Græci, & recentiores. HER. Satis mihi erit si aliarum urbium nomina edocueris. BRA. À Germanis Dosten, à Gallis Origan, ab Hispanis Oregano, à Polonis Czyruona lebothka appellatur. SE. Lilium ex nostro ordine sequitur, quod nos album appellamus. BRA. Nullus antiquorum album addidit, sed absolute lilium, aut lirium dicunt, adeo mire, & apte à Plinio descriptum capite quinto.xxi. uoluminis, ut eius descriptio cum natura certet. Fingunt ex lacte Iunonis dormiẽtis, in terra effuso natum, quum Hercules puer lac incerte, & uage, ut pueri faciunt, exugeret, unde rosa Iunonis dictum. Plures sunt eius species, at potissima hæc est, qua utimur, à Græcis Crinon appellata, flores potißimum colligas, ex quibus lirinũ, uel susinum unguentum fit, de quo Plinius cap.19.lib.21.uel succus, nos oleum liliorũ alborũ ita appellatum cõficimus, postea radices, quæ ueluti bulbi sunt, seruato, ad rẽ medicã aptißimas, ut Plin. ac Dioscorides testãtur, nec folia prætermittas, quorum succus dum uiridia, & recentia sunt, exprimendus, & aceto, ac melle in Aeneo uase coquendus contra

tra uetusta ulcera, nouaq; uulnera optimus, flores tătum colligere didiceramus, sed nunc folia etiam, ac radices non prætermittemus. SE. Alba lilia quam temperiem habent? BRA. Galenus distinctionem facit inter florem, radices, & folia, tamen de floribus agens actiuas, & passiuas qualitates non exprimit, quod mirum uidetur, Paulus & Aëtius easdem qualitates præteriere, hoc tantum à Galeno refertur citra morsum digerere, & emollire. SE. Cum hic flos digerat necessario calidus est, & cum emolliat humidus. BRA. Calidus quidem est, quia digerit, at humidum esse non est opus, ob id quia emolliat, nam Galenus de oleo loquitur ex floribus confecto in quo olei ratione uis emolliendi inest, & adde Galenum in quinto de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 8. differentiam ponens inter emollientia, & pus mouentia in hoc differre inquit quia emollientia calidiora sunt & moderate desiccant existentem in partibus humiditatem: pus uero mouentia corporibus quidem nostris similem colorem obtinent, tamen existentem in eis humiditatem seruant. SE. Simplex igitur aliquod medicamentum simul emollire potest, & esse siccum? BRA. Potest profecto, sed uehemens siccitas esse non debet, at moderata. SE. In quo ordine? BRA. Lilij folia in secundo, sed in parte prima, at flos eius in parte secunda, foliaq; & radix exiccant, & abstergunt, suntq; radices potentiores folijs, at secundum Galenum non excedunt primum ordinem abstergentium, id uero te latere non oportet, & lilij flores, & folia, & radices penitus ab humiditate non deseri, quæ in radice uehementior est, quàm in flore. HER. Aliorum nomina edoceas. BRA. À Germanis lilien, ut in en finiat, ab Hispanis quibusdam lirio, & ab alijs azuzenas

zenas, à Gallis lis blanc, à Polonis lilia biala, Cretæ paſſim ziglio, alijs crinus dicitur. SE. Meliloti flores lilium ſequuntur. BRA. Noſtri trifolij florem quendã colligunt quem Melilotum uocant, ita à Meliloto differentem, ut roſa à lilio, latini ſertulam campanam uocant, uel ſertam campanicam, Catone teſte, ſertam quia coronas ingrediebatur. Campanicã quia in cãpania oritur, præſertim circa Nolam eius regionis urbem, nõ multũ laudo, ut hic melilotum colligas, ſed in campaniam facile mittere poteris quum naues olei gratia Apuliam petent, nõ tamen ita in Cãpania (quæ nunc terra de lauoro dicitur) naſcitur, quin alibi naſci non poſsit. SE. Iubebo etiam ſemina afferri, ſed quum melilotus trifolij ſpecies ſit, florem luteum habens, & hoc trifolium ſit florem luteum habens, cur melilotus non eſt? BRA. Alia plura exigũtur, odora hunc florem. SE. Iam odoro, ſed nihil penitus, niſi herbacei offertur. BRA. At melilotus odorem habet quamuis languidum, arida autem diutius odorem ſeruat. SE. Hæc autem ſemper inodora eſt. BRA. Habet etiam melilotus pinguiſſima folia, quæ in noſtro hoc nõ extant, nec cana ſunt folia, ut Plinius illi attribuit cap. nono. 21. uoluminis, tamen ubique naſcitur apud nos, & noſtræ mulieres trifolium appellant. Germani uero bernchlele hanc noſtram melilotum uocant, tamen ſi ex genere meliloti ſit, iam degenerauit, nos autem uidimus, & habemus ueram ex Campania allatam, & eius ſemina terræ mandauimus, ſed degenerarunt in noſtro ſolo Ferrarienſi, tamen certum eſt trifolij folia habere, quod & nomen lotos oſtendit. SE. Tibi morem gerere ſtatui, quum nũtij occaſio offeretur, in Cãpaniam mittam, ut herba, flores, & ſemina afferãtur, ſed qua temperie inſignita eſt ſertula Campana? BRA. Gale-

nus

nus illam ferè temperatæ qualitatis facit, tamen esse calidiorem, cum in ea substãtia calida copiosior sit, quàm frigida, propterea & si nonnihil habeat adstringentis tamẽ digerit & concoqui, Paulus, & Aëtius ueluti Galeni simiæ idem referunt, Auicenna calidam, & siccam in primo ordine censet, tamen si Ferrariensem melilotum accipiamus cum & odore penitus careat, & non nihil herbacei sapiat putamus frigidæ temperiei potius esse, quàm calidæ. SE. Non possum ab hac sententia dimoueri, quin putem omne meliloti genus frigidum esse, nam à Dioscoride dicitur uim adstrictoriam habere, & omnibus inflãmationibis imponi, uerum si caliditate insigniretur inflãmationibus imponi non liceret. BRA. Dioscorides nõ dicit inflammationibus imponi ob frigiditatem, sed inquit inflammationibus imponi moliendi gratia, quippe antiquiores, qui ante Hippocratem scripsere inflãmationem uocabant tumorem durum dolentem. Sertula ergo campana calida est, & sicca in primo ordine, & in secunda parte illius ordinis, eundem qualitatum ordinem meliloto tribuit Auerois quinto collectionum suarum sub nomine Alchelilameleth, tamen ò uenerande Senex te magno fasse leuabo, nam & melilotum herbam, & flores, & semina ego met ex campania Ferrariam adduxi, cum. 1535. Romam, & Neapolim cum Illustriß. & excellẽtiß. Duce nostro Hercule. iiij. profectus sum, en & hic seruo in crumena, odora. SE. Certe redolet. BRA. Tamẽ Ferrariæ degenerat, neq; amplius redolet cũ in nostro solo semina terræ mandantur. HER. Non sinam uos loqui nisi aliarum gentium nomina edocueris. BRA. À Gallis etiam melilot, ab Hispanis, corona de Rey quasi corona regia, & ab alijs coronilla de Rey, à Polonis Noscrzyk, uel Noczser

zeu

zek, à Germanis Gelutele appellatur, ac si dixerint trifolium croceum. SE. Saluiæ flores sequuntur. BRA. Hæc herba in locis asperis nascitur, & hortis, quæ in hortis elelisphacus à Theophrasto uocari accipitur. 6. de historia plãtarum libro, syluestris autem ab eodem sphacelon appellari uidetur, quæ ad omnia in re medica efficacior est, ut suo loco exquisite edocebimus, tu nunc in hoc aspero loco, herbam, & flores colligito, quæ seorsum ad plura conferunt. Decipiuntur uero, qui uulgare nostrum eupatorium syluestrem saluiam putarunt, sed hæc est similis hortulanæ, nisi quod latiora, & maiora folia habet, quæ & in hortis etiam reperitur. SE. Saluiæ temperiem scire optarem. BRA. De hac nihil aliud à Galeno refertur, quàm saluiam euidenter calefacere, & leuiter subadstringere. SE. Erit igitur in secundo ordine calida, quoniam quæ euidenter calefaciunt, ut calefaciant probatione non indigent, & in secundo sunt calefaciẽtium ordine. BRA. est quidem in secundo, sed in tertia parte, & est in eodẽ ordine sicca, hæ qualitates & gustu, & applicatione manifeste deprehenduntur, à Gallis autem saluia songe dicitur, à Germanis salben, ab Hispanis ut nos saluia, & à Polonis, sed ponendo accentum supra, í, à Cretensibus uulgo phascomilea. SE. Tassi Barbassi flores accedunt. BRA. Nõ est opus in hac herba, quæ à Græcis phlomos, à Latinis uerbascum, à Galeno plomos appellatur, multũ immorari, & si uarias species habeat, quoniam eisdem uiribus insigniuntur, ad campestria igitur illa descenderis, flores per se, & herbam seruato, tamen marem potius quàm fœminam habere curarem, quia in omni ferè specie mare ineptior est fœmina, tamen ab authoribus nulla species altera efficacior probatur. SE. Phlomi temperiẽ

explicare ne pigeat. BRA. Recentiores frigidum esse et siccum in secundo ordine censent. SE. Galenus. 8. de simplicium medicamentorum facultatibus libro de prima, & secunda specie inquit folia digerendi uim habere, unde calida potius esse uidebuntur, quoniā digestio caliditate fit, & de omni specie simpliciter dicit, folia desiccandi, & detergendi uim poßidere, quæ siccitatis ratione possunt quidem desiccare, sed frigiditas detergere non potest. BRA. Et si phlomus sit frigidus, nonnullas tamen partes habet calidas ratione quarū digerit, detergit, & alia quædam facit, uerum in tota substantia frigiditas adest, & in prædicto ordine secundo, & in parte secunda, propterea & ambusta curari phlomo dicit Dioscorides, radicē quoque seruare oportet, si Galeno, & Dioscoridi aures præstabimus. SE. De phlomo quid inquiunt Arabes? BRA. De hoc non scribunt Arabes quod sciam, nisi illa sit herba, quā Auicenna libro secundo uocauit Busiri, uel Busiri, qui & si herbam non describat, tamen in proprietatibus, & specierū distinctione ex albis folijs, & nigris hæc esse uidetur, Germanorū pars illam vvulleraut, quasi laneam herbam uocat, nam ex ipsa lichnia fiūt, unde à Dioscoride lychnitis, & thryalis dicitur, cuius flos albus est, etiam à Germanis dicitur marghicherzen, id est Mariæ candela, alteram uero speciem purpureum florem habentem campulosam, & marien rosen, id est mariæ rosam appellāt. Hispani uero, ut latini ferè, & Galli melon blanc, Veneti quidam cherabustolon, Cretenses uulgo phlomo, alij Melissadru, Poloni Dzieuana, & Azeuana uocant. SE. Rubri papaueri flores accedunt. BRA. Nusquam apud antiquos sub nomine papaueris reperitur, Anemonē uocant, quoniam nunquam aperitur nisi flante uento, non

tamē hoc dico, quin etiam nouerim esse agreste papauer, uel papaueralida, de quo Dioscorides distincte ab Anemone tractat, uerum quod rubrum papauer dicimus, est Dioscoridis Anemone, quippe erraticum papauer duos tantum colores habet, rufum, & candidū. Anemone uero plures & præsertim rubrum, ut edocebimus, unde ex his constat rubrum papauer apud nos uocatum esse Dioscoridis Anemonem, cuius duæ species sunt, syluestre, id est sponte in incultis nascēs, & quod in cultis nascitur, syluestre hoc est, in hac rupe uirens, quod etiam frequenter parietes ascendit, hoc(si lubet)colligas, quoniam efficaciores uires habet, quàm cultis locis nascens, sed hoc ex coloribus species uariat, nam aliquæ puniceos flores habent, aliquæ subalbos, aliquæ lactescentes, aliquæ purpureos, nos Anemone utimur flores rubros habente, in triticis plurimum nascente, quam Dioscorides τὰ ἄνθη φοινικᾶ, id est flores puniceos habere dicit. Hermolaus Barbarus interpretatus est florem sanguineum, nam hic flos biliosum sanguinē repræsentat, nec ab re fortaßis ita Hermolaus interpretatus est, florem sanguineum, quoniam poëtæ ex Adonidis cruore natam uolunt. SE. Sum'ne tuo iudicio, alias species collecturus? BRA. Vt lubet, sed ego potius in Ferrariensi agro colligerem, ubi ingēs copia habetur. SE. De Anemones qualitate disseramus. BRA. Si Galeni uerba contēplemur est calidæ temperiei, quippe tales habet operationes, quæ non nisi à re calida fiunt. nā dicit uim habere extrahēdi, & attrahēdi, & ora uasorū reserādi, unde radix cōmansa pituitam euocat, & illa omnia facit, quæ à re calida fieri contingunt. Serapio capi. 72. de rubro papauere agens Galenum refert, & ea, quæ refert illa sunt, quæ in capite de Anemone scripsit, in his eadem

est ratio in quibus Dioscoridem *refert, quamuis authores istos parum fœliciter, ne dicam infeliciter referat.* At *secundum* Abem Mesuai *calida, & sicca est in primo ordine, immo & nos secundũ attingere censemus, nostræ mulieres rosellas appellant à rubore, uel quasi sint paruæ rosæ,* Germani *uero à strepitu, quem faciunt folia quoties imposita super manum, & altera manu percussa crepitant, claperrosen, id est crepitans rosa appellant, quamuis & proprium nomen* Germanum *habeant. huius floris, scilicet* Glitschen, *quod tamen & crepitu ducitur, alij dicunt* Ruchenschess, *uel raxetxraut* Galli, *ut nos, pauot rouge, & coquelourdes, uel cocles.* Hispani *nonnulli latinum imitantur, alij amapol,* Romani *rosam caninam uocant, quanquam & apud alios* Germanos *uuildt maen, & ab alijs corn rosen appelletur, nostræ mulieres pro decoranda facie aquam parant, antiqui* Aegyptij *ex hoc flore morbos hominum intelligebant,* Floro *teste: huius herbæ in re medica usus est radice, folijs, flore, immo antiqui florum uires breuibus transigunt, circa herbam, & radices uires edocentes. tu autem, ne in hac re nimis immorari uideamur, ad alios flores trãsire coneris.* SE. *Croci flores colligendi.* BRA. *En circa hanc semitam, propè illũ* Fonticulum, *quomodo terram pingant consideremus.* SE. *Re uera croceus ille color uiridi mixtus perpulchram picturam efficit.* BRA. *Ibi flores, & bulbosas radices seorsum collige, que ad ciendam urinã cum passo apprime ualent, nec multum refert, montanum aut satiuum seruaueris, degenerauit autem quod nostræ mulieres* Gruogo, *quasi crocum appellãt, iam cœpit* Ferrariæ *plantari, nec modicus est prouentus.* SE. *Quę nam sunt croci proprietates?* BRA. Galenus *septimo de simplicium medicamentorum*

facultatibus libro crocum facit in secundo ordine calidū, & in primo siccum, uerum & aliquid habere frigidi non negat, quo parum adstringit, à Galeno Auerrois quinto collectionum ad uerbum ferè accepit. SE. Mirum uidetur quomodo poßit sua illa adstrictione, & stipticitate ad coctionem adiuuare, ut Galenus refert. BRA. Si ea legisses, quæ in Galeno sequuntur, tuæ ambiguitatis rationem adnotasses. Nam in Galeno sequitur. quippe quibus medicamentis, cum non admodum excalfaciant, paucula adest adstrictio, ea parem facultatem habent essentijs emplasticis uocatis, quas cum iunctas esse caliditati non uehementi contigerit, pepticas, hoc est concoquentes esse ostendimus. SE. Nondum rationem capio, quomodo adstrictio illa pauca coctionem adiuuet. BRA. En ex illa adstrictione in meatibus insensibilibus immoratur, ex qua mora coquit, & emplasticum id est, quod talem habet stipticitatem, unde medici paßim in emplastris, quæ maturant crocum addere solent. SE. In qua parte ordinum est? BRA. In secunda secundi ordinis parte, & in fine primi ordinis siccitatem habet. Galli Arabico nomine utuntur, ut nos etiam uulgo zapharan dicentes, sed sequenti modo scribunt ssaffran, ita enim & apud Mauritanos ferè dicitur, Germanorum uero pars etiam saphran, Hispanorum autem cafran appellāt, alij uero zaphrano, Poloni & ipsi szaffran dicunt. SE. His sambuci flores adnectuntur. BRA. Sambuci duas species antiqui fecere, maiorem, quæ arborescit, hanc nunc quæris, & minorem, quæ ebulus etiam uocatur, unde à Græcis χαμαιάκτη. i. humilis sambucus ἄκτη enim sambucum dicunt, eædem insunt uires ambabus speciebus. ne sis autem floribus contentus: sed radicem quoque atque fo-

lia

lia seruato, quæ in re medica seorsum ualent, teneros caules asciliticis relinquas, & granorum etiam succum, cum maturuerint exprimito, ad capillos inficiendos aptum. apud antiquos nulla est pro modica re florum recordatio, nunc uero ipsi solum expetuntur, nos uulgo uacolas appellamus, quibus mulieres pastillos, ex ipsis ouis, & caseo in mense Maij, *& quandoque lac addentes parant.* SE. Ex *interiori cortice succum etiam pro ascitis, & ex medulla puluerem seruabo, quin etiam uirgas collecturus sum, pro baculis ad podagricos leuioribus parandis.* BRA. V*ideris ex pharmacopola lignarius faber euadere.* SE. Hoc *ago ut nihil meæ officinæ desit, quod ægris aliqua in re conducere posit.* HER. Hoc *ipsi concedatur: sed baculos* Ferrariæ *accipiemus. ne tu aliarum gentium nomina deseras.* BRA. Germani *sambucum holder appellant ex concauitate, unde ridicula ex eo nomine fingunt, & ferè ænigmata.* Hispani *xabugo, sabuco,* Galli *uero surean, alij susean,* Poloni *bess, alij bez,* Cretenses *uulgo chaphoxillia, at ebulus à* Gallis *hiebbe, à* Germanis *attich, à* Polonis *chebd dicitur.* SE. Quæ *nam est sambuci temperies?* BRA. In *sambuci, atque ebuli qualitatibus* Arabes *à* Græcis *dissentire, & non mediocriter uidentur, nam* Auicenna *secundo canone. 619. capite, omnem sambuci speciem calidam, & siccam in tertio ordine facit, uerum si* Dioscoridem *consideremus sambucum frigidum esse colligemus, nempè cum primo de sambuco locutus esset, de ebulo postea egit, inquiens in utroque. s. sambuco, & ebulo, natura usus[que] pares exiccant, adstringunt, refrigerant.* Expresse *igitur ex* Dioscoride *habetur refrigerare, & ex* Auicenna *calefacere.* SE. Cui *ergo potius assentiendum est?* BRA. Vulgus *medicorum*

Auicennam ſecutum eſt, & certe non dubito eſſe calidã. non tamen in tertio ordine, quod autem ſicca ſit nullus ambigit. SE. Si aquas trahunt cur calida non ſunt? BRA. Quis unquam diceret ſyrupum roſatum ſolutiuum eſſe, calidum tamẽ aquas mire educit? SE. In quo igitur qualitatum ordine, utranque ſambuci ſpeciem eſſe iudicas? BRA. In ſecundo calidas, & in tertio ſiccas, unde & Galenus dicit habere potentiam exiccandi, & conglutinandi, & modice digerendi, hoc quod dixit modice digerendi, oſtẽdit caliditatem uehementem non habere, quanquã neceſſarium non ſit uehementer calida multum digerere. At utranque ſpeciem eſſe calidam per applicationem ad corpus experientia oſtendit, pro Dioſcoride autem dici poſſet, & partes aliquas frigidas habere. SE. Zeneſtræ flores ſequuntur. BRA. Geniſta & ſpartum rectius dicitur, in re ruſtica pro ligandis uitibus apta, hunc locum incultum accedamus, ubi magna copia uiret, flores, et ſemina ſeruabis, quanquã & Ferrariæ nunc innaſcatur, & in omni horto magna copia uireat, nec prætermittendæ uirgæ, quæ in aqua maceratæ, & expreſſo ſucco ad anginas, & coxendicum dolores ualent. Radicum nulla mẽtio apud antiquos eſt, quibus tamen plærunque ad educendam aquam intercutem uſus ſum, an uero proprie differentia ſit inter ſpartum, & geniſtam, ut Plinius, & recentes exiſtimarunt, & de duplici eius genere, in eo libro pertractabimus, quo herbarum diſcrimina, & ſpecies aſsignare iam cœpimus. SE. Priuſquam ad alia te conuertas de Geniſtæ qualitatibus loquamur. BRA. Nõ poſſum non ualde mirari de recẽtibus, qui Dioſcoridem adducunt de Geniſta loquentem, & inquiunt calidam & ſiccam eſſe in ſecundo ordine edocuiſſe, cum tamen de eis

qualita

qualitatibus à Dioſcoride ſermo factus non ſit, tamen colligi poteſt ex his, quæ de illa refert eſſe calidam & ſiccam, cum inquit purgare ellebori uice, & iſchiadicis ualere. SE. Eſt'ne in illo ordine? BRA. Eſt quidem, ſed & in tertia illius ordinis parte, Meſue in capite Altrain, quod uocat capiſtrum arborum dicit eſſe calidæ, & ſiccæ temperiei in ſecundo ordine, & ipſe quoque in his qualitatibus Dioſcoridem adducit, ut inde ſuſpicatus ſim recentes non uidiſſe Dioſcoridem, ſed ſolum Meſuem Dioſcoridem adducentem. Galenus dicit, & fructum, & ſuccum non inſtrenue eſſe trahentis facultatis quod temperiei calidæ inditium eſt. Galli geneſt appellant, Germani uero genſter, & Poloni geneſta. SE. Lambruſcæ flores ad limen ueniunt. BRA. In hac re plures optimi uiri decepti ſunt, uitem ſylueſtrem cum labruſca confundentes, immo non ſolum recentes ut Serapio, ac Arabes, ſed & Plinius propter hoc nomẽ deceptus bis de hac re ſermonem fecit uigeſimo tertio uolumine, capi.2.et.27.capite 7. ſed nobis nunc opus non eſt opiniones authorum recẽſere, uocabulum hoc ἄμπελος ἀγρία.i.uitis ſylueſtris æquiuocum eſt, nam herbam quandam ſignificat, quæ uitis quidem non eſt, ſed ob fructum racemoſum uitis appellatur, quum tamen folia uitis non habeat, ſed hortenſi ſolano ſimilia ſint, alterum ſignificatũ eſt labruſca à Gallis reſin ſalue nuncupata, à Germanis etiam nomen non habet niſi ex uite, & ſylueſtri compoſitum à Polonis kalyna dicitur, in Creta paßim ἀθὸς τοῦ ἀγρίου κλιμάτου uocatur, quæ à domeſtica uite nihil differt, niſi quia ſylueſtrem habitum habeat, nec colitur, & non modo hæ duæ agreſtes uites figura differunt, ſed & uiribus: nam illa calidißima eſt, & ui cauſtica, & depilatoria inſigni-

tur hæc autem frigida, & adstrictiua. Dioscorides etiam agrestis uitis duo capita fecit, unum in quarto libro, ubi de herbis agit, alterum in principio quinti uoluminis, ubi de uitibus pertractat, flores huius herbæ, qui non peruenerint ad maturitatem, colligito: uerum folia, & palmites, & capreoli in medicinæ usum seruantur. fit ex Oenãthe. i. labruscæ flore oleum, ac unguentum: appellant enim labruscæ flores oenanthe, quãuis & herba sit eiusdem nominis, cuius Dioscorides libro tertio meminit. mirandum tamen de Marcello, qui in oenanthe. i. labruscæ flore dicit se nunquam legisse apud Dioscoridem herbam aliquam, quæ oenanthe diceretur. SE. Ex his, quæ edocuisti in Serapione mirum errorem percipio, is enim uir hæc duo genera agrestis uitis confundit. prius enim inquit agrestem uitem folia habere solano similia, quod uerũ est in herba iam dicta, postea huius herbæ uires scribit, mox flores describens, & quomodo fructus faciat, de labrusca. i. de ea uite syluestri, quæ inter uites nuncupatur, pertractat, immo quod mirum est, inter uites de illa syluestri loquitur, quæ herba est, & illi contrarias uires assignat. BRA. O beate senex in hac re optime sentis: utinam alij non essent adeo ceruicosi ut rem non aspernarentur, ita enim quisque incorruptam ueritatem cognosceret, sed pauci sunt, qui norint uera bona, ideo & tu quæ prædicta sunt boni cõsulas, & alios flores numera, quũ Ferrariæ labruscæ copia scaturiat. SE. Labruscæ qualitates non prætereantur. BRA. Si de matura uua loquamur calidam, & humidam esse fatemur, uerum priusquam maturescant & uua omphacia dicitur. frigida est, at flores sunt in primo ordine calidi, & sicci, cum & redoleant, & quadantenus adstringant, quæ adstrictio

in ex

in extremis terminibus potißimum uiget, quæ ἀκρέμονας Græci uocant. huius uitis racemi (ut sexto de simplicium medicamẽtorum facultatibus libro Galenus refert) uim habent extergendi, idq; experimento comprobatur si quis succo putaminis nucum manus infectas habet, his racemis extergunt. SE. Balaustium occurrit. BRA. In hoc flore apud Græcos, & latinos differentiam uideo quippe Theophrastus, Dioscorides, Paulus, & Aëtius flores mali punici duobus nominibus appellant, balaustium, & cytinum. cytinus est flos domestici, & satiui mali, balaustium syluestris. intelligunt uero per florem non foliola illa tantum, sed & calicem qui pomum efficit: cuius rei argumentum est, quod Dioscorides comparans uasculum hyoscyami in quo semina sunt cytino comparat, certum uero est in foliolis illis non esse semina, sed in calice, Plinius autem inter latinos præcipuus decimo septimo capite uoluminis decimi tertij balaustium mali punici florem simpliciter nominat, nec inter satiuum, & syluestrem distinctionem facit, quem omnes recentiores medici imitantur, per balaustium cuiusuis mali punici flores intelligentes, idem Plinius capite sexto uigesimi tertij uoluminis, cytinos appellat primos huius pomi partus florere incipientis, balaustium uero flosculos in hoc ipso cytino, antequam malum ipsum prodeat, erumpentes, ex Plinio nihil aliud intelligere possum, quàm cytinum esse florem ipsum nondum apertũ, & qui foliola illa rubra non emiserit, postquam uero erupere, & iam foliola rubescunt, balaustium dicitur, forte cytinus appellatus, quia eo colore uestes tingantur, aut à κύτος, quod Græcis ambitum, & captum significat, quia intus fructus, uel florem capiat. Galenus sexto de

simplicium medicamentorum facultatibus, dicit balaustium flos est agrestis punicæ, sicuti domesticarum cytinus, nunc uulgato nomine apud Pharmacopolas utamur, tam domesticos, quàm syluestres nomine balaustij intelligentes, ita enim & Galli communi nomine balaust, & Hispani flor de granada, & Germanorum pars balausten (his enim ob ingentißima frigora magna Germanorum pars caret) appellant. Cretenses uulgo ῥογδόπουλα, & Poloni balaustias dicunt. eadem uis domesticis, & syluestribus inest Dioscoride teste, quamuis ego maiorem uim adstrictoriam syluestri tribuerem, syluestres hic colliges, domestici Ferrariæ habentur, nunc Venetias ex Creta, ex alijs orientalibus partibus ualde punicei afferuntur, quos proprie balaustia nonnulli pharmacopolæ censent, quum reuera, & apud nos balaustia. i. mali punici syluestris flores sint. SE. Ex his arboribus quid colligendum censes? BRA. Nunc flores cum maturuerint, poma, succum, mali corium, & cicum. i. pelliculam acinos interstinguentem, quæ & ipsa rei medicæ conducit, nunc etiam balaustij succum parare poteris, & pro commodo seruare. SE. Ad balaustij qualitates te conferas. BRA. Galenus sexto de simplicium medicamentorum facultatibus dicit Balaustium strenue exiccare, & refrigerare: unde Auerrois in quinto collectionum suarum frigidum in secundo ordine, & siccum in tertio esse censet, at cum hoc non sit strenue refrigerare, propterea in tertio ordine frigidũ esse dicimus, & forte in media parte potius, quàm in prima, & ideo ab Auicẽna dissentimus, qui frigidum esse in fine primi ordinis scripsit, & in secundo ordine siccum, alij frigidum & siccum in secundo ordine Balaustium faciunt. SE. Hæc de Balaustio satis sint, flores

res sequuntur quos cheiri dicunt. BRA. De his, cum uiolas colligebas nonnulla disseruimus, quæ enim à Græcis leucoia, ab Arabibus cheiri appellantur, hoc manifestißime apparet Serapionem legēti, qui primo species per colores distinguit, ut Dioscorides facit, inde illa ipsi attribuit, quæ Dioscorides leucoijs, & eundem modum insidendi mulieres in decocto, laudatq; citrinum, Dioscorides, & ipse luteum laudat, unde cheiri corrupto uocabulo idem est, quod leucoim, uel sicut in Græco ex albo denominantur leucoion, quãuis aliæ species albæ non sint, ita in Arabico cheiri, id est albæ nominantur, quia cæteris pulchriores sunt, non efficaciores, ut nonnulli putarunt, quia antiqui luteas magis laudant, & nunc medici eis potißimum utuntur, unde non immerito Galli à luteis nomen dederũt ipsas uiolette iaulne appellantes, & lusitani goiues, quasi giluas dicunt, alij uero alhaytis uocant. Germani autem gelbueil, aut geluiol, aut geel, id est luteæ uiolæ. nam gelb uel geel apud ipsos luteum significat, ueil, uel uiol uiolã, quãuis & uiolaten dicant, unde & uolarum diuersitates, ipsi per colores præpositos faciunt, ut blau uiolaten, Gel uiolaten, Brun uiolaten, id est albas uiolas, luteas uiolas, nigras uiolas, Venetijs uiole giale, in Creta paßim chitrines uioles, Neapoli fiore de bacca, apud Polones zolte fiolki dicuntur, flores, folia, ac semina condas. SE. Est'ne hic idoneus locus, unde colligam? BRA. Non modo idoneus, sed adeo perfectus, ut nullibi perfectiores nascãtur, præsertim quia mõtani in hoc genere cæteris præualẽt: non enim in Ferrariensi sõlo ita efficaces sunt, utpote humili atque humidiori. an uero flores illi, quos Iesminos nunc appellamus antiqui gelseminos sub leucoijs poni debeant in præsenti disputandum nõ est, & si prius sub uio

larum

larum uocabulo cõprehendi animaduerterimus, nusquam enim à Dioscoride iasmini recordatio fit, nisi quod primo libro iasmini unguẽti meminit, qui autem à uiolis, & leucoijs, iasmini distincti uideantur, id testimoniũ esse potest, quod Serapio tria diuersa capita facit, unum de senestegi, quod illi respondet, quo de ἴον, id est uiola Dioscorides tractat. Mauritani enim senestegi uiolam dicunt, aliud de cheiri, in quo Dioscoridem in leucoio præcise imitatur, et tertium ab his distinctum de zambach, uel sambach, id est iesemin, in quo capite ostendit manifeste rem esse à Dioscoride, & Galeno non pertractatã, quoniam Arabum testimonio tãtum utitur, & quamuis species distinguat per colores, ut in leucoio fit in album, citrinum, & cœlestis coloris (ut eius more loquar) tamen hic album citrino præmittit, sicut in leucoio citrinum albo, id autem oleũ quod à Græcis iasminum uel unguentum dicitur ab Arabibus zambachinum, uel sambachinum appellatur, magno ægrorum discrimine, ex crassa plurium medicorum ignauia, qui rerum nomina nescientes pro eo sambucinum oleum accipiunt, quum diuersæ sint huic, & illi uires. decipiuntur autem ex nominis ferè affinitate, sambacinũ, & sambucinum à sambuco, sed hæc aliàs, tu interim alios flores enarra. SE. Cheiri temperiem scire optarem. BRA. Calidæ temperiei esse ex Galeno colligitur, quoniam extergit, crassas cicatrices oculorum extenuat, menses mouet, & locos, partumq́; emortuum elicit, & facit abortum si bibatur, hæc non nisi à re calida fieri possunt, unde Auerrois in quinto collectionum, nõ immerito in secũdo ordine calidum esse iudicauit, & adde in eodem ordine siccum, uerum in media huius ordinis parte, amaritudinem habet, hæc uero de luteo leucoio semper intelligẽda sunt,

quo nos utimur, & uos in officinis seruatis. SE. His prætermißis quæ ad cheiri temperiem attinent, ad aliud descendamus, quod mirum mihi uidetur, nempe argumentũ tuum considerans, quo probas Dioscoridem, & Galenum ignorasse gelseminum, satis ineptum esse nemo dubitabit, si recte consideretur: ita enim argumento uti uideris, Serapio Dioscoridem non adducit, neque Galenum, igitur Dioscorides, & Galenus gelseminum ignorarunt, ac si necessarium sit Serapionem Græcos semper adducere deberet, si res illa Græcis nota sit, & si à Serapione non adducantur, res illa Græcis sit ignota. BRA. Argumentum nõ intelligis: nõ enim dico, Dioscoridi, & Galeno fuisse ignotum gelseminum, quoniam à Serapione non adducantur, sed dico gelseminũ ab his autoribus non fuisse descriptũ, nam Serapio utr diligentißimus, ubi Dioscoridem, & Galenum de re aliqua scribentes offendit, illos ueluti probatißimos testes adducit, cum uero illos non adducit, ut in gelsemino facit, & præterea cũ nullus ad hæc usque tempora gelseminos particulariter inuenerit, signum est hos authores gelseminum non dico ignorasse, sed non descripsisse, neque mentionem aliquam, quæ ad gelsemini cognitionem ualeat fecisse. SE. Iam flores expediti sunt, quorum apud nos usus est. BRA. O` mira, & nimis decurtata res, tam paucos flores in officinis habetis? tamen infinitæ herbæ sunt, quibus odorati, pulcherrimi, & in re medica efficaces flores insident. SE. Posteaquam hanc artẽ exercere cœpi, quod à primis unguiculis ferè fuit, nunquam alios flores legi, aut ab alijs pharmacopolis seruari percepi. BRA. Arabes rem medicam plurimum decurtarunt, quorum uestigia pharmacopolæ imitantur, uerum post flores quid collecturus es? SE. Quod in meo libel-

lo ſcriptum erit: BRA. *Quid inquam illud eſt?* SE. *Si prius labia in hoc fonticulo abluero, cætera proſequi incipiam.* BRA. *Abluas mihi potius bibendum eſt.*

IN SEQVENTI PARTE HERBAE ADDVCENTVR.

SE. *Herbæ poſt flores ſcriptæ ſunt.* BRA. *Nec omnes in his montibus inuenies, immo & ſi hic uirerent nonnullæ, alibi tamẽ petendæ, quia plures in humentibus locis, planis, frigidis, & conuallibus efficatiores uires habent. Eia Senex optime tuas herbas numera.* SE. *Numerabo equidem, ſed nullo ordine ſcriptæ ſunt.* BRA. *Ergo flores imitantur.* SE. *Imitantur quidem in ordine, qui nullus eſt, nam ut pyxides, & ſaculi ſe offerebant, ita ſcribebantur.* BRA. *Tamen aliquis ordo eſt omnia abſque ordine diſponere, quippe in inordinatione ordo ſeruatur. at his cauillis omiſſis, iam ipſas herbas uocare incipias.* SE. *Saluia uelut omnium anteſignana in hoc catalogo uexillum fert.* BRA. *Hanc in floribus copioſe collegiſti.* SE. *Copioſe quidem ideo aliàs herbas proſequar, roſmarinus, borago, bugloſſa, origanus.* BRA. *Quid opus eſt hæc iterum enumerare cum in floribus collectæ ſint?* SE. *Nolui quicquam prætermittere, ut nihil noſtræ officinæ deſit. nullus enim eſt in auctario error, ſed magnus in herbarum defectu. Endiuia, & cichoreũ ſequuntur.* BRA. *Optime duo hæc ſigillatim numeraſti, à græcis ambo σέρις appellantur, à latinis intubus. in ſatiuum, & agreſtem diuiditur, agreſtis apud Ferrarienſe uulgus ſylueſtris radicula nuncupatur, ab authoribus picris, & cichoreum, quamuis nonnullæ etiam urbes in Italia ſua uulgari lingua cichorea uocent, ut Romani, Neapolitani, Tuſci, & plures*

alij

alij, eodem modo Galli cicoree dicunt, & Hispani, Germanorum uero pars uueguuardt appellat, quasi custodē uiarum, nā uidetur ferè indicare uiam peregrinis, à profundioribus uero Germanis, ut Saxones sunt hirtlaup dicitur ab alijs craßiusculè uuege uuisse, quia uiam etiam demonstret Poloni podroſznyn uocant, Græci tamen per cichoreum tam domesticum, quàm syluestre intelligunt. satiuū duplex est, unū latiora folia habēs, lactucæ similius, quod nos endiuiam corrupto uocabulo, quasi intubum appellamus, Hispani ex Lusitania Almeyrorem, à Gallis endiue, à Germanis addito enim endiuen, à Polonis uolecz dicitur. Alterum strictiora folia habet, quod radiculam hortēsem uostra lingua dicimus, uel radechio, à multis capillamentis per radicem transeuntibus, hæc igitur cōmunia uocabula sunt, seris, intubus, cichoreum, sed usus fecit, ut apud nos cicoreum, syluestrē radiculā significaret, quam picrida Græci uocāt, Latini, ut Celsus Ambubeiam appellare uidentur, Germani plures præter dicta nomina hindeleff. intubus uero, aut seris eam significat, quam corrupto uocabulo endiuiam dicimus, ex his herbis, & radices colligito, quæ in Ferrariēsi solo efficaciores existūt, præterea expressum succum ad multos usus serua. SE. Quænam est cichorij temperies? BRA. Galenus in octauo de simplicium medicamentorum facultatibus, in secundo ordine frigidum, & siccum esse fatetur, at domesticum syluestri magis refrigerat, syluestre etenim magis amarum est, domesticum præterea ob multam humiditatem admixtam, ut syluestre siccum non est, hæ uero qualitates in secunda parte illius ordinis sunt, à Galeno Paulus differt, qui lib. 7. cichoreum in primo refrigerantium, & exiccātium ordine esse fatetur, hoc forte est quum de domestico

intelligit,

intelligit, prius enim de cichoreo loquitur sub hoc nomine cichoreum inquiens κιχόριον, ἢ πικρὶς, οἷον ἀγρία σέρις ἐστὶ, ψύχουσά τε, καὶ ξηραίνουσα κατὰ τὴν πρώτην ἀπόστασιν, id est cichoreum, uel amara, ueluti syluestris seris est, in primo refrigerantiũ, & exiccantiũ ordine, ut ex his colligi liceat de domestico uerba fecisse Paulum, quia illud syluestri seri comparauit. SE. Ex his tamen, quæ adduxisti ellici non potest Paulum cum Galeno conuenire, quoniam utrunque genus à Galeno frigidum in secundo ordine, & siccum iudicatur, immo facit magis frigidum domesticum, & minus siccum ob cõmixtam, quam habet ex irriguis hortis contractam humiditatem, in hac etiam re apud Aëtium sententia est secundum Galenum non recte expressa. nam de domestici siccitate loquens Galenus inquit, sed & humiditatis multæ admixtio siccitatẽ extinguit. Aëtius uero ita refert Hortense, quod proprie seris dicitur multæ humiditatis admixtione magis refrigerat. Galenum potius sequi debemus, quoniam siccum & humidum, cum calido, & frigido stare possunt, humidum uero siccũ extinguit. Paulus præter hæc in seride inquit frigidi admodum, & humidi esse temperamenti, serim forte intelligit, quam endiuiam uocamus, uerũtamẽ, & ipse Aëtius syluestre cichoreum frigidum, & humidum, primo ordine statuit. Ex his ergo in nostra arte proceribus, cui potius inhærendum est? BRA. Galeno omnium, qui res experimentis, ac ratione probarunt facile principi, is in secundo ordine siccũ, & frigidum facit cichoreum. id uero prætereundum non est, tempore æstiuo cum magis amarescit minus frigidum esse, ut quispiam ordinem primum non excedere hinc arbitrari posset, de ipso fortasse in tali tempore intellexere Paulus, & Aëtius,

uel cum ſub nomine ſeridis, & noſtra uocata endiuia, & ſyluestris, & domeſtica radicula intelligantur, hi authores modo unum, modo aliud accipientes, modo frigidum, & ſiccum, modo frigidum, & humidum faciunt, unde & Auicenna, qui omnes has ſpecies ſimul confudit, de endiuia inquit, endiuia frigida eſt in primo, & ſiccitas ſiccæ eſt in primo, & humiditas humidæ eſt in fine primi, & hortulana quidem eſt frigidior, & humidior, & eius quidem amaritudo in æſtate fit fortis, & declinat ad paruam caliditatem, quæ impreßionem non facit, ſylueſtris uero eſt minoris humiditatis. In ſumma igitur cichoreum, quo utimur ſi ſylueſtre ſit frigidum, & ſiccum eſt ſecundo ordine. Domeſticũ qualitates has remißiores habet, tamen nõ minus ſecundo ordine, ſed in prima eiuſdem ordinis parte, ſicuti ſylueſtre in ſecunda parte, endiuia frigida eſt, & humida ordine primo, uerum quæ ſub terra ſeruatur, ut albeſcat, & mitior efficiatur, has qualitates magis intenſas habet, uerum caliditate aliqua prædita eſt cuius ratione abſtergit, & aperit. SE. Eſt ne uerum ſpeciem heliotropij cichoreum eſſe? BRA. Id plerunque obſeruaui, ſed nunquam uerum eſſe percepi, quanquam ab authoribus certum eſſe ſcribatur, ſed hoc nihil ad rem tuam. SE. Ergo ſcolopendra ſequitur, quam ſiniſtrorſum in illo umbroſo loco uirere cerno, præſertim lapidibus inhærẽs. BRA. Et tu ex illis es, qui ſcolopendrium hanc herbam putant? SE. Nec aliud unquam audiui, aut noui. BRA. Illam ergo eſſe putas, quæ à Dioſcoride Aſplenon appellatur? SE. Illã inquam. BRA. Et tu ſumme erras, ſed utinam error in legenda herba tãtum eſſet, audias uero quo modo illa non ſit ſcolopendrion, quam uos in officinis habetis, & à Gallis etiam ſcolopendre appelletur, à Germa

nis

nis uero hirszung, quasi lingua cerui dicant, à Polonis etiam ielenijyanzik, id est lingua cerui uocatur. Neapoli uero herba scritta dicitur, & Venetijs nomen seruant linguam ceruinam dicentes. SE. Libenter hoc audiã. BRA. Dioscorides folia similia scolopendræ animali habere tradit. SE. Et habet nescio quas lanugines in auersa parte, quæ huic animali aßimilantur. BRA. Sed hoc non est habere folia huic animali similia, sed potius aliquid in folijs huic animali simile habere: quæ autem sequuntur apertius te mouebunt, addit Polypodij modo incisuris diuisa. SE. Nulla est huius herbæ cum polypodio affinitas, nec incisuras habet. BRA. Sequitur ex inferiore parte aspera, & flauescens, superiore uiridis, quod in uestro hoc scolopendrio non inuenitur. SE. Nihil ad me modo eisdem uiribus muniatur. BRA. Immo cõtrarias habent, quoniam hoc scolopendrium quod legere parasti constrictiuã uim habet, & dysentericis prodest, medici autem tãquam herba aperiente, lienes dissoluente, & calculos frangente utũtur. SE. Hic esset execrabilis, & nefandus error. BRA. Immo est, & nescio cur medicos non pudeat simplicium medicamentorum notitiam omittere, nõ sunt ipsi, qui medeantur, sed mulieres illæ, quæ herbas inueniunt, ut Leonicenus quandoque per iocum disceptabat. SE. Miror ac miratus sum frequentißime nostræ ætatis medicos non modo non callere simplicia, sed eos etiam deridere, qui hæc sequantur, & qui aliquid egregij in his parare conẽtur. BRA. En quorsum res medica trahatur, habemus, qui proceres nostra urbe appellari uolunt, purpurati, ac togati incedentes, qui duas summas medicæ rei partes ignorant, simplicium scientiam, & anatomen, sine quibus nemo aut medicus, aut medico similis appellari debet, hos autem

tem relinquamus, ad rem noſtram redeuntes, uideſ'ne circa huius putei latera inhærentem herbam? SE. Video & iam folia accepi. BRA. Hæc eſt aſplenon, uel ſcolopendrion antiquorum. SE. Nos iſtam citharac appellamus. BRA. Vel citharac, aut cetharac, aut quolibet alio barbaro nomine appelletur ea eſt, quæ antiquioribus ſcolopendrion, aſplenion, & à fibris quas habet in modum filicis pteryx, quod ingrorans Marcellus illius nominis rationẽ reddere ignorauit, à Gallis ceterach etiam dicitur, & ab Hiſpanorũ parte, à Germanis uero ſtyenkahrn. SE. Ea inquam eſt ſi deſcriptionem recte conſidero, deinceps autem quid acturus ſum? BRA. Hanc pro ſcolopendrio ſerua, quam citharac appellaſti, & quum ignaui medici ſcolopendrion ordinabunt, hac utere. SE. Quæ nam eſt huius citharac, & ueri ſcolopẽdrij tẽperies? BRA. Galenus calidã herbam eſſe non cenſet, at quoniam lapides frangit, & lienes liquat, propterea id facere teſtatur, quoniam herba eſt tenuium partium. Auerrois autem quinto collectionum inquit à proprietate habere quod lapidem frangat, & in caliditate, & ſiccitate temperata eſt, tamen in primo ordine caliditatem habere nõ dubito. SE. Ex his, quæ ſuperius annotaſti uidetur Serapio errore duci capite 153. nam Galenum adducit ueluti eum qui dixerit, uim primam aſpleni. i. citharac eſſe calidam, cum tu illum adduxeris dicentem, non eſſe calidam herbam licet lapidem frãgat, & lienes liquet. BRA. Serapio proculdubio Galenum perperam adducit, id tamen ignorare non debes, multos citharach uſque ad ſecundum ordinem calidum, & ſiccum eſſe tradidiſſe, à quibus diſſentiendum eſt, at ab illis minime diſſentire oportet, qui in primo ordine calidum iudicarunt, tamen nec illud commune ſcolo

pendrium pro dysentericis omittas, quod à Dioscoride phyllitis, quasi foliosa dicitur, paßim lingua ceruina nuncupatur, à Gallis etiam scolopendre, at à Germanis magis proprio uocabulo hirszung. i. lingua cerui, infra autem Leoniceni errorem uidebimus in lingua cerui, quam Hemionitida putauit, quum potius sit phyllitis. SE. Si libet descriptionem huius phyllitidis, consideremus. BRA. Maxime lubet, rumicis folia habet, longiora tamē, & speciosiora. SE. Huc usque res ita se habet. BRA. Interius leuor, auersis annexos exiles ueluti uermiculos præferens. SE. Adeo illa est, ut nec cæcus errare poßit, sed quæ fuit tam magni, & execrabilis erroris causa? BRA. Nihil aliud arbitror, quàm quòd sub folijs ueluti uermiculos habet, in usu autem medico uires contrarias habet, quàm sit communis, & uulgatus eius usus. SE. Gaudeo in hanc ætatem seruari, utpote qui in multis uerum asseqt potuero: at in qua re contraria sunt? BRA. Quoniā scolopendria aperit, phyllitis adstringit, & est qualitatis acerbæ, frigida, & sicca in ordine secundo. SE. Absynthium scolopendri terga consequitur. BRA. Montanum palustri nostro efficacius est, ideo hic colligere opportunum erit, herba notißima, hæc præsertim, quæ barypicrō ab amaritudine, & ab odore dicitur, à Gallis absinse, ab Hispanis alosena, ab alijs ascenios, Romæ nascientio, à Polonis piolum, uel piolin, Venetijs bon maestro, alibi per Italiam medico, à Cretensibus paßim apistea dicitur, à Germanis bermuet & quasi prohibens alacritatem dicta: forte ob gustum ita appellarunt Germani. De santonico, & seriphio. i. marino aliàs loquemur, tu in his montibus hoc collige, quo omnes in re medica utuntur. ostendunt enim oculata fide montanum efficacius esse palu-

stri,

stri, aquæ, quæ ui ignis eliquantur. SE. *Cuius est temperiei absynthium?* BRA. *Galenus de eo hæc refert adstrictoriam, & amaram, & acrem simul qualitates possidet, excalfaciens pariter, & extergens, & roborans, & desiccans, denique infert in primo ordine calidum esse, in tertio siccum, tamen eius succus longe, quàm herba calidior est, & ratio prompte affertur, quoniam herba plures habet terreas partes. Paulus autē id dicit esse in primo calidum, & in secundo siccum. Auerrois quinto collectionum suarum Paulum secutus est, & Mesue, atq; Auicenna Paulum sequuntur. Aëtius uero Galeni partes potius tutatur.* SE. *Quid sentis tu?* BRA. *Cum sensu ipso absque ulla probandi ratione absynthium calidum esse deprehendatur, propterea in secundo ordine calidū esse iudicarem, nec me mouet, quòd partes habeat terreas, crassas, frigidas, & terreas igneas, adustas, & adstringentem qualitatem. sed an hæc qualitas adstringens ualentior sit qualitate amara, ut Galenus testatur, tu ipse, & coniector, & iudex esto: nempe quod à Galeno dicitur uidetur satis ambiguum. De absynthij uero qualitate cum Galeno sentimus esse in tertio ordine siccum, sed in prima tertij ordinis parte, quæ tertiæ secundi ordinis parti affinis est, tamen & absynthij species inter sese differunt, & Galenus in undecimo methodi medendi Ponticū præ cæteris eligit.* SE. *Menta sequitur.* BRA. *Duas aut tres herbas numera.* SE. *Postea calamentum.* BRA. *Siste, quoniam has duas recte copulasti, menta notissima est herba, & humano generi pluribus nominibus utilis, cum in medicamentorum, tum condimentorum usu, à Lusitanis ortelam, à Gallis mente, à Germanis minz, ab Hispanis ierua buona, à Cretensibus uulgo Varsamus, à Po-*

lonis myanthκα dicta, calida, & uentriculo summe apta, ut de Aristotele mirandum sit, qui eam frigidam, & seminis uirilis absumptiuam dixerit in problematũ libris, ubi rationem reddit, cur belli tempore serenda non sit, Hermolaus per se quidem calidam fatetur, sed fieri posse, ut per accidens infrigidet, suspicor autem ego ibi corruptum esse uocabulum, nec mentam legi debere, sed herbam alteram frigidam in qua re quid sentiam aliàs me edocturum promitto. SE. Tamen cuius est qualitatis? BRA. Galenus in septimo de simplicium medicamentorum facultatibus illam in tertio ordine calidam facit, quem & Paulus, & Aëtius secuti sunt, Auerrois autem, & Auicenna in secundo, at est in ultima secundi ordinis parte, & in tertij initio, de qualitatibus paßiuis à Græcis nihil exprimitur, at Auicenna in secundo etiam ordine siccam censet, ueruntamen Galenus, & Græci omnes, ac si ab uno ore dependeant, hortensem mentam, quoniã horti irrigantur plærunque ex cultu humidam esse referunt, unde ad Venerem mediocriter excitat. SE. De mẽtastro quid sentis? BRA. Esse menta calidius, non tamen siccius. SE. De calamintha? BRA. Galenus censet nostram odoratam mentam, minus calefacere calamintha, ut inserat mentam esse ceu domesticam herbam, calaminthã syluestrem. SE. igitur apud Galenum calamintha erit in quarto ordine calida. BRA. Immo, & ipsa est in tertio ordine, sed in parte secunda, cum menta sit in prima solum parte calida, & calamintha siccior est menta, propterea tertium ordinem siccitatis attingit. syluestris menta mentastrum à nobis dicitur, à Gallis mente sauuage, ab Hispanis mentastres, à Polonis kobila myanthκα, à Germanis uuilt minz.i. syluestris menta, hoc peculiare

Germanis

Germanis eſt, ut adiectiua ſubſtantiuis continua ſua lingua præmittant. Galenus *in tertio ordine calidam, & ſiccam iudicat, ad omnia ualet ad quæ menta, ignauius tamen, ideo ſolam mentam habere ſtudebo, ut re efficaciori, & non minus efficaci utar, calamintha à menta nomē habere uidetur, quam &* Galli *calamen,* Polloni *nonnulli biala lietbiotka, alij camyenna myantaba.i.lapidea mēta,* Cretenſes *uulgo calamintho,* Neapolitani *nepeta,* Germani *kanzetkraut .i.herba catorum dicunt, tamen re uera non habet cum menta figuram, & licet tria genera calaminthæ inueniantur, montanum.s. quod propè pedes habes, ozimi folia præ ſe ferens, & alterum odorem pulegij, tertiumq́; folia mentaſtri, longiora tantum habens, omne tamen genus nepeta, à latinis nuncupatur, quanuis peculiari nomine ſecundum genus à* Romanis *nepeta dicatur, noſtri pharmacopolæ duo uulgata harum herbarum nomina habēt, neueda.s. & herba gattara.* SE. *Hoc magis notum mihi eſt, quàm ut dicatur.* BRA. *Sed his quæ dicturus ſum mentem adhibeas, quam uos nepetam, ſiue neuedam, aut herbam gattaram appellatis ſecunda ſpecies calaminthæ eſt, quam nonnulli agreſte pulegium uocant, ut* Dioſcorides *inquit, quia pulegio aſsimilatur, id autem non in folijs, ſed in odore intelligendum cenſeo, eam uero quam calamentum appellatis, eſt tertia ſpecies calaminthæ ignauior, & inefficacior cæteris, quam uero hic habes in hoc campeſtri, aſpero, & aquoſo loco calamintha montana eſt, omnibus efficacior, quam ob rem cū hæ tres ſpecies æquas uires habeant, & tertia, quam uos pro uera calamintha colligitis cæteris inefficacior ſit, eā dimitterem, & montanam ſolum colligerem, aut etiam ſecundam ſpeciem, quam* Romani *proprie nepetam di-*

cunt,quanuis & hoc eodem nomine tres species significentur,quumq; ab aliquo medico calamintha , aut nepeta,aut herba gattara indicitur,semper aut montanam calaminthã,aut hanc quam uos gattariam uulgo appellatis,& apud Dioscoridem,secũda species calaminthæ est, accipito.itaque nullus fiet error,& illa inefficax herba dimittetur,à Dioscoride tertia species calaminthæ,& à uobis peculiari nomine calamẽtum nuncupata. SE. Hoc consilio utar,quandoquidem optimum esse uidetur. Maiorana sequitur. BRA. In hac herba,quæ amaracus dicitur,an eadem esset cum sampsuco dubitaui. eandem esse Plinius apertissime ostendit lib.21.capite nono, & Theophrastus,immo & ipsemet Dioscorides sampsucum amaracum appellari tradit. Quod autẽ dubium fecit, primus Dioscoridis liber fuit,in quo duo capita sunt,alterum de sampsucino unguento,alterum de amaracino,ac si amaracus,& sampsucus duo diuersa sint,re uera multum dubitaui,& nõnunquam huic sententiæ hærebam in primo libro additum esse ab aliquo librario caput de amaracino unguento,mox id præter rem esse cognoui, quoniam Galenus,& Paulus Aegineta duo diuersa capita,& ipsi faciunt,alterum de sampsucino,alterum de amaracino unguentis,immo & Plinius seorsum amaracinum à sampsucino describit,forte quemadmodum,& nunc nonnulla in uno Italiæ loco fiunt,quæ in altero preciosiora , & diligentius fieri possunt,ut theriaca, quæ apud in orto nam laudatissima existimatur,tamen ubique etiam fit(sed nullibi uera)ita usu uenit in amaracino unguẽto, ex sampsuco enim fit. tamen in Cyzico perfectius fiebat , nam & ibi amaracus perfectior est, & efficatiores uires habet, hinc ex urbium diuersitate perfectius , & imperfectius

unguen

unguentum fiebat,& secundum aliarum urbium nomina uario modo denominabatur,at quia diuersæ compositiones erant,ideo duobus nominibus appellabantur, & duo distincta capita facta sunt,non tamen hoc ideo est , quia sint duæ herbæ sampsucus,& amaracus . sed quia ubi fit perfectum hoc unguentum.i.in Cypro secundum Pliniũ, & Cyzicenis,quæ sunt propinquæ Siciliæ , ubi nominatur amaracus,ideo potius illa compositio dicta est unguẽtum amaracinũ,illa uero altera in tota Græcia facta ubi sampsucus appellatur,suæ compositioni nomen dedit, & sampsucinum unguentum dictũ est,quæ dissolutio ex hoc suspecta est,quia diuersæ sunt compositiones, & non eadem dempto solum nomine , propterea id forte melius, quum duæ sint amaraci species una odoratior quam nos uulgo gentilem appellamus,altera minus odorata,& habens latiora folia,ex odoratiori amaracinum unguentum fiebat , quod Cyzicenis potissimũ componebatur,quoniã is locus gẽtili maiorana exuberabat,in alijs Græciæ partibus fiebat ex moderatiori,ideo sampsucinũ dictum est, quicquid sit eadẽ herba est sampsucus,& amaracus,quã uos maioranã dicimus,Germani maiorã,uel meyran, Lusitani maniarona,Galli mariolane.Poloni maioran,Cretenses uulgo mazorana herbam in his montibus collige, ubi odoratior est,& potius hãc serpẽtẽ,quàm illã rectã, quæ & si à Dioscoride serpere dicatur,id ubique non fit, tamen intelligi potest serpere , quia non solum nascitur seminibus iactis , sed etiam ramulis plantatis , uel terræ quomodocunque admotis,nihil autem in præsenti disserendum est de Galeni amaraco,ipse enim ita nostram matricariam uocauit. SE. Quæ sunt maioranæ qualitates? BRA. Galenus sexto de simplicium medicamen.facul.li-

bro amaracum in tertio ordine calidum, & in secundo siccum esse indicauit, & certe in caliditate in secunda est tertij ordinis parte, in siccitate uero in tertia secũdi, uel inter secundam, & tertiam. Paulus, & Aëtius, ut in omnibus fere simplicibus fecere, Galenum ad uerbum secuti sunt, Auicenna autem maioranam in tertio ordine calidam, & siccam esse scriptum reliquit, quod & Serapio refert, sed ex Galeni sententia. SE. Quid ergo hac in re sentire oportet? BRA. Cum sampsucus, & amaracus eo solum differant, quod unum maius sit, aliud minus, Galenus octauo de simplicium medicamentorum faculta. de sampsuco agens dicit esse calidum & siccum in tertio, qui eandem herbam esse putarunt, & de amaraco loquẽtes ea referunt, quæ à Galeno de sampsuco dicũtur, amaracum in tertio ordine calidum, & siccum asserunt. At qui amaracum Galeni considerant, & illa referunt, quæ sub eo nomine à Galeno scripta sunt, calidum in tertio ordine amaracum iudicant, & in secundo siccum. quid deinde sequitur? SE. Cyclamen. BRA. Panis porcinus uulgo dicitur, quoniam suibus mire placeat, ubi in Theophrasto κυκλάμινος legitur. Theodorus Gaza malum terræ interpretatur, sed re uera deceptus, quoniam ut ex Plinio sumi aperte potest, tuber terræ, & rapum terræ, & umbilicus terræ dicitur, nam malum terræ, ut ex eodem, & Dioscoride patet, aristolochia est, quicquid tamen sit, huius terræ rapi tres species inueniuntur, & hæc tantum apud nos nota, ea est quæ uires medicas habet, ideo hanc solam colligere expedit, sed non debes esse sola radice contentus, immo, et cum caudex plurimum in re medica ualeat, ideo & caudicem, & eius succum ad usum reserua, immo & ipsius radicis succus seruandus,

recentes

recentes alio nomine Arthanitam uocant. SE. *Nationes aliæ, quo nomine cyclaminum uocant?* BRA. *Galli uocãt pain de porceau, Germani ſeuubrot, Poloni ſzſiny chleb, Cretenſes uulgo chiropſomon, ac ſi dicant panem porcinum, Neapolitani miloterragno.* SE. *Quæ ſunt cyclamini qualitates?* BRA. *Meſue calidum & ſiccum in principio tertij ordinis eſſe cenſet, nos in medio tertij ordinis, & forte in ultima parte iudicamus, ſi ad quæ conferat, ut à Galeno referuntur conſideremus, nempe dicit abſtergere, incidere, ora uenarum aperire, attrahere, & digerere, & quod exquiſitus caliditatem oſtẽdit id eſt, quod ſequitur cum inquit, adeo uehemens eius facultas eſt, ut abdomine illito uentrem ſubducat, & fœtum interimat, hoc uero fieri non poſſet, niſi à calore tertij ordinis intenſi, quamuis nonnulli poſſent ad partium tenuitatem confugere. hæc de cyclamino ſatis ſint, tu ne illa ſeruare, quæ diximus obliuiſcaris.* SEN. *Id agam, nunc Pulegium occurrit.* BRA. *De pulegio multi dubitarunt, quibus uiſum eſt eſſe ſylueſtre ſerpillum, ſed tenuibus argumentis inhærent, ſi eius hiſtoria apud authores cũ hoc noſtro uocato pulegio, & uulgo Polezolo, ab Hiſpanis poleo, à Gallis poleant, à Germanis poley, & etiã à Polonis, à Venetis porezolo, à Cretenſibus uulgo phliſcuni, ab Hiſpanis poleo, conferatur, nullus erit adeo ſtupidus, qui non noſcat Pulegium eſſe, ex hoc mõtanum ſeruandum, & dum flores in orbiculos habet, etiam quod habet flores purpureos magis ſeruãdum, quàm quod albos, nam primum eſt fœmina, alterum mas, putant autem authores (monſtrum profecto, & res mare indigna) fœminam efficaciorem eſſe mare in hac ſpecie, quũ domi eris, ſuſpende pulegium, nam brumali die floreſcere uidebis.*

SE. Hoc expertus sum, sed nunquam uerum comperi. BRA. Tamē à grauißimis authoribus refertur, quicquid sit, hanc herbam in puluerem redigas, & præter usum medicos pro condiēdis obsonijs utaris. SE. Id agam, & frequenter egi, sed uno hoc molestor, quia apud Laertium me legisse suspicor, quendam philosophum, qui ostendere uolens exemplo non uerbis castigandos esse dißidentes ciues, pultem in medio attulit Pulegio aspersam, ut ostenderet, ita amare eos tractandos, quemadmodum ipse pultem tractauit, & dißidentiam pultis, & pulegij annotaret, quo exemplo pulegium amarum esse deprehenditur, nostrum uero amarum non est, ideo pulegium esse dubitaui. BRA. Non ob amaritudinem pulegium pulti miscuit (quamuis & sapor eius dulcis non sit) sed ob dißidentiam naturarum, quemadmodum saccharū optima res est, quo omnes dapes aptantur, tamen Ozimis inaptißimū est (ut refertur) adeo ut eorū gustus saccharo uilescat. SE. Estne id uerum? BRA. Expertus sum, absurdißimum est, nam & ozima saccharo consperſa optima sunt, & gustui gratiora fiunt, quàm prius essent. SE. Quę nam est pulegij temperies? BRA. Galenus in sexto de simplicium medicamentorum facultatibus, inquit ualde excalfacere, & extenuare, at ordinem præterijt, quem Paulus, & Aëtius sequuntur. Auerrois in tertio ordine calidum, & siccū esse testatur, quia compositum est ex ignea substantia cum aliquantula terrestri parte adusta, ueruntamen ex Galeno ipso colligi potest esse in tertio ordine intenso calidum, & in tertij principio, uel medio siccum, nempe dicit esse acre, & subamarum, propterea ualde excalfacit, & extenuat deinceps quod excalfaciat suadet, quoniam illitum rubrificat, & si quis diutius tolleret exulcerat quo-

que

que, at quæ exulcerant in tertio sunt ordine intenso, uel in quarto, Pulegium in quarto nõ est, propterea in tertio erit intenso ordine calidum, quæ in Pulegio montano intelligenda sunt, nam Ferrariense minus calidum est. SE. Thymum ergo, & Epithymum colligamus. BRA. Hæc duo iure simul copulasti, quoniam uiribus, nomine, & locis, quibus nascuntur, ferè quadrant. SE. Non'ne epithymus est Thymi flos? BRA. Quid sit audies, ut mox colligere poßis, Thymus duplex est candidus, & nigricans, herba notißima est, ut etiam Dioscorides censet, quamuis ipse de albo Thymo solum loqui uideatur. En quãta copia in hoc petroso loco, & sterili sit, Epithymus uero, quo uos utimini, non est apud Dioscoridem, nam ipse florem Thymi Epithymum esse censet lib. 4. quod autem in officinis habetis nõ est flos Thymi, sed id, quod à Plinio describitur, cap. 8. lib. 26. quod nascitur sine radice, rubens tenui similitudine pallioli, uel tenuis, nasciturq; circa Thymũ, unde epithymus appellatur. laudarem, ut Thymum herbam, & flores seorsum colligeres postea id, quod circa Thymum nascitur, tanquam capillamenta quædam, hoc est epithymus, quo nunc utimur, sunt rubri ferè capilli, qui circa arbuscula, & herbas nascuntur, ut circa linum uocata cuscuta nascitur, quæ & ipsa ex hoc genere uidetur, circa myrtum aliquod simile fit, sed id uere epithymus, qui Thymum ueluti palliolum ambit, tamen in hac re sum ualde ambiguus, an. s. Dioscoridis epithymus altera res sit à nostro nunc uocato epithymo, & quo Mesue utitur. SE. Libẽter quid in hac re sentiendum sit, addiscerem. BRA. Et ego te ipsum ueluti iudicem in hac controuersia uoco. SE. Nullum authorem, præter Mesuem uidi de epithymo loquẽtem, quomodo in

hac

hac re iudex ero? BRA. Ego tibi partes disponam ueluti instructas acies, ut facilius iudices. SE. Incipe, forte te iudicem reum, ac actorem esse cogemus. BRA. Non licet quenquam officio partis, & iudicis fungi. SE. Nunc licebit, nulla parte reclamante. BRA. En igitur principio uidetur Dioscorides de nostro communi epithymo loqui, quoniam semper consueuit congenera congeneribus copulare. Verum si epithymus Dioscoridis esset flos Thymi, & non epithymus, quo utimur in morem capillorum, uideretur suum ordinem non seruare Dioscorides, quippe qui tertio libro de Thymo, quarto autem de eius flore pertractaret, unde censendum est alteram rem esse epithymum, quàm Thymi florem, quia nunquam consueuit de herba in uno libro & de flore eius in altero scribere. Præterea inquit epithymum à Romanis inuolucrum appellari, sed noster epithymus, & non flos Thymi inuolucrum est, nam sunt ueluti capilli inuoluti, adde non dicere epithymum esse florem Thymi, sed florem è Thymo, ac si res quædam sit è Thymo ducta, qualis est noster epithymus, qui ex caudice Thymi in Apulia, & in orientalibus partibus educitur. Immo & nomen ipsum hoc ostendit, nam idem est epithymus, ac si in Thymo dicamus, noster autem epithymus in Thymo est, quoniam circa ipsum reperitur.

Item uerba Dioscoridis de epithymo hæc sunt capitula tenuia, & leuia sunt, codiculas habentia, quasi crines, sed epithymus noster, quasi crines uidetur, & habet capitula quædam tenuia, qualia etiam in uocata cuscuta uidentur, licet in cuscuta ampliora sint. Potest & hoc iudicio sumi epithymum quarti libri Dioscoridis potius esse nostrum epithymum, quàm florem Thy-

mi,

mi, quia tertio libro meminit floris Thymi, ubi de Thymo pertractat inquiens esse πορφυρίζοντα, id est, purpurascẽtem: est autem color medius inter album, & purpureum, uerum eo loco nec dicit epithymum uocari, nec eius uires maiores facit, quàm & Thymi uires sint, uerum Galenus, Paulus, & Aëtius maiores uires epithymo, quàm Thymo condonant, ut consentaneum sit potius nostros ueluti capillos apud Dioscoridem epithymum esse, quam Thymi florem. SE. *Ex his certus sum nostrum epythimum à Dioscoride quarto libro tractari.* BRA. *Mihi similis uideris iudicij cuidam, qui actore audito, statim pro eo iudicabat, mox audito reo pro illo ius ferebat, nondum aliam partem audiuisti, tamen ex abrupto iudicasti.* SE. *Quoniam nihil aliud dici posse arbitror.* BRA. *In hac re longe deciperis, nã si oppositæ parti aurem præstabis te pro ea sententiam laturum puto.* SE. *Incipe igitur, quandoquidem nimis repente iudicasse confiteor.* BRA. *Hinc exordium sumam, quòd Dioscorides quarto libro inquit epithymũ esse Thymi florem, nec moueor, quòd summus uir Hermolaus interpretatus sit florem è Thymo, quoniam Dioscorides sua lingua scriptum reliquit ἐπίθυμον θύμου ἔστιν ἄνθος, quæ si ad uerbum referantur, inquit epithymum Thymi est flos, nõ autem è Thymo, nec etiam obstat, quòd à Romanis inuolucrum appelletur, quoniam ob pediculum, cui flos inhæret forte id nomen sumptum est, immo si flores demãtur ab herba uidentur ferè crines, tamen parui, ideo appellat codiculas, nec etiam moueor, quòd congenera congeneribus non miscuerit, quia in alijs quibusdam idem fecit. forte quum scriberet in mentem non uenerant, nec multifaciendum est ex nomine argumentum, quoniam & si epi-*

thymus

thymus in Thymo significat, tamen. & flos in Thymo Præterea Galenus, Paulus, & Aëtius Thymum, & ep thymum calidum, & siccum in tertio ordine faciunt, t men epithymum uehementiorem esse censent, quod flo Thymi optime quadrat: conuenit enim florem perfecti res uires habere sua herba, utpote in quo species per s mina seruetur, addeq; hoc, authores Thymũ exhibere sale, & aceto, & per se cũ melle, hoc idem faciunt in E thymo, quod indicium est florem Thymi epithymũ esse SE. Et huic parti iam fauere incipio, uerum abs te ha sententiam ferri percupio. BRA. Libenter tibi more geram. prius florem Thymi epithymum esse censeba nunc Plinius me attentum fecit cap.8.lib.26. ubi inquit item epithymon, qui est flos è Thymo satureiæ simili, d ferentia, quòd hic herbaceus est, alterius Thymi albus. P stea interpositis quibusdam, ad quæ ualet addit, quidam ter epithymum tradunt sine radice nasci, tenuis, uel ten similitudine pallioli rubens, ex his uerbis duo ab antiqu epithymum uocari colligo: sunt autẽ tres Thymi speci albus, de quo Dioscorides tertio libro. Niger cuius The phrastus, & Plinius meminit, & tertius, qui aßimilat satureiæ, hic potißimum nascitur in Pamphylia, & Ca padocia, Thymus niger, ut docet Aëtius, non debet esse usu medico, quoniam temperamentum corrũpit, & bile generat, relinquũtur igitur duo Thymi genera in usu me dico Thymus albus, & Thymus similis satureiæ, hic Th mus satureæ similis flores habet herbaceos, qui epith mi dicuntur, & hic est epithymus. de quo Dioscorides quarto libro agit, quem dicit esse florem Thymi durior similis satureiæ, sunt autem capitula tenuia, & leuia, co diculas habentia, quasi crines, hunc epithymum non ha

mus

mus,& recte animaduertit Plinius eſſe flores è Thymo ſimili ſatureiæ,& hoc dictum eſſe ad differentiam alterius Thymi,qui habet flores albos,quũ hic habeat herbaceos, quum autem Plinius dixerit flos è Thymo , propter hoc Hermolaus interpretatus Dioſcoridem dixit flos è Thymo,non flos Thymi,ut author ipſe dicit,quia in pluribus conatur ex Plinio Dioſcoridem exprimere,hos flores epithymum eſſe Dioſcoridis Serapio etiam manifeſte oſtendit inquiens,epithymum ſecundum Dioſcoridem eſſe florem cuiuſdam herbæ,quæ eſt ſimilis thimbræ,uerum quũ in Creta etiam naſcatur curabo,ut ſemina ſaltem afferantur,quum Ducis noſtri nauis illuc accedat.Altera ſpecies epithymi eſt palliolum illud circa Thymum ſine radice, de quo nullus antiquorum nobis notorum,præter Plinium locutus eſt,ad nos ex Apulia affertur,& Creta,& Oriẽtalibus partibus,hic eſt epithymus , quo nos utimur, qui quum à Meſue deſcribitur,dicit eſſe ſimilem cuſcutæ, de quo nec Dioſcorides,nec Paulus,nec Aëtius unquam tractarunt,quoniam ipſi tãtum primum exprimunt,qui quũ ſit flos alterius ſpeciei Thymi,propter id tertio libro de Thymo albo, Dioſcorides tractat,quarto autem libro de hoc flore,utpote de diuerſis ſpecie rebus,& merito inuolucrum appellatur,quia pediculi florum ueluti caudæ inuoluti ſunt , & crinibus aſsimilantur. SE. Igitur noſter epithymus apud antiquos non erit. BRA. Non quidem Græcos,ſed bene Arabes,quamuis Auicenna , & Meſue adeo confuſi ſint,ut quandoque de flore Thymi,quandoq; de ſimili cuſcutæ loqui uideantur, nam Arabes per haſce aut hyſopum haſce Thymum intelligunt per epithymum Serapio idem accepit,quod Dioſcorides,Meſue autem,et Auicenna licet confundere uideantur,præſertim Auicen

na, tamen hæc capillamenta intelligunt ueluti palliolum, quæ circa Thymum ſine radice naſcũtur, ſed errore magno detinentur, quoniam de epithymo Dioſcoridis non tractant, tamen eaſdem uires illi ſuo epithymo tribuunt, quas & Dioſcorides, & cæteri Græci ſuo, immo Dioſcorides ſui epithymi ad ſummũ quatuor drachmas tribuit, Meſue ad uiginti accedit, miror autem de excellentiſsimo Manardo, qui quum nouerit, & docuerit alterum eſſe epithymum Meſue, alterum Dioſcoridis, Meſuem ita reprehẽdat, quia uiginti drachmas dederit, Dioſcorides autem quatuor, & Plinius ad ſummum ſex, uerum nullus in rebus diuerſis dignus reprehenſione eſt, quum ſit alterum epithymũ Meſue ab illo Dioſcoridis, cur per doſim Dioſcoridis, quæ in altera re eſt, Meſuem reprehendere? immo ſi Meſuem in capite de haſce, id eſt Thymo conſideremus, manifeſte deprehendemus eius puluerem exhibere, à drachmis duabus ad quatuor, quæ ferè eadem doſis eſt cũ illa epithymi Dioſcoridis, qui eſt flos alterius Thymi, ſed non mirum, quia interdum Homerus hallucinatur, hoc in re obſeruandum eſſet, quum pro atra bile epithymus indicitur, flos Thymi ſatureiæ ſimilis ſumendus eſſet ſi apud nos exiſteret, loco autem ipſius potius flores noſtri Thymi ſumerem, quàm capillamenta illa ueluti palliolum, nã flores illi humori melãcholico aduerſantur, nec tamẽ ita capillamenta illa omitterem, ut officinam meam non ingrederentur, quibus ferè omnes utuntur, quũ Plinius eandem ferè uim habere cũ Thymi flore præcitato loco tradiderit, & hæc ſaxoſis locis colligenda. SE. Quomodo nouiſti Thymi noſtri flores atræ bili aduerſari, & illam educere? BRA. Res eſt adeo nota, ut de illa nemo ambigere debeat, immo & Plinius teſtatur capillamenta illa ean

dem

dem ferè uim habere cũ Thymi flore, Dioscoridesq́; Thymi florem, & pituitam, & bilem atram deijcere testatur. SE. Quomodo id sciam? BRA. Experiaris, cuperes (ut arbitror) tibi in os masticatos bolos imponi, ut infantibus fit. SE. Quo nomine ab alijs gentibus uocatur epithymus? BRA. A Polonis epithem dicitur, Galli, & Germani nomen latinum imitantur, thymum uero Hispani tomillo uocant, Germani thymian, Galli thym, Poloni thymum. SE. Quæ sunt & thymi, & epithymi qualitates? BRA. Galenus in septimo de simplicium medicamentorum facul. Thymum calidum in tertio ordine, & siccum esse censet, & in sexto libro epithymum in eodem ordine calidum, & siccum censuerat, uehementiora, quàm in Italia sint ex Creta Venetias afferuntur, quamuis in hybleo monte longe sint efficatiora, Auerrois quinto collectionum suarum Galenum secutus est, quem & Paulus, & Aëtius, quasi ab uno ore dependentes eosdem ordines referunt. Arabes tamen non defuere, qui in primo ordine siccum esse, & in tertio calidum epithymum esse indicarint, quorum unus flumain nuncupatur, cuius mentionem apud Auicennam inuenies secundo canone. SE. Cuscuta offertur. BRA. Nec immerito, quia ab epithymo parum differat, nam recentiorum epithymus circa thymum, cuscuta circa linum nascitur, unde à recentioribus podagra lini nuncupatur, alij uero grongum dicunt, Germani uero filzkraut, Poloni kayna przanalza, Veneti louro. Neapolitani pelagra de lino, Galli & Hispani ut nos ferè, tamen non solum lino inhæret, sed & rubis, & alijs pluribus arbusculis, & herbis. differentia est per calorẽ. magis albicat quæ in lino, quàm quæ in rubo, uel moro est, in re uero medica est ferè eadem ratio, reperitur &

cuscuta terræ serpens. SE. Nos *cuscutam terræ nascentem appellamus.* BRA. Ratio *est me iudice, quia nihil propinquum habet, cui inhæreat.* SE. Ita *est, nam quandoque expertus sum baculos circumponere, qui eius capillamentis tecti sunt.* BRA. Id *non possum non credere.* SE. Immo *certus sis. hæc autem cuscuta quo nomine ab antiquis appellatur?* BRA. Nonnulli *epithymum existimarunt, quod falsum esse quisque ex prædictis sumere potest, nam nec* Mesue, *aut* Dioscoridis *epithymum esse potest, quoniam circa thymum sunt, uel in thymo.* Cuscuta *uero in lino & alijs rebus, quãdoque putaui herbam, quæ androsace appellatur cuscutam esse.* SE. Eius *picturam legamus.* BRA. Vt *lubet.* SE. Herba *est candida, tenues habet cirros.* BRA. Hoc *græca lingua uno uerbo dicitur* λεπτόκιρρος *.i. tenuibus cirris.* SE. Amara *sequitur, & sine folijs, quæ omnia nostræ cuscutæ quadrant, nam herba est candida .i. in album uergens. potest enim herba appellari, amara, sine folijs, habetq; folliculum in summis cirris, in quo semen continetur, certe nostra cuscuta est,* Gaudeo *inuentam esse cuscutam apud antiquos.* BRA. Ne *exultes ante certamen, nam & ego aliàs id sentiebam, nunc* Androsacem *esse cuscutam certus sum, immo tuo argumento aliud addam uires, quæ nostræ cuscutæ ab omnibus exhibentur, à* Dioscoride *androsacæ exhiberi, quoniam ducit urinam, aquam inter cutẽ patientibus, & ut* Galenus *inquit, desiccat, aperitq; obstructiones hepatis, quæ omnia nostræ cuscutæ quadrant.* SE. Mouearis *forsitan quia dicit in maritimis* Syriæ *nasci, cuscuta autem apud nos etiam est.* BRA. Hoc *non moueor, quia à* Dioscoride *omnia loca non enumerantur, in quibus herbæ nascuntur, sed tantum in quibus potißimum exuberant,*

runt,

rant, aut efficaciores sunt, uel ipse uidit. SE. *Quid ergo impedit hanc non esse cuscutam?* BRA. *Androsacem uidi frequentem elapsis annis in Histria circa mare, quum illuc appulissem cum illustrißimo Alphonso duce Ferrariæ, piscandi gratia.* SE. *In Syriæ maritimis nasci Dioscorides tradit.* BRA. *Et Plinius Histriam dicit esse androsaces feracißimam, imprimis differt à nostra cuscuta, quia androsace radicem habet, cuscuta non. Secundo androsace est ueluti manipulus cirrorum uel capillorum breuis, & supra unumquemq; capillum adest folliculus, in quo semina sunt. At cuscuta longa est, ut quandoque multas ambiat lini plantas, nec in apice folliculos habet, sed per medium. domi nunc habeo androsacem supra calculum sitam, quam dono accepi à Reuerendo patre Augustino Rhighino Franciscano concionatore disertißimo, et theologo consumatißimo, cuius splendore patria nostra ample illustratur. Tertio androsace similis est plantæ arnaglossæ, cui folia sint ablata, & nerui relicti. cuscuta uero elongatur ad magnum spatium. Quarto androsace est amarißima herba, ut illi nomen dederit amaritudo, nam ab aliquibus picris appellatur, ut etiam sicca amaritudinem seruet, sed cuscuta sicca nihil amaritudinis habet, recens parum, uel nihil. Quinto uera albedine cirri androsaces albicant adeo, ut nomen leucæ meruerit, quod non facit cuscuta, licet quum recens est in album uergat. Sexto Androsace nulli inhæret, sed per se in littore spargitur, immo & si quid propinquum sit, nõ inhæret, ut cuscuta facit, quæ inhæret propinquis rebus, & in longum extenditur. Septimo androsace acris herba est, ut Galenus, & Paulus testantur, cuscuta nõ acris, siquis uero gustu diiudicet. Octauo androsace semen habet notatu di-*

gnum pro ratione herbæ cui inhæret, quod est in cuscuta ferè insensibile. Nono ab omnibus ferè authoribus, à quibus androsace describitur, ut à Dioscoride, & Plinio libro 27. cap. 4. maritima herba dicitur, cuscuta uero campestris, immo peculiari nomine ab aliquibus Thalaßia dicitur per excellentiam, ut Dioscorides docet, quasi maritima. SE. Nunc uere cognosco androsacem antiquorum nostram cuscutam non esse, quanuis etiam eisdem uiribus insigniri uideatur, tamē quo nomine ab antiquioribus insigniretur, scire optarem. BRA. Nunc mihi non constat. SE. Audiui Ruellium putare herbā illam, quam Plinius lib. 16. capite ultimo dicit uocari cadytus, quæ (ut inquit) non tantum arboribus, sed ipsis etiam spinis circumuoluit sese, nostram esse uocatam cuscutam. BRA. Vnicuiq; datum est ut lubet de rebus ipsis opinari, an uero ita sit reliquis iudicandum esse conceditur, potest quomodo lubet Ruellius de cuscuta arbitrari. potest etiam ut in mentem uenit Plinij contextum inuertere, & ubi cadytus Plinius scriptum reliquit. Ruellius Cassutas legat, hoc nunquam impediam, tamen neque illi consentiam, uel in inuersione contextus Plinij, uel in cuscuta nostra, quæ sit cadytus, equidem inficias non imus cuscutam arboribus, & spinis inniti posse, at rarißimum est, neq; licet hoc argumento uti, hæc herba arboribus, & spinis circumuoluit sese, ergo est cuscuta, alioqui multæ herbæ essent cuscutæ. Quod autem à Ruellio dicitur à recētioribus Græcis uocari cuscutam, ut inde Arabes deflexerint, & cuscutam nuncupauerint, mihi non constat, quoniam Græci recentiores, & cyprij, et Cretenses (nam alij rari nunc sunt græci) hanc herbam uocant λύκος τȣ̃ λιναρίȣ. i. lini lupum, quam recentes Latini podagram lini uocarunt, imo

aphri

aphri sunt, qui illam uocant chassuth, ut apud Serapionē constat. 39 capite, ubi de cuscuta agit, in quo equidem capite Serapio Græcum nullum authorē adducit, quos adducere consueuit, cum de illa re locuti sunt, ex hoc tamē inferre non licet Græcos illam non cognouisse, cum à Serapione nullus Græcus author adducatur, sed cū Serapio diligentissimus fuerit, & apud antiquiores Græcos cuscutam inuenire nesciuerit, non mirum si & nos illam inuenire nesciamus, mirum tamen est illum, qui Serapionem interpretatur scriptum reliquisse, in Latino Timā uocari, ignoramus uero unde hoc uocabulum acceperit, nisi à thymo deflexerit, & cum nonnullis alijs epithymum esse putet. uerum tamen hæc ad rem ipsam nihil faciunt. unicuique quod lubet imaginari, ac depromere cōcessum est, sed & nulli de illis iudicare denegatum est, paucíq; aliorum figmentis credunt, nisi uel demonstrationibus, uel probabilibus rationibus comprobauerint. SE. His igitur ueluti superfluis omissis de cuscutæ qualitatibus disseramus. BRA. Est in primo ordine calida, in secundo sicca, & omnes ferè in qualitatibus hanc sententiam sequuntur, at Arabis quidam author nomine Mesærugie inquit esse frigidam, & humidam. SE. Quid hac in re sentis? BRA. Esse calidam in ordine secundo, & siccam, quoniā eius caliditas sensu percipitur, neque aliqua ratione indigemus, si gustu percipiatur. SE. Cum supra multas res extendatur cuscuta, & supra terram, quam tu potiorem iudicas? BRA. Illam quæ supra linum extenditur, nam uidetur esse ferè proprium cuscutæ stratum, neque authorem probo Saborehem, qui illam calidam iudicat si supra calidas plantas extendatur, frigidam uero, si supra frigidas, nempe ex arbore illa, aut nihil accipit qualitatis,

aut parũ, ideo præterita dissertatione cõtentus sis. SE. *Ergo ad fumum terræ me uertã.* BRA. *Herba apud nos adeo nota, ut monitore non indigeat. in illam planitiem descendamus, in qua seges hordeacea uiret, pro hac herba colligenda, nihil tamen impediet Ferrarienses hortos expectare, in quibus summe scaturit. decipiuntur uero qui cymbalariam fumum terræ .i. fumariam herbam (ita enim latine dici debet) putarũt, Græci capnion appellãt, propterea quod palpebras ueluti fumus mordicat, eodem nomine, ut nos Galli, & Hispani utuntur, Germani uero in dictione solum differunt, uocant enim Erdtrauch, quod Latine interpretatur terræ fumus. huius simplicis herbæ puluere à summa atræ bilis copia Magnificum Bartholomæum Prosperum Illustrißimi Herculis Estẽsis Carnutarum ducis, & Principis Ferrariæ primogeniti à secretis, uirum omni doctrinarum genere præditum, & bonorum morum columen, liberum reddidi.* SE. *Sena, & eius folliculi in medium ueniũt.* BRA. *Senam apud antiquiores incognitã esse certum habeo, ideo ab Auerroe optime inter medicinas nouas numeratur, & iure hoc dicit, quum nusquam apud Dioscoridem, Theophrastum, Plinium, Galenumq; inuenta sit.* SE. *Res mira, herba adeo digna decantari, & tot nominibus insignita, Græcis ignota fuit?* BRA. *Fuit quidem ut uidetur.* SE. *Non'ne eorum tempore extabat, aut deinceps terra peperit?* BRA. *Et tunc extabat, sed fortaßis aut ab his non experta, uel non uisa.* SE. *Quomodo non uisa à Dioscoride, qui ferè uniuersum orbem circuiuit?* BRA. *Dioscorides militauit quidem, sed uniuersum orbem perlustrasse non constat, illuc saltem non iuit ubi nascebatur, aut mox etiam ad propinquiores prouincias delata est, ut de pluribus*

alijs

alijs rebus factum constat, quas antiqui ignorarunt, aut data opera reliquerunt, certum uero est centesimam partem herbarum in uniuerso orbe constantium non esse descriptam à Dioscoride, nec plantarum à Theophrasto, aut Plinio, sed indies addiscimus, & crescit ars medica. SE. Mihi decrescere uidetur, quoniam audiui quosdam recentes, syrupos penitus demere, & tantum aqua hordei, mulso, & paucissimis quibusdam utuntur. BRA. Hi suo modo agant, & si ad ægros curandos uocentur (quod rarius accidet) curent, ego mihi proposui omnes bonos authores imitari: & si quandoque aliqua noua inueniantur, quæ ratione, & experimento optima esse constiterit, semper assensuri sumus, eos enim imitari noluimus, qui decocto Guainaci uti despiciunt, quoniam antiqui de eo locuti non sunt. At quomodo ab illis scribi poterat, quum adhuc quadraginta anni non sint, quòd insula in qua nascitur reperta est, prius penitus incognita: indies crescit ars medica, sicut & aliæ artes, ut Plinius testatur, & ante ipsum Plato edocuerat, immo & Galenus nostram artem fieri per incrementum tradit. SEN. Eáne insula paucis ante annis ortáne est? BRA. Non orta, sed nullus unquam illuc nauigare ausus est præter nostro hoc æuo Lusitanos. SE. Quomodo hoc scitur? BRA. Quia à grauissimis uiris Ptolemæo, Pomponio, Strabone, Plinio, qui uniuersum descripsere, hæc nunquam uel à longe monstrata sunt. sed hæc aliàs. nunc de sena loquamur, Galli ut nos appellant & Cretenses, Hispani Sen, Poloni Senass, Germani uero potius foliorum memoriam faciunt seneibletter dicentes. id est senæ folia, plures conati sunt eam apud Dioscoridem inuenire adeo, ut aliquis empetron esse putarit. SE. Huius senten

tiæ excellentißimus Manardus quandoque fuit ea coniectura, quia à Dioſcoride dictum ſit, ſi in eſculento iure decoquatur purgare bilem, pituitam, & aquas, nos autem ſenam in iure bullimus, ut purget. BRA. Adeo tenuis coniectura eſt, ut nec filo inhæreat, nam & ita bouem capum eſſe probarem, quia bulliuntur, ut nutriant, nõ enim habet folia lentis ſena, ut phacoides appellari poßit, quemadmodum Empetros, qui & locis maritimis naſcitur, & ſaxoſis, nec ſalſa eſt ſena, ſed ſubamara, modo non ſit ſiccior, & quo magis mari propinqua, eo amarior, ut liguſtica ſena oſtendit, quamuis ea ineſſicacior ſit, quàm quæ ex partibus Aegypti defertur, & ex Syria qualem Venetias afferunt mercatores, hi adhuc peius ſentiunt qui delphinium putarunt, nam ſenæ folia nõ ſunt Delphinio ſimilia, nec opus eſt ad folliculos fugere, quoniam de folijs Dioſcorides loquitur, Φυλλάρια enim foliola ſignificat, non folliculos, aut ſiliquas, nec floribus quadrat. Decipiuntur etiam qui ſenam Peplion eſſe arbitrantur. non enim lac habet, nec ſemen ſimile, minus eſt alipon, quia ſemine multum differt, quòd nullam habet cũ hac ſimilitudinem, nec radice, aut ſurculis conuenit. SEN. Quomodo tot uiri decepti ſunt? BRA. Ob duo, primo aliquam ſimilitudinem acceperunt, & multas diſsimilitudines omiſerunt, ſecundo quia uires conſiderarũt potius quàm rem ipſam: quum enim aliquã atrã bilem ducere legerunt, ſenam eſſe putarunt, & præſertim, quæ circa maritima naſcitur. SE. Quid eſt ergo apud antiquos ſena? BRA. Alij quomodo lubet cenſeant: nos ſenam ab antiquioribus nuſquam deſcriptam ſcimus, ſed cum Auerroe nouã herbam eſſe putamus, nouam inquam, id eſt antiquioribus illis incognitam. SE. Non eſt

igitur

igitur aliquo pacto colligenda. BRA. Immo maxime seruanda. tot enim dotes, & præcipuas habet, ut nunquam sit prætereunda. SE. Quomodo id nouisti? BRA. In primis Arabum authoritate, quæ non est adeo temere despicienda, ut nonnulli recentes faciunt, præsertim ubi Græcis non opponuntur, postea ipsa quotidiana experientia, quæ est omnium rerum magistra. SE. Audiui hanc esse uiam Galeni, quam Regiam dicunt. BRA. est. SE. Quid collecturus sum, folliculos (ut dicunt), aut folia? BRA. In his saxosis locis hic propè mare herbam, & folliculos legerem. SE. Dic (ni pigeat) debent'ne re aliqua roborari, aut corrigi, ne uētriculum offendat? BRA. Debet omnino, zinzibere, cinnamomo, gariophilis, aut alia re, ex his quæ uentriculum roborant. SE. Quidam senam uentriculum roborare censet, absque alio adminiculo, quia subamara, & adstringens, & experientia (ut inquit) hoc demonstrat. BRA. Tam celeberrimi uiri pace dixerim, experientia oppositum ostendit, nam qui senæ decoctum bibunt, aut uocatam infusionem uentriculo offendūtur. Nullus est Ferrariæ, aut alibi medicus, qui non sit sexcenties expertus, & ego quotidie experior, nec omne amarum, roborat uentriculum, aut adstrinctionem habet, quam ob rem semper corrigendam censeo, ob eam, quam singulis diebus experientiam uidemus. SE. Abste causam scire optarem, cur nuperrime inuentis medicamentis delecteris? BRA. Vt ars amplietur, neq; nuper inuētis delector, sed gaudeo aliqua indies inueniri, cū inter hæc multa sint antiquissima, quæ ideo noua uidentur, quoniam nostris tēporibus, cum prius absoleta essent, in lucem prodeunt, unde artem ipsam ampliari gaudeo, uel ex nouis, quæ nunc à probis uiris inueniantur, uel ex antiquis, quæ iterum in

lucem



lucem prodeunt, & unde colligis tu nos delectari nouis? & aliqua noua Encomio digna laudemus est hæc * contradicendi ansa, quæ potius ex animi morbo prodijt, quàm ex discendi cupiditate. S E. Tamē ab Hippocrate, & Galeno in libro de ratione uictus in morbis acutis, & in primo de Antidotis illi probantur, qui paucioribus utuntur, & certioribus. B R A. Et illi etiam probantur, qui multa habent in promptu medicamenta ab eisdem authoribus, potissimum à Galeno, ut cum aliqua desint, alia ipsorum loco in promptu sint, intelligimusq; illa, quæ inueniuntur esse certa, & talia, quæ ratione, & experimento probata sint, arbitror te odio habere illos, qui artes proprias ampliare student, at longe erras, & tibi ipsi solum places, nos uero ubi poterimus Hippocratem, & Galenū & antiquiores imitabimur, uerum his omnibus peractis, (ut frequentissime contingit) quæ ab his probis uiris referuntur, alia inuenta esse exopto, & inueniri, quibus ægro opem feramus, quis est adeo uecors, qui non fateatur preciosum inuentum fuisse Senam? nempe nihil scimus tam aptum ad ea peragenda, quæ perficit sena, ut ipsa est, & nihil eius loco suauius, aut commodius poni posset. noli ergo uiros his fatuis nugis lacessere, sed si aptus es aliqua inuenire, inuenias, nam miserrimi ingenij est uti semper inuentis, & nunquam inueniendis. S E. Quam partem magis altera seruabo? B R A. Folliculos, in quibus maior uis educēdi est, quàm in folijs. S E. Quidam magis folia commendat, quæ experientia duce efficatiora sunt. B R A. Laudet quantum lubet, & mihi experientia oppositum ostendit, & omnibus alijs, qui artem medicam exercent, & ratio ipsa dictat maiorem uim folliculos, quàm folia habere ob perfectiorem ætatem herbæ, ob dēsiorem

substan



substantiam, ob potentiam contentorum seminum, tu ipse hoc experimẽto ducas, decoctiones duas faciens, alteram ex puris folliculis, alteram ex folijs, quas si deinde æqua lance bibas, manifeste deprehendes maiorem efficaciam inesse folliculis quàm folijs, ut ego alias expertus sum, ex his igitur maiorem partem folliculorum, minorem foliorum serua, tamen potius laudarem, ut Venetijs Senam emeres, quæ Alexandria, & Orientalibus partibus defertur, magis, quàm quæ ex Apulia, aut Lyguria: experiẽtia enim ostendit semiunciam Aegyptiacæ tantum ferè proficere, quñtũ uncia nostratis. SE. Hoc iam diu noui. Quæ est eius dosis? BRA. In infusione quandoque usque ad sex uncias exhibui, nec ueritus sum ad octo pertingere, & cõtulit, & ægri bene tulerunt, sed tres, aut quatuor unciæ tutissime exhibentur. SE. Quæ nam sunt Senæ qualitates? BRA. Serapio ex Abix sententia authoris Mauritani, illam calidam esse dicit, & siccam, sed remissæ caliditatis, & siccitatis. Mesue caliditates expressit, inquiens calidam esse in principio secundi, & in primo siccam, addit q; folia esse in primo calida. Auerrois calidam, & siccam in secundo ordine esse fatetur. SE. Cui ex his potius credendum est? BRA. Serapioni quippe nec caliditatem multam, nec siccitatem Sena habet, alioqui non excitaret flatus, ut excitari proculdubio uidentur, habet ergo nonnihil caliditatis, quoniam est & sub amara, quæ primum ordinem non excedit, uel principium secundi attingit, & de siccitate idem intelligo. SE. De Sena satis. mentastrũ sequitur. BRA. Ipsum cum menta collegisti. SE. Ad serpillum ergo ueniamus. BRA. Notissima herba est à serpendo dicta. SE. Quomodo hoc fieri potest, quia una species ad palmi altitudinem crescit? BRA. Hinc mirã Dio

scoridis

ſcoridis præſtantiam in ſcribēdo accipies, inquies: inquit à Serpendo nomen inueniſſe, uerum quia ſpecies una ſerpilli non ſerpit, ſed in altum creſcit, propterea addit, & quoniam quæcunque pars eius, quamcunque terram contigerit radicatur, ut hinc ſerpillum etiam creſcens à ſerpendo dicatur, non quia ſponte ſerpat, ſed quia omnes ramuli plantati quācūque terra creſcunt, quod etiam Theophraſtus in ſexto de plātarum hiſtoria ſentit. quum duæ ſpecies ſint, ſylueſtre, & ſatiuum, adeo modice differunt, ut mira ſit eorum ſimilitudo, tu in his petris uirens colligito, quoniam ſylueſtre ſatiuo efficacius eſt, ut Dioſcorides teſtatur, Hortenſe uero coronamentis relinquito. SE. Coronis ſerpillum addere infauſtum uidetur. BRA. Res eſt quæ paucis ante annis in uſum uenit, quum mortuos impuberes, aut uirgines ſerpillo coronare cœperunt, quū tamen apud antiquos in opere coronamētario in ſummo honore eſſet, ſed quod maxime mirum eſt, Dioſcorides, & Plinius in tam notiſſima herba ſibi inuicem opponuntur, quippe Plinius ſatiuum ſerpillum non ſerpere, ſylueſtre ſerpere ſcribit, ſed Dioſcorides ſatiuum ſerpere, ſylueſtre minime docet, ut hæc quibuſdam occaſionem dederint errandi, ut Pulegium à ſylueſtri ſerpillo diſtinguere neſciuerint, hæc autem apud nos adeo nota ſunt, ut nullo demoſtrante indigeant, eius effectus dedit Gallis anſam ipſum quandoq; appellādi ſerpolet, & Germanis quēdel ab Hiſpanis ſerpol, à Romanis ſerapulo, à Neapolitanis piperua, à Venetis ſerpollo, à Polonis maczierza duſſzka uocatur, ab alijs maczir zachusha dicitur. SE. Quænam ſunt ſerpilli qualitates? BRA. Galenus ſexto de ſimplicium medica. facultatibus libro inquit ſerpillum uſque adeo calefacit, ut & menſes, & urinas moueat guſtu

multum

multũ est acre. SE. Ex his in quo sit genere qualitatis nõ accipio. BRA. Id non exprimit Galenus, quem & Paulus & Aëtius sequuntur. SE. Quid colligi potest ex illis Galeni uerbis? an quòd Serapio dicit capite. 299. calefacere, & exiccare in tertio ordine? BRA. Serapio ita Galenum adduxit, uerum de qualitatum ordine Galenus nusquam (quod sciuerim) locutus est, propterea unde ex Galeno id Serapio acceperit, inuenire nescio. SE. Quamuis ex Galeno acceptum non sit, est ne simpliciter uerum? BRA. Si Mescatramesir Auicẽnę idem cum serpillo sit, ut recentes putant, & ipse in tertio ordine calidum, & siccum serpillum esse censet, nos autẽ dicimus esse in prima tertij ordinis parte calidum, & siccum, de syluestri, atque montano loquentes. Domesticum uero, atque satiuum in tertia est secundi ordinis parte calidum, & siccum, Galenus in. 8. methodi medendi ad dimidias ferè libri partes inquit serpillum esse iusto calidius, ex quibus elicitur in tertio ordine calidum esse, nam quæ iusto calidiora sunt in tertio ordine calida esse oportet, cum in quarto ordine non sint, nempe neque calida sunt, neque adurentia, ex eo uero, quòd menses ducat, & urinã proritet, accipi non potest, neque inferre licet esse in tertio ordine calidum, quoniam multa sunt in secundo tantum ordine calida, quæ id efficere possunt. SE. Plantago prosilit. BRA. Ferrariæ plantaginem quæres, in palustribus locis, secus agger es, atque septa: hæc enim summe amat, & in humidis efficacior est. SE. Eius uim in siccioribus locis efficaciorẽ credebam. BRA. Errabas, quoniam id expreßis uerbis Dioscorides testatur, Arnaglosson etiam appellatur, cui apud Germanos nomen respondere uidetur schofzung, id est, lingua ouis, duæ eius species ab authoribus enumerãtur, maior

maior, quæ ἑπτάνευρον, id est septineruia, & minor, quæ πεντάνευρον, id est quinqueneruia à fibris quibusdam, tanquam neruis per totum folium extensis, utranque speciem Ferrariæ habebis, sunt apud nos herbæ notissimæ, ab Hispanis eodem nomine dictæ, à Gallis platain, à Germanis altero nomine dicitur uuegrich, postea addũt breyter, & spitzeter, id est maior, & minor, appellant etiam begtrit, ac si dixerint herbam, quæ in uia calcatur. SE. De plãtaginis qualitatibus parumper disseramus. BRA. Omnes authores, quibus curæ fuit de herbarum qualitatibus agere, plantaginem in secũdo ordine frigidam, & siccam faciunt, quod à Galeno accepere sexto de simplicium medicamentorum facultatibus libro, ille etenim inquit habet nescio quid aquei frigidi, & habet nescio quid austeri, quod terreum est siccum, & frigidum, tamẽ siccum intensius est, quàm frigidum, unde in secunda parte secundi ordinis frigidum est in tertia siccum. At Auerrois quinto collectionum notat radicem eius esse minus frigidam, & magis siccam. SE. Malua, & maluauiscus sese offerunt. BRA. Optime simul copulasti, nã maluauiscus species maluæ est, Latine hibiscus dicitur, à Græcis Althea, notissimæ herbæ sunt, in hoc plano radices, ac folia hibisci. Maluæ autem folia, & semina colligito, satiua malua Ferrariæ nõ utimur, sed Mediolani, ut olera seritur, ac colitur, ad cibos apta coquitur, ut asparagi, & in acetarijs manditur. SE. Est ergo alia syluestris malua ab althæa. BRA. Est equidem, nam hæc communis malua, duas species, Hortensem, & spõte nascentem habet, Hortensis cauliculos maiores facit, & edendo aptos, in syluestri, id est sponte nascenti duriores sunt, & cibarijs inepti, Plinius malopem appellat, quæ in satiuis ampliora folia habet,

quæ

quæ uero non malache ab emoliendo ueutre, unde satiua malua, & sylvestris aderunt, ambæq; in alias species distribuuntur, tamen Dioscorides has solum species facit satiuam, syluestrem, & althæã, nos autem Venetijs in horto nobilißimorum Cornartorum, quem Murani habent, arboream maluam uidimus, immo erant ibi multæ maluarũ plantæ, quæ in iustam arboris mensuram creuerunt, & nunc adsunt, ut facile ex ipsis ingentes baculos quisque parare poßit, quod tamen non mirum est, quia à Theophrasto arborescere malua dicitur. quicquid sit altheæ radices, non alceæ(quippe nonnulli decepti sunt alceam cũ althea cõfundentes) herbam, & flores ipsos serua. maluã Ferrariæ ubertim habebis, & cultu satiuam facies, & in arborem crescere coges, præsertim si semina illius Venetæ seras, quam Romanam maluam uocant, nescio id nomen unde sumpserint, de hac arborea malua mentionem facit Aëtius, quam dicit uocari dendromalachen, de qua meminit Galenus in. 14. methodi, ubi de tendonibus, & ligamẽtis scirrhosis loquitur, uocatq; anadendromalachen. SE. In althæa solum radicibus utimur. BRA. Ne folia deseras, quoniã priuatim(ut Dioscorides inquit) ex exiguo oleo morsibus, & ambustis emplastri modo imponuntur, Hispani, ut nos maluam, nuncupant, Galli mauues, uulgus Cretense molocha, Poloni szliasz, alij slasz maly, Germani bappelen, aut papplu, coliculos uero maluæ pappl stil. Maluam uero syluestrem uilt papln dicunt, althæam autem Galli grimauues, Germani Ibis appellãt, quamuis & nonnulli uilt papln, id est syluestrem maluam dicant, Poloni althæam uisoky slaz nuncupant, Cretenses dendromolocha. SE. Quæ sunt maluæ, & althæ qualitates? BRA. Auicenna althæam in qualitatibus æqualem facit,

tamen

tamen ad calidum uergit: inquit enim calidum esse cum æqualitate, at hic nodus occurrit non despiendus, quoniã recentiores omnes althæam calidam, & humidam in primo ordine censet. At Aëtius dicit althæam exiccare, & Galenus in quarto de sanitate tuenda libro, ubi de medicamentis ad laßitudinem agit propè libri finem uult incoquendum esse rorem marinum herbam in oleo, tamen si ad manum non adsit, loco eius uult ponendam althæam, cum autem rosmarinus calidus sit, & siccus, propterea, & althæa calida, & sicca esse debet, si loco calidæ, & siccæ herbæ poni potest, immo rorem marinum calidum, & siccum in tertio ordine censent. SE. *Ad hæc quid dicere oportet?* BRA. *Cum althæa leniat, maturet, emolliat, ut unicuique constare potest non possum non sentire humidam esse, unde humidam esse fatemur, nec Galenus, aut Aëtius dissentiunt, immo Galenus althæa utitur ex oleo pro laßitudine in quarto de sanitate tuenda, quoniam humiditatem habet cum caliditate æquali, et idem Galenus in 14. medendi methodi in tendonum scirrhis & ligamentorum althæa utitur ex oleo decocta, qua non uteretur nisi aliquid humidi, & emollientis haberet, immo ne fierent insanabiles ex althea medicamento utebatur, quam althæam dicit uulgus nuncupare* ἀναδενδρομαλάχην, *& 14. methodi pro obesis extenuandis utitur althæa, & oleum parat, quod in se aliquod medicamentum habebat, hæc uero numerans medicamenta althæam simul enumerat, scitoq; Galenum in 7. de simplic. med. facult. annotasse anadendromalachen in genere esse maluæ, & uocari althæam.* SE. *Nondum tamen persoluisti quod à Galeno dicitur, esse siccæ facultatis althæã, & hoc expreßius refert libro. 6. de simpl. medic. facult.*

ubi

ubi de ebiſco uerba ſacit. BRA. Radicem, & ſemen folijs comparat, illa ſunt foliorum ratione magis ſicca, ſimpliciter uero humida ſunt. SE. Tantum Auerrois ſententiam euitare non poteris, qui in quinto collectionum ſuarum altheæ folia, & flores calidos, & ſiccos in primo ordine cenſet & radicem in principio ſecundi. BRA. Non ibo inficias partem aliquam ſiccam habere, tamen ſimpliciter humiditatem habet, & glutinoſam quandam ſubſtãtiam, unde illis conſentio, qui altheæ humiditatem attribuunt. SE. Ad maluæ qualitates accedamus. BRA. Serapio capite.149.ex Aben Meſuai ſentẽtia illam in primo ordine frigidam & humidam facit, de domeſtica particulatim agens, quippe certum eſt domeſticam, & hortẽſem magis humidam eſſe: humidam eſſe Galenus teſtatur primo de alimentorum facultatibus in præfatione cum inquit maluam eſſe lentam, ac præhumidã, propterea celerius ſubſidere, quàm illa quæ talia non ſunt, & in ſecũdo de alimentorum facultatibus de malua agens in omni planta generalem regulam ponit, quod ſemper in eodem plantæ genere, agreſtes ſiccitate, domeſticæ humiditate præualent, uideturq; illam feciſſe calidam Galenus, nam docet ſi eryſipelati maluæ ſuccum applicabis, atque lactucæ ſuccum, expreſſe deprehendi lactucæ ſuccum refrigerare, & maluæ ſuccum calefacere, humidam uero eſſe teſtatur, propterea quòd facile ſubducit. SE. Quid ergo inquies ad tam apertam Galeni ſentẽtiam? BRA. Ita eſſe intelligimus maluam eſſe calidam ſi lactucæ comparetur, ex ſe tamen & ſimpliciter frigida eſt, propterea Galenus in fine libri quarti de ſanitate tuẽda ubi de laſſitudine tractat, cum quis poſt ſectam uenam febrire incœpit, dat cucurbitulam, at ſi cucurbitæ copia non adſit,

dat maluam, certum uero est in eo casu Galenum frigidis uti, & pro cucurbita, quæ frigida, & humida est, in eius defectu, aliud frigidum & humidum accipere uoluisse, cū uero maluam acceperit, censendum est Galenum maluam frigidam, & humidam esse iudicasse, Paulus libro primo frigidam esse dicit frigiditate clementi, & obscura, propterea secundum ipsum in primo ordine calida, & humida erat. SE. Deinde semperuiuum maius, & minus occurrunt. BRA. Tres species semperuiui apud authores inueniuntur, quamuis plures herbæ sint, quàm tres, quæ semper uiuant. i. quocunque tempore ex quatuor anni tēporibus. i. quibus ingens calor, aut sæua hyems nō nocet: latine sedum. Græce aizoon dicitur, Ferrariæ in tegulis nascuntur, & potiores uires habent, quàm in his montibus, maius semperuiuum à nobis herba orecchiara appellatur à similitudine, quam cū auribus habet, à Gallis ioubarde, hæc autem similitudo maior est, quàm ea, quam cū oculo habet secundum quam dicitur zoophthalmon, à Polonis roschodnik uocatur, alij noschchodnyк dicunt. semperuiuū minus à nobis herba pignola, et uermicularis dicitur ob similitudinem, quam habent folia cum nucleis pineis à Gallis dicitur oreile de souris, à Polonis ruponi emaslo nuncupatur, ab Hispanis razimillo, à Neapolitanis uermicello che nasce sopra li tetti, supra Ferrariēses tegulas mire serpit, tertia specie nō utimur, quæ ἀνδράχνη ἄγρια. i. portulaca syluestris dicitur, de qua bis Dioscorides tractat 2. & 4. libro, sed quod secundo libro scribitur id totum in quartum referri debet, hoc autem genus habet uires penitus oppositas prædictis semperuiui speciebus, quum uero non sit opus de herbis, quibus nō uteris disputare ad alias transire opportunū erit, si prius

animad

animaduertero ex harum ſucco nobiliſſimũ comitẽ Herculem Contrariũ,*& alterum* Herculem *comitem* Trottũ *duo noſtræ urbis fulgentia lumina, ex diuturna* Gonorrhœa *in ſanitatem reſtituerim.* SE. *Prius autem de utriuſque ſemperuiui qualitatibus diſſeramus.* BRA. *Galenus 6. de ſimp. med. facul. utrunq; genus & maius, & minus frigidum in tertio ordine facit, & nonnihil ſiccum, quoniam & adſtringit unde in eo plus cæteris abundat ſubſtãtia aquea.* SE. *Humidum igitur erit, ſi in eo aquea ſubſtantia abundauerit.* BRA. *Et* Galenus, *&* Paulus, *&* Aëtius *parum exiccare dicunt, quoniam adſtringit.* SE. *Illam ergo cauſam eſſe arbitraris quod ſiccum ſit, quoniam adſtringit?* BRA. *Non præciſa, quoniã frigidi primo eſt adſtringere, & ſi ſubſtantiam aqueam habeat, tamen quodammodo exiccat id uero potius adſtringẽdo facit.* SE. *Vrtica pedẽ cõfert.* BRA. *Cõferat hæc notiſſima herba, ut apud nos in prouerbium ceſſerit & culo no tam eſſe urticam, duas ſpecies habet, unam folia latiora, & nigriora habentem, alteram minus nigra. adeſt & cania urtica cæteris acrior, & herculeana quæ odorem habet, in genere à* Græcis ἀκαλύφη *dicitur, à nobis ab urendo urtica. omnibus eædẽ uires inſunt, nec aliquid uni peculiarius attribuitur, quàm alteri, ideo laudarẽ, ut hic in montibus eam colligeres, & ſeorſum ſemina, herbã, radices, ac eius ſuccũ diuerſis locis ſeruares. de mortua autem urtica, quam lamium, uel aononium uocant quoniã non urat, aliàs pertractabimus edocẽtes, an ea, quæ apud nos mortua, & iners urtica uulgo dicitur, antiquorum balote ſit, ab* Hiſpanis *ortiges, à* Gallis *ortie, à* Polõis *pokrſyuye, à* Germanis *neſſelen, & hoc tempore nuncupatur.* SE. *Quæ ſunt urticæ qualitates?* BRA. *Græci authores*

ordinẽ non referunt, sed illã, calidã et siccã dicunt. Auicẽna cap. 725. in principio tertij ordinis calidam esse fatetur in secundo siccam, alij in tertio ordine calidam esse inquiunt, & in eodem siccam, quibus consentio. SE. Miror à Galeno in 6. de simp. med facul. hoc modo de urtica scriptum esse, nimirum cum subtilium partium sit, & temperaturæ siccæ, non tamẽ tantum habens caliditatis, ut iam mordicet, oppositum autem uidetur, nam & mordicare, & urere deprehenditur, immo hinc dicta est urtica quoniam urat. BRA. Vrtica nuncupatur ob acumina quædam supra herbam disseminata, quæ adeo carni infiguntur, ut illam urere uideantur, tamen substantia sua nõ urit, neque quartum attingit gradum, neque mordicat, quanuis folia in superficie mordere uideãtur, unde Auerrois quinto collectionum suarum inquit, & qui opinãtur quod sit ignea ob suæ punctionis acumen errant, quoniã pars hæc ignea, quæ in eius folijs est, tenuis est, & ob ipsam frictionem remouetur, & præsertim ob lotionẽ. SE. Vt frigida herba calidæ iungatur, portulaca urticam sequitur. BRA. Notißima est herba potius in Ferrariensi solo quærenda, quàm alibi satiua est, & agrestis, folia, & simul ramulos legito, ac seruato ἀνδράχνη à Græcis appellatur, à Lusitanis beldroegas, à Gallis pourpie, à Germanis porcelcraut, ac si dixerint porcellorum herbam, in acetarijs editur, cucumeribus, cæpis, oleo, sale, & aceto conditis, à Venetis porcioli uocatur, à Cretensibus uulgo glistrida, ac si conglutinatiua dixerint, ab Hispanis uerdolagas, à Romanis porcachia, et à Neapolitanis porchiaca, à Polonis kurza noga, ab alijs cunya noga. SE. Cuius est qualitatis? BRA. Galenus in 6. de simp. med. facult. illam in tertio ordine frigidam, & in secundo humidã censet,

set, adde in medio tertij frigidam esse, & in fine secundi humidam, omnes deniq; authores tam græci, quàm latini & Arabes Galenum secuti sunt. SE. Graminea mox sequitur. BRA. Gramen potius dicito, quàm graminea. SE. Quid refert modo res ipsa intelligatur? BRA. Si absque uocibus res intelligi possent non indigeremus nominibus, sed posteaquam huc peruenimus ut non poßint absque nominibus artes intelligi, aut addisci, ideo melius est uocabulis à bonis authoribus scriptis uti, quàm barbaris & sine authore dictis, melius enim est recte loqui, quàm praue, & incompte, & si ad rem nihil faceret. De agrosti.i.gramine cum Dioscoride dicam ab omnibus cognosci, ipsum Ferrariæ potius quærerem, ubi mire uiret, & hoc montano efficacius est, radices seorsum, & ramulos colliges, uel omnia simul seruato, & quum opus erit seiungito, at quemadmodum apud latinos omnis ferè herba gramē appellatur, præsertim quæ sit iumentorū esca, ita apud Germanos nomen est gras, quo gramen significant & cæteras herbas folia strictiora habentes, ut fœnum, à Polonis uonya yoacza traua dicitur, uulgus Cretensium seruat Græcum nomen dicens agrosti, nunc autē de sanguinea herba apud nostrum uulgus dicta, aut cauriola disputare omittemus, quam Plinius lib.25. alteram speciem graminis putat, & gramen aculeatū uocat, quia plures habet in acumine aculeos, quos cōuolutos naribus inserunt extrahuntq;, ciendi sanguinis gratia, hoc nostri pueri cauriola herba sæpe faciunt, quæ an sit coronopos aliàs disputare tentabimus, nunc tantum animaduertentes dubitari posse à scholasticis, quum dulcia uermibus puerorum conueniant.i.eos potius nutriāt, quàm interficiant, dulce autem sit gramen, cur cōmunis omnium medicorum

dicorum usus est, contra puerorum lumbricos gramine uti, uerum disputationes hæ, quæ nihil ad cognitionē simplicium faciunt omittantur. SE. Nunc de graminis temperie parumper disseramus. BRA. Galenus hanc herbā, in radicem, folia & semina distinxit, radiciq; attribuit, ut modice frigida sit, & sicca, quod est in ordine primo refrigerare, & exiccare: folia in primo ordine frigida censet, in humiditate uero & siccitate moderata. De semine autem inquit, quòd alibi quidem imbecillum est, in Parnaso uero desiccatorium, & tenuium partium, & subacerbum, & si hæc à Galeno iudicentur in primo ordine frigida, tamen aliquid caliditatis habent potissimum gramē esculētum, quod radice tenella constat, & quæ dulcis est. apud poetas plerunq; pro omni herbarum genere gramē accipitur. SE. De lauro igitur sermo fiat. BRA. Ab herbis ad arbores transis? SE. In scribendo, aut colligendis herbis nullum ordinem seruo, sed ut præsentātur, ita leguntur. BRA. Plures sunt lauri species, eisdem ferè uiribus insignitæ, & apud nos adeo notæ, ut demonstratore nō indigeāt: in his mōtibus folia, daphnides .i. baccas, & corticum radices collige, ac serua. SE. Nullus est corticum usus. BRA. Immo maximus, nam calculos frāgit, & iocinorosis prodest, Galli lorier uocant laurum, ut plures ex nostris mulieribus oraro, à Polonis bobex dicitur à Cretensibus uulgo Daphni, Germani uero nomen proprium non habent arbori, sed ita fingunt lorberbaū, quasi dicant arborem bacchariū lauri. SE. Quæ nam sunt lauri qualitates? BRA. Galenus 6. de simp. med. facul. libro docet fructum, & folia desiccare, & calefacere uehemēter, & plus fructus, quàm folia, at ordinem non exprimit, si nos in temperiem reducere tentemus, Auerrois 5. colle-

ctionum suarum laurum calidũ in primo, & parum accedere ad secundum docet, ac si illum fecerit in ordinis primi fine calidũ, aut in ordine primo secũdi, & licet Auerrois de oleo, & de succo loqui uideatur, illa tamen nihil aliud sunt, quàm succum baccharũ. eius uerba hæc sunt, ex eo, quòd lauro utimur esse succum, & oleum, & est calidum in primo, & tangit parum de secundo, quoniam cõpositum est ex substantia terrestri adusta, cum substantia terrestri, et frigida, et hoc significat amarus sapor cũ stypticitate, at si Galenum consideremus non erit in primo tantum ordine calida, sed neq; in secundo, quoniam tertiũ attingit. inquit enim & folia, & fructum lauri desiccare, & calefacere uehementer, & fructus plus, quàm folia, ueruntamen (ut superius dictum est) quæ primo ordine calida, uel sicca sunt, sensu talia esse non percipiuntur, sed ratione solum: quæ iam incipiunt persentiri esse calida in secundo sunt ordine, in tertio uero sunt, quæ uehementer calefaciunt & nondum adurunt. talia uero sunt & lauri folia, & fructus, nam experientia ostendit, quòd uehementer calefaciunt, & exiccant, & non adurũt, unde in tertio ordine calida, & sicca esse censendũ est, propterea deceptus est Auerrois, uel eius codex mendosus legitur, quoniam experiẽtia ipsa duce calida in medio tertij, & sicca deprehendit ob exiccationis, & calefactionis uehementiã. SE. Tamariscus sequitur. BRA. A Dioscoride myrice nuncupatur ad illam propinquam paludem, ubi stagnum apparet, descendamus, nam ibi myrices copia scaturit, eius fructum, herbam, cortices, & lignum seruabis, duo ex ligno parantur uasa ad bibendum lienosis, & eo combusto cinis, ut fœminarum fluctiones sistantur, præparatur. est apud nos arbor notissima, quin &

ſemen, ac flores ſeruanda, Cretenſes uulgo merchiam uocant, Poloni uulgo bagny, Hiſpani tarahay, à Germanis tamariſch, a Gallis tamariſiſi appellatur, ſunt tamen & Germani, qui heyde uocent, ſed magno errore, quia erix eſt arbuſcula in magicis rebus ſalutaris. SE. De myrices temperie quid ſentis? BRA. Recentiores illam in ſecundo ordine calidam, & ſiccam eſſe dicunt. SE. Non'ne & antiqui id cenſent? BRA. Minime, nã Galenus. 7. de ſimpli. med. facult. inquit eſſe abſtergentis, & incidentis facultatis abſq; perſpicua deſiccatione, at illa quæ perſpicuam deſiccationem non habent non ſunt ſicca in ordine ſecundo, ſed tantum in primo, propterea in primo ordine ſiccam eſſe conſtabit, non ibo tamen inficias, ſi ex combuſta myrica cinis fiat, tertium ſiccitatis ordinem attingere, uel in ſecundo ſaltem intenſo ordine exiſtere, immo et Auicenna de myrice idem ſentit, quòd uehementẽ deſiccationem non habet, ac ſi id Galeni dicere uoluiſſet, quòd perſpicuam deſiccationem non habet. Theophraſtus primo de plantarum hiſtoria illum numerat inter arbores, quæ perpetuo uirent, & eodem loco myrices folium deſcribit eſſe carnoſum, quoniam pulpa conſtat, & ſententiam illam refert myricæ inter frutices foliũ carnoſum. SE. Non'ne eſt arbor magna aliquibus in locis? BRA. Nõ multum procera, tamen aliquibus in locis iuſtæ arboris magnitudinem habet, Vergilius arbuſculam eſſe putauit, unde ecloga quarta de Pollionis, et Salonini filij laudibus canens inquit:

Non omnes arbuſta iuuant humileſq; myricæ,

& in ſexta ecloga, ubi Silem cantilenam recitat ad Varum inquit:

Non iniuſſa cano, ſiquis tamen hæc quoque, ſiquis

Captus amore leget, te nostræ Vare myricæ Te nemus omne canet. ut per myricas tenuia, & ueluti serpentia carmina intelligat, quemadmodum & myricæ ipsæ humiles sunt, immo de Galli insano amore agens ecloga decima hoc egregius ostendit inquiens. Illũ etiã lauri, etiã fleuere myricæ, ut ostendat, & proceras arbores, & humiles Gallum deplorasse, hoc est nobiles, & plebeios. SE. *Salix deinde scriptus est.* BRA. *O res mira, salices in montibus quæris, sed quæ feracior terra Ferrariensi solo, omni salicum genere exuberante? ubi & uires efficaciores habet, quàm is, qui in montibus uiret, humido etenim solo gaudet, & in ipso sponte nascitur, ne herbarium tuum hac arbore oneres, quum Ferrariæ ubiq; pullulet, folia, semina, foliorum succum, corticis succum, præsertim floret, seruato, non quidem succũ per expreßionem factum, sed eum, qui per incisionem corticis emanat, & etiam ex præusto cortice cinerem seruabis, cortices uero quocunque anni tempore recentes habentur, quum uero apud Theophrastum, & Plinium plures sint salicis species, omnes æquis uiribus insigniuntur, aut modice differunt, ideo nõ est opus, nisi ex ea, quæ ad manus uenerit, hæc colligere.* SE. *Obsecro ne aliarum gentium nomina in salice prætereas.* BRA. *A Polonis quibusdam uirzba, ab alijs zlothouniza. à Venetis salgiero, ab Hispanis salx, à Neapolitanis salece, à Germanis vveidenbaum, à Gallis saulge nuncupatur, à Cretensibus uulgo etea, græce uero* ἰτέα *dicitur.* SE. *De salicis qualitatibus disseras.* BRA. *Recentiores medici salicem in primo ordine frigidum, & siccum esse uolunt. Galenus in fine sexti de simp. med. facultatibus libri desiccatoria esse salicis folia ostendit, & flores circa morsum, tamen*

quum

quum antiqui omnes & in emplaſtris exiccantibus, & in omnibus in quibus exiccatione indigebant ſalice uterentur, ex hoc in ſecundo ordine ſiccum eſſe credendum eſt, corticis autem cinis ualenter ſiccat, eſſe autem in ſecundo ordine ſiccum ex eo etiam probari poteſt, quoniam ſi ſalice ad exiccandum utamur, ſtatim ſolo ſenſu abſque ratione exiccare deprehenditur, nec penitus frigida eſt ſalix, immo & partes aliquas calidas habet, nam amara ſunt ſalicis folia & flores, & cortex, propterea & Menalca propriam, & Mantuanorum miſeriam deplorans, quũ capellas ſuas alloquitur ſalices amaras dicit inquiẽs.

Carmina nulla canam, nec me paſcente capellæ
Florentem Cytiſum, & ſalices carpetis amaras.

SE. *Cur à capellis tam auide, & ab alijs beluis ſalices comedũtur, ſi amaræ ſunt?* BRA. *Sunt nobis amaræ, beluis autẽ dulces & ſuaues, multa equidẽ nobis diſplicẽt, quæ ſunt gratiſsimus beluarum cibus, neceſſe igitur eſt ſalices caliditatẽ quandã habere cũ amaræ ſint, tamen frigiditas ſuperat.* SE. *Camedrios ſequitur.* BRA. *Barbari adeo nomina corrupere, ut genitiuo pro recto ſæpius utantur, nam quemadmodum ſtichados pro ſtœchas à recentioribus dici ſuperius annotauimus. ita camedrios pro chamædrys dicunt, recentiores medici ferè Græcam uocem exprimentes querculam minorem uocant, Latini trixaginẽ, Ferrarienſe uulgus calamandrinam, Poloni uielkaoſſanka, Cretenſes uulgo camodri, à Neapolitanis cerqueiolo, Germanorum pars loge, alij gamẽdrim, alij gamanderlim appellant, tamen nonnulli uocabulum habent, quo poſtea in amatorijs utuntur. s. Ielenger Ieliber, quod uocabulum camedrim ſignificat, ſi uero exponatur, ſignificat, quanto diutius, tanto clarius, unde in amatorijs cauillis hoc nomi*

ne

ne utentes deridere uidentur. in hoc aspero, & petroso loco uiret, ubi folia, & semina colligenda, & nunc potissimum, quia suo semine prægnans est, quo tempore Dioscorides seruandam esse monet. SE. *Dioscorides quatuor digitorũ altitudinem non excedere scriptũ reliquit.* BRA. *Id est in Hermolai interpretatione, sed ipse sua lingua dicit* ἔστι δὲ θαμνίσκος σπιθαμιαῖος, *uoluit esse fruticẽ breuem, utpote qui habeat longitudinem spithami, id est quantum extẽdi potest à pollice ad auricularem, & quã uis aliquæ etiam hanc mensuram excedant tamen paucæ sunt, nec multum exuperant: quum autem Dioscorides alicuius herbæ mensurã tribuit, id facit, ut maiori parti indiuiduorum illius speciei quadrat, nec etiam adeo statam mensuram assignat, ut quandoque in aliqua portione excedere nõ possint.* SE. *Chamædryos qualitates quales esse arbitraris?* BRA. *Auerrois quinto collectionum suarum inquit chamædrym calidam, & siccã esse ordine secũdo, idq; significari uult ab amaritudine cum acumine, & Serapio Galenum refert, qui in secundo ordine calidam, & siccam esse censuerit, tamen uterque decipitur, & Auerrois, quoniam calorem uehemẽtem habet, ut acris sit eius amaritudo, & Serapio Galenum praue adduxit, si quis octauum de simplicium medicamentorum facultatibus legat, ubi inquit, ponetq; eã quispiam in tertio ordine excalefacientiũ, & desiccãtium, plus tamen calefacit, quàm desiccet, nos igitur calidam in medio tertij ordinis, & siccam in principio eiusdem tertij ordinis censemus.* SE. *Suaderi non possum Auerroim, & Serapionem hac in re tam manifesta adeo obtusæ mentis fuisse.* BRA. *Dic igitur eorum codices mendosos esse, & ubi legitur in secundo ordine in tertio legi oporteat, nam & Auicenna ipse*

Galenum

Galenum adducit, & tertium ordinem refert, idemq; Paulus cum Aëtio sensere. SE. Laureolam ergo colligamus. BRA. Hic manifestißimus recentiorum error deprehenditur laureolam mezereum esse existimantium. SE. Qui sunt hi recentes, qui hoc putarunt? BRA. Dinus quidam Florentinus, qui Mesuem commentatus est, hic capite primo laureolam mezereon esse testatur, sed quantum hallucinetur primo intuitu apparet, quippe Arabes omnes mezereon inter lactarias herbas connumerant, at laureola lac non emittit, δαφνόειδες à Dioscoride à nobis quasi Græcum uocabulum imitantibus laureola nuncupatur, ita etiã à Gallis loreole dicitur, à Polonis uilczelyna, à Cretẽsium uulgo chamedaphni, in his montibus fructum collige, & folia. SE. De laureolæ qualitatibus disseramus. BRA. Vt lubet, & si Galenus acrem esse dicat, tamen temperies eius determinate colligi non potest, quæ & ex ipsa herba, & ex Dioscoride potius colligitur. Dioscorides enim de laureolæ folijs agens inquit, quorũ gustatu mordeatur, accendaturq; os, atque guttur, & hoc experientia ostendit, nam si in copia accipiatur exulcerat os, & denique ex copia uisceribus accensis homines obeunt, propterea illam in quarto ordine calidam, & siccam iudicare debemus. SE. Dioscorides ipsam Alipo similem dicit, & nymphea flores habere, quod in hac laureola falsum esse deprehenditur. BRA. In antiquißimis Dioscoridis codicibus ea uerba scripta nõ sunt, ideo & Hermolaus Barbarus illa habuit suspecta, in reliquis adeo ipsa est, ut nec pictor tentans eam egregius pingere nouisset. SE. Habet'ne feruentem, & erodẽtem gustum. BRA. Tu gusta, ego expertus sum magno meo incõmodo, qui etiam multa aqua epota extinguere non ualuerim, & cœnanti om-

nia

nia uidebantur, & quæ inſipida erãt multo pipere aſperſa adeo lingua, & palatũ ardebant. SE. *Tibi potius credam, quàm experiri tentem. ad rubi cimas deſcendam.* BRA. *Cima latine quidem dicitur, uerum in his montibus rubi quærendi nõ ſunt, quum Ferrariæ efficaciores uires habeant, cacumina, rami, atque mora ſeruanda: eius autẽ ſpecies plures ſunt, quæ omnes Ferrariæ uirẽt una tamẽ eſt uulgatiſsima ſpecies, quam ſentem appellant, & rubũ in ſolo Ferrarienſi omnia prædia circumſepiuntur rubo, ne iumenta, & homines in alienos agros tranſeant, à nobis abſoluto uocabulo ſpina, & roueda, quaſi rubus, & eius cacumina cimas ſpinarũ uocamus, quas Galli lecoupean des rouſes dicunt. Rubũ uero Germani bramen beher appellãt, Poloni kierz, uulgus Cretẽſe batos, Hiſpani zarzamora. de rubo autem canino cynosbato dicto aliàs tractaturi ſumus, & in ſyruporum examine de eius ſpeciebus abunde egimus, ad locum illum te conferas ſi rubi ſpecies ſcire percupis.* SE. *Nunc rubi qualitates ſaltem enarra.* BRA. *Vt ex Galeno colligi poteſt in. 6. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, & in ſecundo de alimentorum faculta. folia, germina, flos, fructus ſunt frigida in primo ordine, in ſecũdo ſicca, tamen maturus fructus aliquid habet caliditatis temperatæ ob dulcedinem, ut Galenus notat.* SE. *Myrtus ſequitur.* BRA. *Duæ potiſsimum Myrti ſpecies reperiuntur, nigra, & alba, nigra folia habet, quæ in uiriditatem quandam intenſam, & ferè ſubobſcuram tendunt, quæ nigredinem quandam præ ſe ferre uidetur, alba uero uiriditatem habet magis apertam, quæ reſpectu intenſæ uiriditatis albedo dici poteſt, in genere autem omnia ex myrto, quæ in uſum medicum ueniunt, feliciora, & efficatiora in nigra ſunt, quàm in al-*

ba, & ita perhibetur ab authoribus, ex nigra igitur omnia colliges tibi necessaria, & descēde propè illas aquas, ubi egregie uiret: est enim frutex ambiguæ naturæ, qui modo in aquis, modo in terra uiuit, multa ex myrto seruanda sunt, semina, folia, succum ex folijs, & seminibus, ex quibus etiam exprimendum uinum, uos semina myrtillos appellatis, antiquiores, ut Hippocrates myrtidanum. Parua etiam myrtus, quæ myrto adnascitur myrtidanum dicitur, & myrtida à Paulo Aegineta, efficatior est tota planta, quam seruare expediet, intelligo etiam per adnatum id quod circa corticem nascitur, ut in thymo Mesue epithymus, ita in myrto myrtidanum, uel (ut nouum nomē fingamus) epimyrtus, quem circa myrtum frequentissime uidimus, cum inter myrteta equitaremus. 1535. inter Fondos & Ansur nunc Terracinam uocatā simul cum Illustrißimo duce nostro, qui Neapolim Carolum quintum Imperatorem uisitaturus proficiscebatur, quamuis Galenus myrtida sobolem myrti solum intellexerit, omnia ergo hæc ex nigra myrto sumenda. SE. Quomodo ab alijs gentibus nuncupatur. BRA. À Græcis μυῤῥίνη dicitur & etiam μυρσίνη, à Gallis meurte. SE. Quæ sunt primæ eius qualitates? BRA. Auicenna frigidum in primo ordine censet, & siccum in fine secundi, & Galenus ex contrarijs substantijs constare myrtum dicit, tamen iudicat frigidum terrenum in ea uincere, & tenue quoddam calidum habet, propterea ualenter desiccat, cum ergo uincat frigidum, & aliquid habeat calidi tenuis primum ordinem non excellet, at cum ualenter desiccet erit in tertio ordine siccum, tamen folia, germina, fructus, succus diuerso modo exiccant, ueruntamen unumquodq; id agit ualenter, ut aliqua in fine secundi ordinis, aliqua in tertij principio

principio, alia in media tertij parte exiccant. SE. Cauda equina sequitur. BRA. Nomen rei ipsi conueniens, nam cum equina cauda similitudinem habet, ideo & Græci ἵππουριν, & Latini equisetum, & equinalem uocant, nescio autem cur à Ferrariensibus mulieribus sceuola appelletur, tamen quicquid sit non est in montibus petēda hæc herba, sed potius inter Ferrarienses fossas, & loca aquosa, folia, & radices seruanda, utpote rei medicæ utilia, tamē unum animaduersione dignum est ab aliquibus, ita appellari, quia equorum membris succurrat præsertim ubi fluxerit sangis: habet enim adstrictoriam quandam uim, ideo à Germanis nomen accepit harstrang, à strangulando, quoniam si quispiam masticauerit, ut pueri sæpe faciunt adeo adstringit, ut strangulare uideatur, Galli uero à similitudine queue di chiual dicunt, à Polonis pyzaslka uocatur, & à Venetis cua de cauallo, à Germanis schaffthevv, herba apud nos notissima, cuius duæ sunt species, altera breuior, altera lōgior, quā à saliendo salicē equinalē Dioscorides appellat, longiorē appellant nostræ mulieres sclaream, arbitror inde sumptum nomen, quia stanea uasa illa fricent, & clarificent, sed aliud uocabulum habent magis usitatum. s, asprella ab asperitate, ideo mire fricat uasa, breuiorem sceuolam dicunt, Sceuola est secūda species equiseti apud Dioscoridem. Asprella uero prima, habet autem sua folia adeo mollia sceuola, & fragilia ut inepta sit ad abstergēda uasa, sed asprella dura habet, & ad frangendum contumacia, asperaq; est, ideo in poliēdis coquinarijs uasibus ea utūtur, sunt adeo notæ hæ herbæ, ut nulla sit Ferrariensis muliercula, quæ non agnouerit. alias autem in Polygono fœmina deceptus sum, quam Romani sanguinalem fœminam appellant, putans ipsam

esse

esse equiseti speciem, quoniam ita à Dioscoride describitur, frutex est tener, arundini similis, continuatis geniculis, & in se ipsis tubarũ modo fractis, circa quos piceæ similia folia in orbẽ exeunt, radix illis inutilis est, nascitur aquosis locis, astringẽdi refrigerãdiq; uires habet, si quis equisetũ huic descriptioni cõparabit, eius picturã esse fere deprehendet, tamen deinceps noui sanguinalem fœminam alteram esse, & à nostris mulieribus coregiolam & ipsam appellari, quia polygonũ mas etiã coregiolã uocãt per mulieres uniuersum Ferrariense uulgus intelligo, huius herbæ succo, ac puluere Illustrem Dianã Estensem, cõtrariam dignam, ut altiori tuba decantetur à fluxu sanguinis narium immunem feci. SE. Caudæ equinæ qualitates ne prætereas. BRA. Auicenna illam in primo ordine frigidam esse dicit, & in secundo siccam, de frigiditate illi cõsentimus, at in siccitate dissentimus, quare in tertio ordine siccam esse fatemur, cum à Galeno in sexto de simplicium medicamentorum facultatibus libro, ualenter exiccare dicatur, propterea & maxima uulnera conglutinat. SE. Solatrum maius, & minus sequuntur. BRA. Non modo in solano (ita enim appellari debet) recentiores, sed etiam antiqui inter se dissentiũt. Nam Theophrastus, Plinius, & Dioscorides his nominibus Strychnon, & Halicacabum uario modo utuntur. quippe Theophrastus solum duo genera ponit, somniferum, & maniacum, sed hæ lites in aliud tempus differantur, maniacum solanum deserendum, nec quo utimur in his montibus colligendum, sed Ferrariæ ubertim habetur, olim edẽdo erat, nunc non editur, olim etiam satiuum erat, & in hortis cũ alijs oleribus seminabatur, nunc in hortis, & aquosis locis sponte prouenit, immo & cultoribus inuitis scatet: tu

folia,

folia, ac fructũ, id est acinos suos illos seruabis, à Ferrariẽsibus biassola, ab alijs uua canina appellatur, sunt etiã qui uuã morellã à colore, quũ grana maturuerint uocent, & quoniã eo succo talis color fiat. uulgus enim Ferrariẽse purpureũ colorẽ, morellu dicit, quo nomine in hac herba Galli, & Lusitani utũtur: illi enim morelle solatrũ uocant, isti moura, & ferè idẽ nomen Germani sequuntur nachtschatn dicentes, quasi umbra noctis, ex colore, quẽ grana ipsa, aut habent, aut inficiunt, à Polonis pszinki, à Venetis maius solatrum herba belladõna uocatur, non est opus notißimam herbam alijs uerbis pingere: nullus enim est Ferrariæ, qui solatrum ignoret. SE. Cuius sunt qualitatis? BRA. Galenus in secundo de alimentorum facultatibus notat inter olera, quæ edendo sunt, nihil æque adstringere, ut solanũ, & ideo, crebro in medicinis, raro in cibis utimur. Auicenna in primo frigidum esse dicit, in secundo siccum, & genus, quod stupefacit esse frigidũ, & siccum in tertio, at Galenus in octauo de simpliciũ medicamentorum facultatibus refrigerare inquit, & adstringere posse secundo ordine, id uero genus, quod hypnoticũ dicitur, quia somnum conciliat, in tertio ordine frigidum est, de hoc autẽ aliàs. SE. Iuam ergo doceas. BRA. Hæc à Græcis χαμαιπίτυς dicitur, qũia humilis, & per terram serpat, non tamen adeo serpit, quin ramunculos eleuatos habeat, in hac etiam ordinanda recentiores geniti uo pro recto utuntur, chamæpityos dicẽtes. Iua autem uocatur, quasi ibiga: ita enim à Plinio, & alijs pluribus dicitur, uel abiga, nostri recentes iua, aut iuam moscatam, credo ob odorẽ uocent, qui tamen mihi ingratißimus est, corruptumq; est uocabulũ iua, ab ibiga, uel abiga, in montibus efficacior existit, & propè maria, nomẽ accepit ab

odore quem habet piceæ, uel pinus, nam hoc uocabulum πίτυς modo pro picea, modo pro pinu interpretatum inuenies, tamen piceæ odorem potius imitari uidetur, unde chamæpitys idem est, quod parua picea, uel si id mauis parua pinus, fuere tamen recentes, qui cupreßinam, & qui paruam cyparissum potius nuncupare uoluerint, tamen à picea, uel pinu, nō à cyparisso nomen habet, ut chamædrys, id est parua quercus à drys, quod quercus est, deducitur. tres ibigæ species reperiuntur, quæ in genere à parte Germanorum uergissmeinut appellantur, quod uocabulum in cauillis amatorijs sumunt, & circa ipsum iocantur, nam idem significat, quod non obliuiscaris mei. Tres species ibigæ reperiuntur, sed tu hanc, quæ in usu est solum collige flores luteos habentem, nam de his herbis tantum acturus sum, quæ nunc in phamacopolarum officinis Ferrariæ uersantur, alio autem loco de omnibus herbis ubertim, & distincte disseremus, à Gallis iue arthetice dicitur, quemadmodū, & à multis Italis, ut à Neapolitanis dicitur. forte ob id dicta, quoniā artubus succurrit, à Polonis mala assanna, & ab alijs uielna ozanna nuncupatur. SE. Cuius est qualitatis? BRA. Omnes uno ore fatentur in secūdo ordine calidam esse, in tertio siccam, ut Galenus 8. de simp. med. facult. lib. testatur, oues marcidas uidimus, & putrescentes ex huius herbæ esu sanitati restitutas, & boues, atque equos, hisq; beluis plurimum sapit, quamuis herba amara sit, addoq; illam, quā nos habemus adeo ueram chamæpytim esse, ut lactuca uera lactuca est. SE. Fœniculus sequitur. BRA. Notißima herba à Græcis marathron appellata, notißima inquam, utpote cibis gratißima, quam gratia bibendi nunc comedunt, prius sanitatis gratia sumebatur, propterea herba,

& te

& tenello trunco toto anno uescebantur. in hoc mōte ubi uires præstantiores habet, herbam, semina, et radices collige, partim pro re medica, partim pro obsonijs seruanda, quanquam pro obsonijs coquorum, & nostratium mulierū cura sit, ab Hispanis inoio, à Gallis fegneul, à Germanis fenchiel, à Polonis vvlosxi xopr, à Cretēsibus uulgo maratha, à Neapolitanis fenucchio appellatur. SE. *De fœniculi qualitatibus disseras.* BRA. *Auicenna fœniculum syluestre calidum in tertio ordine, hortulanum uero in secundo esse fatetur, at Galenus hortulanum etiā in tertio ordine calidum censet, quoniam uehementer calefacit, siccum uero in primo ordine, uerum cum fœniculi siccitas absque ratione nota sit, & solo sensu manifeste deprehendatur, propterea in secundo ordine potius siccum esse arbitramur, quod & Auerrois quinto collectionum testatur, Paulus Galenum sequitur, sed id ipse asserit esse in primo ordine siccum, Galenus uero secundum quosdam dicebat, unum uero potest nos ambiguos reddere, quoniam ut tantum in primo ordine siccum sit. hac ratione à Galeno probatur, quoniam lac procreat, quod si admodum desiccaret non sanè efficeret, & Paulus, atque Aëtius eodem utuntur testimonio, tamen etsi in primo ordine siccum sit nulla est ratio, qua dici posit fœniculum in lac conuerti, ut alij cibi liquidi, cum igitur secundum substantiā in lac nō cōuertatur ad rem nihil facit uel in primo: uel in secundo ordine siccum sit, propterea indicādum cēseo Galenum hoc referre ueluti quoddam ab alijs dictum, non quòd ipse id sequatur, nam ex suis regulis potius indicat esse in ordine secundo siccū, lac uero dicitur generare fœniculum, quoniam sanguinem ad mām̄as dirigit, aperit, attenuat, tamen in lac secundum substan-*

 tiam

tiam conuerti non poteſt. SE. Caules ſequuntur. BRA. Nec braßicæ, ſuæ deſunt uires, præter id quòd edēdo ſit, à Dioſcoride tres ſpecies enumerantur ſatiua agreſtis, et marina, de ſatiua nihil amplius Dioſcorides, ſed Theophraſtus, & poſt ipſum Plinius, qui Theophraſti interpres appellari poteſt, in tres etiam ſpecies ſatiuam partiūtur in criſpam, caulodem, & eam quæ proprie dicitur crambe, quanuis crambe nomē generis ſit, tamen ſatiuarum omnium idem uſus in re medica uidetur, quāuis crābe, quæ tenuiora, & ſimpliciora folia habet, egregius laudetur, tamen in montibus quærenda non erat, quum in Ferrarienſi ſolo mire pullulet ex quacunque ſpecie, & præſertim ex ea, quæ tenuiora folia habet, folia, ſemina, & cimæ ſeruanda, quæ ſale etiam condire oportet pro uomitionibus ciendis, immo & ſuccus, & flores, & crematorum caulium cinis legendus, tamen cum toto anno Ferrariæ uireat, tunc colligerem, cum ea indigerem, eſt autem non modo in re medica, ſed & in ganea laudata crambe, de qua biſcocta plura prouerbia à Græcis facta ſunt, Hiſpani latinum ferè imitantur, coles dicentes, quaſi caules, & alij dicunt uerzas, ſed & ad hoc nomen potius Germani attingunt, coele exprimentes, & Galli choule, quàm ad braßicam. id autem braßicæ genus, quod nos à capite caputiū appellamus id forte eſt quod Plinius ſeſſile, & cumanum uocat, à Germanis etiam à capite nomen ſumpſit cappes, uel cappes kraut dicentibus, Poloni forte & ipſi caulem à capite kuposta uocant, & uulgus Cretenſium phringio, à Neapolitanis foglia. SE. Quæ ſunt caulis proprietates? BRA. Hippocrates in ſecundo de ratione uictus libro quem Galenus Theſſali, uel Herophili eſſe iudicat, inquit braßica calefacit, mouet, bilio-

ſaq;

saq; ciet, apud Auerroim in quinto collectionum cap. 40 legitur caules frigidos esse, et siccos. Arbitror ego Auerrois contextum esse corruptum, et legi oportere calidos, & siccos, braßicarum caliditas manifesta nõ est, propterea in primo ordine calefaciunt, in secũdo uero exiccãt, quoniam, ut Galenus testatur intus, & foris exiccant, & siccitas manifeste deprehenditur, immo tali modo exiccat, ut uulnera conglutinet, Cato tradit Populum Romanum sexcentis ferè annis in re medica braßica usum: non dum enim in urbem commeauerant medici, qui in artem redigerunt, quemadmodum magno sanitas constet, & peregrina secum pigmenta attulerunt, ut illis imponerẽt pretia, quæ uellent, cæterum militares uiri gloriosas cicatrices gratuito olere curabant, eodem horto cura usi, cura ad salutem dum illos pascit, & sanat. SE. *Tamen braßicarum folia humida esse uidentur.* BRA. *Secundo de alimentorum facultatibus braßicæ succum humectare corpus edocemur, & prima coctura deijcere facit, sed caro braßicæ exiccat, id forte Auicenna intellexit, cum dixit corpus esse humidius, uel si id non intelligat à Galeno longe differt.* SE. *Aluauenghi ad manum ueniunt.* BRA. *Halicacabus latine dicitur, Arabes & Barbari latinum peruertentes Alchachengi, quasi Halicacabum uocant, est secũda species Solani Dioscoridis, quam Plinius uesicariam appellat, quoniam uesicis succurrit. Dioscoridi autem magis placet, quoniã folliculus ille, in quo eius granum continetur cum uesica similitudinem habet, uesicariam dictam esse. qui eam apollinarem minorem apud Dioscoridem esse tradunt, decipiuntur, de qua in fine primi libri scriptum est, nã nec id caput eo loco esse debet, & est tertia species strychni, quam* ὑπνοτικὸν *.i. somnificam*

ficam uocant, quæ prope mare inter saxa nascitur. ne in his montibus halicacabum quæras, sed quum eris Ferrariæ, in uineis colliges, ubi efficacior est, herbam & folliculos seminibus plenos seruabis, quin & succum exprime, in umbraq; sicca ad ciendam urinam, potuit hic succus tribus diebus contentam urinam Reuerendi præsulis Iacobi Gallini sanctæ Annæ prioris dignißimi expellere, et aliorum aquam inter cutem euacuare. Nescio qua de causa Germani eam appellent iudendocklen id est iudæorum pilam, forte ex folliculo nomen istud nacta est, hi uero Germani longe decipiuntur, qui schlaffbeehr, uel tholkraut halicacabum putant, quoniam ea nomina potius furioso solano conueniunt, primum enim somnificum granum, alterum maniacam herbam significat, plures autem absque his affectibus halicacabum apud nos comedunt, adde diuersam esse maniacæ herbæ figuram, à nonnullis Polonis czeruone iagodi, ab alijs pssye visnye dicitur. SE. Ne halicacabi qualitates omittas. BRA. Galenus in solano dicit halicacabum in foliorum qualitate solano similem esse: propterea frigidum, et siccum erit ordine secundo. SE. Beta mox occurrit. BRA. Nomen habet secundæ literæ alphabeti græcorũ, nam quum ab olitoribus deprimitur figuram. b. præ se fert, est autem duplex candida, & nigra: radice cognoscuntur, non folijs, ut multi decepti sunt, adeo notæ sunt herbæ, ut opus non sit pingere. ne montanam quæras, sed Ferrariæ abunde uiret, & efficacior, quàm alibi est, ex ambabus speciebus folia, & radices serua, tamen alba in omnibus efficacior est, præterquam in adstringendo, quo effectu à nigra superatur. succus etiam foliorum, & radicũ ad plures ægritudines ualet, de blito nihil in præsenti, quum apud phar

macopo

macopolas eius usus non sit, Galli poiree bletam, & Germani mangolt appellant, quo ferè nomine Itali multi utũtur, ut qui circa Vercellorum coloniam, & propè montes habitant, dicunt enim simul cum Mediolanensibus, & ferè cæteris insubribus manegold, à Polonis czvvvikla, Venetijs herbete uocatur, à Cretensium uulgo seuclon, ab Hispanis azelgas, & à Partenopeis folia molla nuncupatur. SE. Galenus in 6. de simp. med. facult. olus esse esculentum docet, in secundo excessu à temperatis humidum, & frigidum. BRA. Loquitur de blito non de beta, nam octauo deinceps libro de beta sermonem habet, quam dicit nitrosæ facultatis esse participem, & digerit extergit, & per nares purgat. unde huius ratione ponitur in clysmatibus eius succus, propterea recentioribus assentire non possum, quod frigida sit in primo, & humida in secũdo, nam & habet aliquid calidi, cum ea faciat, quæ à Galeno dicuntur, ex quibus in primo ordine calidum esse indicamus, de humiditate uero non dubitamus, tamen esse diuersarum partium, quæ diuersas habent naturas constat. SE. Ad mercurialem uenire conueniet. BRA. Hanc Mercurius inuenit, ideo Mercurialis dicta est, quam Græci ab eodem Mercurio sua lingua hermipoam uocant, & alio nomine linozostin, Galli & Hispani nomine ferè latino utũtur, primi Mercuriale, alij Mercurial, nostrum uulgus magis corrumpit nomen mercorella dicens, habet apud Germanos uaria nomina, ut etiam uariæ sunt nationes, sed hoc cõmunius est cæteris bingelkraut per. b. aut per. p. pingelkraut, alij uero ruevvurtz, alij scheisskraut, alij scheisszmilt, alij mistrudt, alij speckmalten, alij hundesmilt, alij scoszmelden appellant, sed pro diuersitate nationũ hoc fit: à Polonis mercurij,

ab alijs mercurio schoue ziele, à Cretensium uulgo scarolacanon, herba notissima est, & qua pro soluenda aluo nostri rustici utuntur, in pultarijs præsertim decocta, si quis enim lancem comederit, mira euacuatione soluitur, duas species habet marem, & fœminam, fœmina efficacior existimatur, mas nigriora folia habet, & semina rariora, immo duo sola habet per diuersos geniculos ueluti duos testes, fœmina albiora folia habet, semina frequentiora sunt, in humectis, & omnibus campis oritur, quamuis in montanis, & siccioribus efficacior sit: æque folia, ramuli, & semina legenda. SE. Cuius est facultatis hæc herba? BRA. A Galeno non exprimitur, sed inquit esse admodum digerentis facultatis, recentiores in primo ordine calidam, & siccam esse testantur, at nos potius in secundo ordine calidam esse probamus, cum sensu ipso calefacere deprehendatur. Auerrois in febrium initijs Mercuriali utitur sicuti & cassia & tamarindis, nos illam ante coctionẽ exhibere non laudamus, sed rustici Ferrarienses etiam sani cum uentrẽ purgare uolunt, ea utuntur cocta ex aqua, & oleo, pro minutali, bilẽ crassam, pituitam, & ichores educit. SE. Iam betonica in medium uenit. BRA. Notissima herba, quæ in montibus quæri nõ debet à ueteribus Hispaniæ populis inuenta, quod intelligendum est, primum ab his populis eius uires ostensas, adeo autem nota est, ut apud uulgus Ferrariense in adagium uenerit, quum de re nota sermo fiat, dicere notiorẽ esse betonica, cestron à Græcis appellata, à latinis serratula, ut Plinius testatur, & merito quia circumcirca in morem serræ diuisa est, Ferrariæ illam quæres, quoniam frigidiora loca amat, duas species habet æquis ferè uiribus insignitas, tamen quæ sponte nascitur satiua effica-

cior

ciòr uidetur`, quod in omnibus ferè ſylueſtribus plantis reſpectu ſatiuarum uſu uenit, aliàs in hac herba diſsidiũ componemus inter Dioſcoridem, & Plinium, quoniam Plinius betonicæ folia rumicis ſimilia facit, quod Dioſcorides britannicæ aſcribit. uultq; betonicam habere folia quercus, in qua re Plinius à Leoniceno reprehẽditur, ſed an abſolute folio rumicis comparauerit Plinius, uel potius comparatio ſit rumici in expanſione foliorum ſolum, aut non abſolute rumici comparet, ſed potius rumicis folijs ſerratis, alio commodiori loco diſſeremus. Tu interim Ferrarienſi agro herbam, ac radicem ſeruabis. Dioſcorides autem folia in fictili uaſe trita cõſeruat, Galli bethoniem, Germani betonien kraut, & Poloni bunvvicza uocant, nunc Cretenſe uulgus uetonichi nuncupat. Recentes in primo ordine calidam, & ſiccam eſſe uolunt. Auerrois quinto collectionum capite quadrageſimoſecundo illam ordine quarto calidam, & ſiccam eſſe fatetur, at iudicio noſtro decipitur, quippe tanta caliditate pollere non poteſt, ut experientia oſtendit, nam in acetarijs, et ueluti holus in minutalibus editur. nos igitur cum ſenſu deprehendatur betonicæ caliditas, abſque alia ratione, erit in ſecundo ordine calida, & in eodem quoq; ſicca, unde à Galeno dicitur eã eſſe guſtu amariuſculã, & ſubacrem: neque illa quæ in primo tantum ordine calida ſunt renum calculos confringere poſſunt, ut betonica Galeno teſte facit. SE. Celidonia ſequitur. BRA. Duæ ſunt chelidonij, ideſt hirundinariæ ſpecies, maior, & minor, de minori nihil ad nos, quia in pharmacopolarum uſu non eſt, maiorem tantum proſequuntur, quæ apud nos Ferrariæ in parietibus, & ſemitis, & lapidũ cumulis naſcitur, noſtrum uulgus cerognam appellat, dicitq; dentibus aduerſari,

uerſari,

uersari, ut si quis eius succo, qui luteus est, dentem tetigerit protinus corruere, quum tamen econtrario sit, nã dentium dolores finit, & eosdem tremulos confirmat, ut experientia didicimus modo putridi non sint. ita uero nuncupatur, quia quum hirundines ueniũt, ex terra prodijt, quum abeũt, marcescit, aut quia suorum pullorum oculis hirundinos auxiliantur, fabulosum est, & quod nostris etiam temporibus fertur, ex Dioscoride *fortaßis, & antiquioribus sumptum, si quis hirundinum pullis oculos eruerit modo non frangatur neruus, hirundines illis succurrere hac herba, quam multi fatentur se uidisse in nidis, quũ autem puer essem hoc experiri tentans, quinque hirundinum pullis oculos erui, adeo ut neruus adhuc oculo iungeretur, altera die sanos pullos inueni, at nullam herbam in nido repperi. tria ex hac herba seruanda, folia cum caule, radices, & semina, adde, & succum, qui ex omnibus his partibus fit, in æneo uase cum melle decoctum.* SE. *De chelidonij qualitatibus disseras.* BRA. Recentiores *calidum, & siccum in secundo ordine faciunt, tamen si* Galenum *in octauo de simplicium medicamentorum facultatibus libro consideremus, in tertio ordine calidum uidetur, atque siccum, nempe dicit extergentis admodum esse, & calidæ facultatis, at quæ calidæ admodum facultatis sunt in tertio ordine calida esse constat, modo nõ urant, addeq́ue de minori agens chelidonio dicere acrius esse maiori, unde in quarto ordine completo calidum, & siccum, à quo cum maius chelidonium declinet in tertio erit ordine intenso calidum, & siccum, uel in quarti principio.* SE. *Si hic minus chelidoniũ scatet, ne ostẽdere pigeat.* BRA. *Quum* Ferrariæ *erimus, eam ostẽdere curabimus, nam in aquosis nascitur, folijs rotundioribus, quàm hedera, nec*

caulem

eadem habet, sed folia à radice prodeunt: præsertim in mense Maij uidetur: herba est, quæ cito euanescit, ne tu illa nunc scire tentes, quibus non uteris: alio enim loco herbas omnes edocebimus, unum est habere multas radices, & rotundas flore luteo, Ferrariæ primo uere, eius folijs in acetarijs utimur, Galli chelidonium eclere, Germani schelwraut uocant, & Poloni uulgare nomen .s. celidonia utuntur, à uulgo Cretensium chelidoni dicitur. SE. De berbena ergo disseramus. BRA. Nobilissima herba uerbenaca, quæ apud Romanos in honore habebatur, utpote qua lustrabant domus, & familiam, qua fœciales coronabantur, qua mensam Iouis uerri dicebant, qua magi, & fatidici uaticinabantur, & multa alia, ut Plinius uigesimo quinto libro cap. 9. testatur, ab aliquibus peristereon dicitur, quasi columbaria, quoniam in ipsa libenter columbi uersantur, ideo à nonnullis nostræ gentis columbina uocatur, nostræ mulieres in festo natiuitatis Diui Ioannis Baptistæ, & assumptionis uirginis Mariæ, hac herba se coronant, & cingunt, putantes eo anno à capitis, & dorsi dolore liberas futuras, qui mos ab antiquitate acceptus est, sed (ut refert Plinius) in ortu canis colligebatur, nec solem, aut lunam circunspici uolebant, terra imprimis fauis, & melle lustrata, illam adeo in ueneratione habebāt, ut hierabotane, idest sacra herba appellaretur, immo herbas oēs, quæ ad lustrationē ualebāt, aut magiā, aut quodcunq; aliud simile facinus per excellentiā uerbenacas appellabant, & hierobotane, quamuis hoc nomen huic peculiare sit, à Ferrariensibus corrupto uocabulo borbonaga dicta, à Gallis ueruene, à Germanis ysenkraut, uel eisenkraut, ac si ferri herbam dixerint, & ysenhart, à Polonis koszisko dicitur, Veneti uulgo herbam de san Zoāne nominant,

minant,adeo Ferrarienſibus nota eſt,ut nihil notius Verbena:aquoſis enim locis naſcitur,ideo ne illam à mõtibus petas,duas ſpecies habet in re medica ſeiunctas uires habẽtes,quas etiam Græci,& Latini uario nomine partiũtur,quippe Plinius in marem,& fœminam ſecat,Dioſcorides per rectum,& ſupinum diuidit,recta uerbenaca apud Plinium mas eſt.ſupina fœmina,noſtí ne ambas ſpecies? SE. Quid'ni apud omnes adeo notæ ſunt,& in toto agro Ferrarienſi frequentes,ut canibus noſtris notior ſit pane.folia in ſimilitudinẽ folij quercus habent. BRA. Ita eſt circumcirca inciſa,ideo & ea ſpecies,quæ ſupina dicitur,quercui à Dioſcoride comparatur,quãuis,& altera etiam ſpecies eidẽ comparari potuiſſet, Romani marem criſtam gallinaceam, fœminam uero circinalem uocant:nõ aſſurgit fœmina,ſed quaſi ſerpit,& humilis eſt, ideo à Dioſcoride ὕπτιος,id eſt ſupina dicitur,quũ eris Ferrariæ ſcorſum ambas ſpecies collige, unà autem folia caulis, flores,& radices ſint. SE. Non conſueuimus has ſpecies ſcorſum habere. BRA. Error erat, nam ut Dioſcorides tradit mas ad nõnulla ualet,ad quæ fœmina inepta eſt,& econtrario. SE. Quæ ſunt uerbenæ qualitates? BRA. Calidam in primo eſſe dicunt, & in ſecundo propè tertium ſiccam,unde, & Galenus inquit uim habere adeo deſiccantem,ut conglutinet uulnera, tamen cum amara ſit, & in lingua acredinem quandam imprimat, quæ ad fauces uſque extenditur,propterea in ſecundo ordine calidam eſſe iudicamus. SE. Eupatorium ſequitur. BRA. Nihil ferè in re herbaria tam corruptum eſt,quàm hoc,quod eupatorium dicitur. SE. Quamobrem? BRA. Quoniam nec eupatorium,quo uos utimini,uerum eupatorium eſt,nec id nomen,quod nunc uero eupatorio tributum

tum est, illi quadrat. SE. Quomodo fieri potest, quòd eupatorium, eupatorium non sit? Aeque est, ac si quis hominem nõ esse hominem dicat, aut equum equum, hoc est de quo miror, Iuniores quosdam nũc prodire, qui omnes nostras herbas damnent. BRA. Mihi optime pater nullo modo credendum est, sed antiquioribus authoribus fidem præsta. En tuum hoc eupatorium, quãtum à Dioscoridis, Plinij, & antiquorum eupatorio euariet, considera, lege tu Dioscoridem, fructicosa herba est, singularis exit ex ea uirga, gracilis, lignosa, recta, nigra, pilosa, cubitalis, et aliquando maior, folia habet per interualla partibus diuisa, quinque ferè, aliquando tamen pluribus, quinquefolij, cannabis'ue folijs similia, nigricant, & hæc etiam, serræ modo in extremitatibus incisa, semẽ fert, singulari illi uirgæ deinceps adnascens, in terram annuens, adeo asperum, & hirsutum, ut uestibus siccatũ hæreat. SE. Nullam habet cum nostro uocato eupatorio, aut modicam similitudinem, quàm uero herbam eupatoriũ putas? BRA. Illa est, quæ uulgo agrimonium appellatur. SE. Si figurã herbæ, & Dioscoridis picturam contemplor, ea omnino est, uerum agrimonium nostrum, Dioscoridis argemonem existimabam. BRA. Id fieri non potest, si eius descriptionem in Dioscoride considerabis, quippe inquit agresti papaueri similis argemone est, folia anemones habet, incisuris diuisa, florem in caule puniceum, capitulum erratici papaueris, quod roeda uocant, oblongius tamen, & in superiore sui parte latius, radicem rotundam, quæ diluti aqua croci colore liquorem ex se remittit, ui sua acrẽ. SE. Hæc nihil habet cum nostro agrimonio commune, uel in folijs, floribus, aut radice, forte est altera species argemone. BRA. Et illa eadem folia habet. SE. Miror cur tam

diu

diu latuerit. BRA. Immo post celeberrimi Nicolai Leoniceni tempora præceptoris nunquam pœnitendi, multi pharmacopolæ nostro uulgari agrimonio pro eupatorio utuntur, eo ita demostrante, nec mirandum est, si in recentibus error diutius protractus sit, quoniam & antiqui eodem ferè errore ducebantur, ut Dioscorides testatur, quippe argemonem, idest ea, quæ agrimonium appellatur, ab ipsis eupatorium dicabatur. At quam nos reuera agrimonium appellamus, uerum Dioscoridis eupatorium est, & argemone altera herba ē. SE. In præsenti de agrimonio nihil tractes, deinceps de illo uerba acturus, id tamen scire optarim, quæ nam herba hæc sit, quam eupatorium uocamus: est enim notatu digna herba, odorata, & uisu pulchra. BRA. Non est idem eupatorium ubique in Italia. SE. De alijs nihil impræsentiarum, de hoc nostro sermo fiat, quod in fouearum ripis nascitur, & humidis locis, lõgiora folia habens ferè cannabinis similia, flores in summo multos coaceruatos purpurascentes. BRA. Reuera herba est non satis laudata, quā egregijs uiribus insigniri arbitror, plerunque eius gratia uniuersum Dioscoridē euolui, & eam inuenire non potui, nec Plinius, Galenus, Paulus, aut alter similem herbam pinxit non defuere tamen, qui illam symphitum petreum arbitrarentur, sed falso, quoniam in saxis non nascitur, nec thymi ramulos habet tenues à cacuminibus, nec thymi capitula, & quod potißimum est, non est dulcis hæc herba, sed subamara, aliqui enagram esse arbitrati sunt, sed descriptione considerata adhuc peius sentiunt, quam ob rem non inueni hanc herbam in aliquo ex antiquioribus authoribus, quam tamen uiribus præcipuis insigniri putamus, ut in Ferrariēsibus herbis edocebimus uolumine de ipsis tradendo, & iā

diu cœpto, in uinetis nascitur eupatoriũ Ferrariæ, id autem intelligo, quod agrimonium dicimus pro uero eupatorio colligendo, cuius herbam, radices, & semina seruabis, quod in his mõtibus potius, quàm Ferrariæ habere studeas, à Gallis etiam eupatoire, & à Germanis leberkraut id est Iecoris herba uocatur, à Polonis szadziecz dicitur alij scribunt badzecz. SE. Dic mihi (ni pigeat) Arabes sunt'ne de hac herba locuti? BRA. In eupatorio herbam describunt eisdem ferè uerbis, ut Dioscorides facit, ut Serapionem legenti manifestum erit, & Mesuem, quamuis Mesue centauriæ minoris folijs comparet, & alij cannapis, aut quinquefolij, sed forte corruptus est Mesuæ textus, qui omnia à Serapione accepit, in hoc tamen à Serapione dissentire uidetur, ideo corruptum esse eius codicẽ suspicor, quia etiam Auicenna, à quo sumit, cannabinis folijs assimilat, & non centaurij minoris. SE. Hoc summe placet, quia alteram herbam esse apud Arabes eupatoriũ quàm apud Græcos putaueram. BRA. Eadem est, sed ob peruersam ex Græco in Arabicum, & ex Arabico in Latinum, uel potius Barbarum interpretationem plurima immutata sunt, ut alijs uestibus induta, alia etiam uideantur, constat autem Serapionem Dioscoridem sequi, & nõ nullos Arabes, Auicẽnam uero Serapionem, & Mesuem posteriorem, utrosque. SE. De eupatorij qualitatibus parumper disseras? BRA. Si Galenum sexto de simplicium medicamentorum facultatibus consideremus in primo ordine calidum erit, atque siccum, nam inquit esse tenuium partium, & habere incidendi, extergendiq́; facultatẽ citra manifestam caliditatem, inest & ipsi adstrinctio quædam, per quam robur Iecori addit, cum ergo manifestam non habeat caliditatem in primo ordine calidum erit, &

ob modicam adstrictionem in eodem ordine siccum, unde & Auerrois quinto collectionum illud ponit in primo ordine, sed Auicenna calidum in primo ordine, & siccum in secundo illud statuit. herba hæc iterum impræsentiarum considerata obscuram quandam amaritudinem habere uidetur, ut in primo ordine intēso sit calida: de siccitate in secūdo ordine sicca uidetur, quoniam absque ratione exiccare deprehenditur, immo cum & absque ratione calidum uideatur eupatorium, in secundo ordine caliditatis remisso poni poterit, hæc ita proponuntur, ut alijs ansam considerandi præstemus. SE. De hac herba satis, ad hyssopum descendamus. BRA. Et hyssopus duas species habet, quæ locis tantum differunt, Hortensis, & montana, Hortensi montana efficacior est, ideo montanæ solum herbam, caulem, & flores serua. SE. Id faciam, nam notissima herba est hyssopus. BRA. Apud te forte nota, sed ego in ipsa ualde dubito. SE. In herba etiam mulierculis nota dubitas? BRA. Imò maxime, quoniam Dioscorides eā suo loco non pingit, sed libro quarto, ubi de chrysocome tractat, inquit habere comantes corymbos figura hyssopi at nescio in hyssopo comantes corymbos uidere, idest in nostro uocato hyssopo, & ita apud omnes intellecto. Adde quum Origanum heracleoticam pingit dicit folia habere hyssopi σκιάδιον δὲ, οὐ τροχοειδές, id est umbellam autem non in modum rotæ, ac si hyssopus habeat in modum rotæ umbellam, uerum nec folia nostræ uocatæ hyssopi, nec umbella conuenit, quoniam hyssopi flores in modum spicæ sunt. Comparat quoque, & alteram Origani speciē hyssopo, quod & Plinius lib. 20. cap. 16. & 17. facit. SE. Hæc quoque me in dubium uertunt, à te quid dicendum sit noscere optarem. BRA. Folium hyssopi omnino

nino

nino cum Origano similitudinem habet, licet in hoc latius sit, de umbella modo aliter dicendum, quàm à Marcello interpretatur, ac si Origanus habeat umbellam sicut hyssopus, in Origano uero sit multifida, & diuisa, in hyssopo rotunda, tamen Græcus textus nõ confert umbellam Origani ad illam hyssopi, sed simpliciter ad umbellam, quia re uera umbella in rotundum uergit, & simplex est, sed in Origano multiplex, quam ob rem Hermolaus rectius Dioscoridem interpretatus est non faciens comparationẽ ad hyssopum, sed simpliciter dicẽs, ut uerba Græca innuunt σκιάδιον δὲ, οὐ τροχοειδές, id est non modo rotæ umbellam habens. Ego quandoque Græca uerba non aduertens, sed Marcelli tantum interpretationem, nostrum uulgatum hyssopum, Origanum, heracleoticam esse arbitrabar, sed nunc errorem animaduerti, eodem nomine à Gallis, & Hispanis, & Germanis dicitur, primi yssope, alij ixopo, tertij isop appellant, imò & Poloni isop dicunt, sunt, & in Hispania, qui isopiglio uocent. SE. Arabes de hoc hyssopo loquũtur? BRA. Loquũtur omnino, & id est quod hyssopum montanum Mesue uocat: quod enim dicit hyssopum hasce Thymus ẽ. SE. De hyssopi qualitatibus nonnihil agamus. BRA. Omnes fatentur, & Galenus potissimum 8. de simplicium medicamentorum facultatibus, in tertio ordine calidum esse, atq; siccum, & adde in medio eiusdem ordinis, notatq; Galenus esse tenuium partium, ut inde obstructiones mire aperiat, & humores attenuet. SE. Marrubium occurrit. BRA. Deprehensus est ab excellentissimo præceptore meo Nicolao Leoniceno in hac herba in errore Plinius, quippe qui ex unius uocabuli falso intellectu, multas herbas cum porro confuderit, nam Græce marrubium prasion dicitur: porrum ue-

ro praſsum. Plinius aliquas herbas marrubio comparans, quia ita ab antiquis acceperat ipſas porro comparat, ut Orminon, balote, ſtachij, porro aſsimilari dicit, quũ marrubio ſcribere debuiſſet, nam antiqui Græci has herbas praſsio, ideſt marrubio, non praſſo ideſt porro comparãt, ideo una literula Plinium feſellit, ſed hæc longius à Leoniceno in epiſtola ad Angelum Politianum. Duæ marrubij ſpecies conſtant, una herbacea, & multis inciſuris diuiſa, altera folia rotũdiora habet, & ſquallida, prima ſpecie, ut inquit Theophraſtus ſexto de plantarum hiſtoria, in uarijs medicamentis utebantur, Plinius eodem modo, ſed per alia uerba ſecare uidetur, nam ipſe in nigrum, et candidum partitur, de albo Dioſcorides in capite de marrubio peculiariter tractat, & id marrubium eſt, quo nos utimur, & in ueſtris officinis habetis, folia fere rotunda & albicantia habens, quod apud nos in ruderibus, & circa areas domorum naſcitur, ubi lapidum cumuli ſunt, ex hoc quum eris Ferrariæ (quanquam hic efficaciſsimum ſit) folia, & caules ſimul, ac ſeorſum ſemina ſeruabis, uulgus etiam noſtrum marrobio uocat, & ita Galli, Germani uero andorn, nomen eſt ſumptũ à morbo quodam puerili, qui marrubio ſanatur à Polonis ſantha dicitur, ab alijs marthvva pourziua niſi decipiantur, nigrum marrubium noſtri temporis pharmacopolæ non colligunt, tamen Theophraſtus loco citato in re medica plurimũ ualere ſcribit, & Plinius ei multas dotes tribuit. SE. Hoc nigrum marrubium apud Dioſcoridem quæ nam herba eſt? BRA. Nunc nõ eſt animus eas herbas tractare, quarum nullus eſt in ueſtris officinis uſus, tamen ne tergiuerſari uidear, eam eſſe ſuſpicor, quæ à Dioſcoride balote nuncupatur. SE. Adhuc anceps ſum, æque enim balote

ignota

ignota est herba, ut nigrum marrubium. BRA. Ego baloten illam suspicor, quæ à nostris urtica mortua, & iners urtica uocatur, quæ folia urticæ habet, sed non pungentia, aut adurentia folijs purpurascẽtibus, cuius ingens copia in ruderibus Ferrariæ, & incultis locis, hæc per suspitionem dicta sint, aliàs per certitudinem magis rem tractabimus, & sine suspitione de hac re loquemur, nam & suspicamur galiopsim esse urticam mortuam, & erit à balote diuersa, quoniam balote odorem habet, unum tamen admonere uolo, Plinium præter duo genera marrubij, album, & nigrum, balotem tanquam quoddam diuersum scripsisse, hæc autem aliàs, tu cæteras herbas prosequaris. SE. Priusquàm ad herbas alias transeamus marrubij qualitates in medium reuocandæ sunt. BRA. Galenus octauo de simplicium medicamentorum facultatibus calidum in secundo ordine completo, & siccum in medio tertij, uel in tertio completo esse fatetur. Auicenna deceptus est Oribasium adducens, ac si prasion sit calidum, & humidum mediocriter. postea secundum alios oppositum concludit esse calidum in tertio, siccum in secundo, at experientia ostendit uehementer exiccare, propterea tertium ordinem incidit, & cum nõ mediocriter calefaciat, erit in fine secundi ordinis calefacientium, uel in princicipio tertij. SE. Scordion. BRA. Dic optime pater, quæ herba illa est, quam scordion appellatis? SE. Syluestre allium. BRA. O errorem execrabilem: is Thyresia cæcior est, qui non uiderit. SE. Cur error? ego, & præceptores mei syluestre allium semper accepere. BRA. Mentem adhibeas his, quæ dicturus sum, duo uocabula sunt satis affinia, scordion, & scorodum, scorodum à Græcis allium dicitur, & scorodon agrion, allium syluestre. Arabes in

his uocabulis decepti ſunt, & Arabum imitatores, loco huius uocabuli ſcordion, ſcorodon intelligentes, & alliũ ſylueſtre interpretantes, ut Auicenna in una deſcriptione theriacæ ſcordiõ ponat, in altera ſylueſtre allium, pro ſcordio, in hoc uocabulo ſcordion putans ſcorodon eſſe, deceptus, hinc recentes omnes, & pharmacopolæ hactenus decepti ſunt, pro ſcordio cuiuſdã ſylueſtris allij ſpeciem ſumentes, non uident autem apud Dioſcoridem, allium non eſſe, ſed herbam trixagini ſimilem, unde à Romanis paluſtris Trixago dicitur, tamen maiora folia habet, odoremq; allij, propter hoc fortè multi decepti ſunt, allium ſumentes: amarum, & adſtringentem ſaporem, & quadrangulum caulem habet, in quibus flos rubeſcẽs eſt, à Plinio feliciſſime. 25. lib. capite ſexto deſcripta, in hoc monte, ubi aqua ſcaturit, ingentem huius herbæ copiam habes, etiam Ferrariæ in aliquibus planis, & aquoſis inuenitur, & potiſſimum in leporario illuſtriſſimi Ducis noſtri. Plinius, & Dioſcorides differũt, quoniam Plinius in planis, & aquoſis locis, Dioſcorides in montanis, & humentibus naſci fatetur. Tu folia, & caulem in his montibus colligito. SE. *Quo nomine allium hoc ſylueſtre, quo pro ſcordio utebamur apud authores uocatur?* BRA. *Scorodopraſſon, ab allio, & porro nomen ſumens, uel ampelopraſſon quaſi uineale porrum, uerum etiam Galli, & Hiſpani, ac Germani pharmacopolæ pro ſcordio allium ſylueſtre intelligunt, & eo utuntur, quum tamẽ fuerit nobiliſſima herba mithridati adſcripta, Galli enim appellant ſcordion aulx ſauuages, & Hiſpani aio drauo, quum tamen hoc non ſit, Neapoli ardilo dicitur, uel cocepece, uel cepece.* SE. *Ad ſcordij qualitates deſcendas.* BRA. *Auicenna inquit calidum eſſe, & ſiccum ad quartũ per-*

ueniens

ueniens, deceptus (ut arbitror) quoniam sylueſtre allium per ſcordium intelligebat. Galenus 8. de ſimplicium medicamentorum facultatibus ex uarijs partibus cōſtare tradit, et eius acrimoniam allio ſimilem eſſe, unde calefaciet tertio ordine, atque exiccabit, de hoc ſcordio pulchrum quoddam experimētum enarrare nō deſiſtam, ſuperioribus annis cum illuſtriſsimi Herculis quarti ducis noſtri equorum armamenta peſtis quædam inuaſiſſet, ut ſingulo die quinque, ſex, aut octo morerentur, iuſsit princeps, ut huius peſtis cauſam inquirerem, ſtatim iuſsi ex mortuis equis quinque aperiri, nihil mali alijs in uiſceribus inueni, ſolus patiebatur uentriculus, qui undique paruis uermibus rubris ad unguis lōgitudinem totus erat circūdatus, qui adeo parieti uentriculi inhærebant, ut uix auferri poſſent, equi illi nihil penitus edere poterant, ſed in terram decidentes moriebantur, tunc iuſsi, ut unicuiq; ex reliquis duæ ſcordij unciæ darētur, deinceps nullus obijt, illorum uermium cauſa fuerat, quoniam turbulētas aquas tota hyeme biberant, in puerorum uermibus inter alia ab hoc tempore ſcordium miſcui, & mire profecere. SE. Bacchara in mediū uenit. BRA. Quid intelligis per bacchară? SE. Eam herbam, quæ alio nomine aſſaron appellatur. BRA. Mirabar te à communi errore liberum eſſe, duæ herbæ ſunt baccharis, & aſſarum, ſi quis Dioſcoridem, & Plinium recte conſiderabit, & forte hinc error emanauit, cur à noſtris uulgaribus aſſarum bacchara appellaretur, quia multæ baccharis notæ in aſſaro poſitæ ſunt, de nominibus præſertim, & uiribus, hæc autem nihil ad præſentem locum. uide aſſari copiam in illo macro, & ſitienti loco, radices & herbam ſerua, & folia minora habet, quàm hedera. SE. Ferrariæ in meo horto fo

lia multo maiora habet, quàm hederæ folia, miror autem cur Dioscorides multo minora fecerit. BRA. *Ne admiratione afficiaris, quoniam locus in quo nascitur in causa est, cur folia ampliora euadant, in Ferrariensi solo utpote humidiori latiora folia nascuntur, at si in macro, & arido sit, quem desiderat, folia minora fiunt, Dioscorides autem de assaro in proprio loco nascente uerba fecit, & de eius folio, ut in pluribus reperitur, de hac autem herba à nostris uulgaribus appellata bacchara, quod uerum assarum sit nullo modo dubites, quam Germani hasel vvurtz appellant, quasi dixerint leporis radicẽ, sed unde hoc ignoro, nisi ex aliqua cum lepore similitudine factum sit, Galli uero racabarant hanc proprio nomine uocarunt, à Polonis copithinix dicitur.* SE. *Quæ sunt assari qualitates?* BRA. *Galenus sexto de simp. medicamẽtorum facultatibus ad acorum se refert, at acori radices intensiores facit, Acorum uero in tertio ordine calidum, & siccum esse fatetur, at cum nos assarum cõsideramus, gustamus, odoramus, humanis corporibus applicamus, dubium ingeritur, an secundum ordinem excedat, hæc non dico, ut antiquioribus me opponam, sed ut tibi ueluti digito, quæ perpendenda sunt, ostendam, & quæ experimẽto comprobanda.* SE. *Quid modo baccharis est edisseras.* BRA. *Baccharis diu authores digladiari fecit, adeo ut eam Plinius assarion existimarit, fuere, qui ipsam caryophyllum .i. florem illum nostrum uulgarem odoratissimum, & pulcherrimum, quem garofalũ uulgo dicimus putarunt, adeo mirum uidebatur florẽ tam pulchrum, & odoratũ apud antiquos ignotũ, sed id re uera nullo modo dici potest, cum descriptiones oppositum ostendãt, ut cuilibet in Dioscoride, & Plinio uidere licet. Nicolaus Leo-*

nicenus eam baccharem esse putauit, quam nostrum uulgus sclareã dicit, non sclaream illam, quæ asprella uocatur, inter equiseti species à nobis supra reposita, sed herbam illam magnã, quæ purpurascentes in album flores facit, herbam sancti Ioannis etiam Ferrariæ uocatam, quam Simon Genuensis centrum Galli, aut cristam Galli falso, et impudenter nominat, duplex autem est, hortensis, & syluestris, ambas credo nouisti. SEN. Et nullus Ferrariæ est, qui nõ nouerit. BRA. Decipitur autẽ Genuensis putans eam herbam, quam Plinius capite quinto libri. 27. alectorolophon uocat, prædictam sclaream esse, at quicquid sit in præsenti pro bacchare Leonicenũ imitari iubeo, ut hanc, quam dicunt sclaream serues, in his asperis montibus collectam, cuius radices, & folia seorsum habere studebis. SE. Baccharis est'ne reuera sclarea, aut sancti Ioannis herba? BRA. Hoc in præsenti nõ assero, sed laudo tantum, ut interim sclarea pro bacchare utaris (ut Leonicenus edocuit) quousque meliora inueniamus, nam aliàs de hac herba diffusius locuturus sum, nũc id te latere nolo hanc herbam calidam, & siccam esse in secundo completo, tamen nonnulli suspicati sunt, herbam hanc sancti Ioannis uocatam orminum esse, ita enim à Dioscoride describitur esse similem marrubio folijs caule quadrangulo sesquidodrantali altitudine, circa quem cornicula prominent siliquarum effigie radicem uersus nutantia, in ijs duorum generum semen syluestri, rotundius colore fusco, alterum nigrius, & oblongum, tu uero lector optime an herba sancti Ioannis Ferrariæ appellata orminũ sit, iudex esto. SE. Perforata sequitur. BRA. Mira herba, & mirum magis, Dioscoridem eius folium non pinxisse, in illis præsertim foraminibus, quæ in ipso

apparent, si præ oculis ponatur, mirum præterea est Plinium solertißimum uirum hoc non animaduertisse, qui libro. 25. capite. 13. eum diffuse pingit. SE. Non'ne est illa herba, quæ ab antiquis hypericon nuncupatur? BRA. Potest quidem & eodem nomine appellari, quoniam nonnulli apud Dioscoridem eam ita uocant, sed proprie, & uere hypericon albos flores habet, unde hæc esse non potest, cui lutei insunt flores, illa autem est apud Dioscoridem, quam rutam syluestrem nominat, de qua tertio libro agit. flores, folia, & radices serua. SE. Radices seruare assueti non sumus. BRA. Tamen ad usum medicum proficiunt, immo ut semina etiam condias iubeo, sŏlum gracile & cultum amat, ideo Ferrariæ illam habere poteris, in seminibus autem maximus recentiorũ error inualuit, ut cũ rutæ syluestris seminibus, in nonnullis receptis (ut dicunt) uti debuissent, semen cicutæ accipiunt herbæ perniciosißimæ, sunt tamen qui potius hanc perforatam ascyron apud Dioscoridem putarunt, quàm rutam syluestrẽ, uerum idem sunt specie, ruta syluestris, & ascyron, tantum differunt, quia ascyron maius est, sunt ambæ idẽ, differunt sola magnitudine, & ambæ perforatæ, ambæ hypericon, ambæ androsæmon, & eisdem uiribus insigniuntur, ita eas nosco, & discernere scio, ut tu ipse lactucam à braßica, Galli & nonnulli Germani ferè nomen latinũ imitantur, illi enim rue sauuage, isti uild rauten. i. ruta syluestris dicunt, nostrum uulgus, & perforatam, & herbam sancti Ioannis appellat, quãuis & altera etiam sancti Ioannis supradicta sit, sed huic habent propriũ nomẽ Galli dictũ à foraminibus, nã ipsam appellant mille pertuis, ueluti si dixeris mille foramina, & alij Germani Iãnes kraut. i. Ioãnis herba, alij runrath, alij vnser frauen

bedtstro.i.nostræ dominæ stramē, alij barthau.i.durū fœnum uocāt, quæ nomina sunt magis propria, quàm quod primo loco dictū ē à Polonis Szfiantgo sana ziele, à Cretensibus uulgo agriagudoro dicitur. quū uero de ruta sermo inciderit etiā Ferrariæ nostrā hortēsem rutā habebis, cuius semina, radices, et folia seorsū colliges. SE. *Et Capraria ruta in medium uenit.* BRA. *Experientia monuit, hanc herbam pestilenti morbo summe proficere, nostrum uulgus giargam uocat, apud antiquos penitus ignota uidetur, nam descriptiones specierum rutæ effugit: nō enim syluestris, aut satiuæ, Gallaticæ, aut montanæ speciē subijt, ideo noua herba potius est, quàm ab antiquis descripta. quandoque uero suspicatus sum eam esse, quæ quarto libro à Dioscoride Polemoniū uocatur, quum autem res sit plena ingenui pudoris, fateri per quos profecerimus, in hac re me attentū fecit excellentißimus Nicolaus Leonicenus, & doctißimus Vincentius Caprillis cōfirmauit. cuius sententiæ & in præsenti sum, quousque meliora inuenerim, nam hæc herba ramulos habet graciles, penatosq́; folia paulo maiora, quàm rutæ, oblongiora tamen, ad Polygoni, & Nepetæ lōgitudinem, in summo ramulorum ueluti corymbi sunt, in quibus nigrum semen est, radix cubitalis, alba, lanariæ herbæ radici similis, ex hac Dioscoridis pictura uides rutam caprariam huic ferè similem esse.* SE. *Immo in nullo dissentire uidetur.* BRA. *In hac aspera montis parte, atque macra huius herbæ folia, radices, semen, & expressum succum colliges, quum autem experientia aduersus pestilentem morbum ualere ostenderit, quod frequētißime obseruatum est, ut per eius succi potionem plures in sanitatem ex eo morbo restituti sunt, Dioscorides uero contra serpentes ualere dicit, et*

uenena

uenena, suum Polæmonium, *quæ autem ueneno, etiam pestilenti morbo aduersantur ideo, & ex uirium indicio, rutam caprariam cum polæmonio idem esse iudicandum. etenim giarga, uel ut alij galga, serpentes, & mire puerorum uermes interficit, ex eius succo, aloe, myrrha, & croco preciosißimum ad uermes puerorũ unguentum paro, alij herbam sarracenam, alij fœnu græcum syluestre illam appellant, à* Polonis *nozia ruta dicitur.* SE. De te *plurimum miror, qui cum probare tentas, huius caprariæ rutæ succum aduersus puerorum uermes ualere, aloe, & myrrhæ commisces, at nullus ambigit myrrhã ex se contra uermes ualere, & aloë, uerũtamen si probaturus eras hanc rutam uermes necare, id simpliciter probare debebas solo huius rutæ succo sumpto, qui etiã id efficere non potest cum nullam habeat amaritudinem, nisi occultam proprietatẽ adducas, qua id efficere ualeat, at de hac proprietate* Galenus *nusquã locutus est, neque ex antiquioribus alius, quem sciam.* BRA. Tu *de me miraris in polæmonio uenerande* Senex, *& ego de te uehemẽtius miror, qui nostra uerba non intelligas, nempe inficias nõ eo succum solum uermes interficere, & potui sumptus, & extra applicatus, at quis impedire debet me alijs additis, aut unguentum, aut aliud medicamentum conficere, quod efficaciorem uim habeat, quàm si unũquodq; simplex ex seipso recipiatur, tu ingenuitatem meã reprehendis, quæ te sponte edocuit, & quæ experta est sine præmio elargitur, erant hæc boni consulenda, non reprehendenda, quippe non cogimus te his uti, sed ita proponuntur, ut si cuipiam bona uideantur illa recipiat, sin minus deserat, tu nimis elatus, ac petulans in alienas messes non uocatus insilis, arbitror te paucißimis negotijs occupatum, cũ tem-*

pus

pus tibi suppetat nostras nugas reprehendendi, cur Galenum non accusas, qui probare uolens quartam Anchusæ speciem cōtra latos lumbricos ualere, inquit ualere oxybaphi mensura cum hyssopo, & nasturtio epota. en Galenus alia admiscuit simplicia, quæ ualere contra latos lumbricos nulli dubium est, tamen præcipue ab illo probandū erat, quartam anchusæ speciē uermes illos necare, sed potius laude dignus est Galenus, qui eorū miscellā ponit, quæ aduersus latos lumbricos ualent. Ad herbam uero ipsam de qua agimus redeuntes, si gustetur quando semina habet, & ipsi etiam flores subobscuram quandam habēt amaritudinem. addo regulam quandam uniuersalem, omnia quæ aduersus serpentes ualent, contra lumbricos etiā ualere, de occulta proprietate nullus forte minus fidit occultis illis proprietatibus, quàm ego, tamen Galenus ex occulta proprietate multa probat, licet in nono de simplicium medicamentorum facultatibus, ubi de lapidibus sermonem cœpit, dicat, facultates has, quæ totius substantiæ proprietatis ratione insunt, à methodo, ac ratione alienæ sunt, & per solam noscuntur experientiam, tamen deinceps in iaspide lapide occultæ proprietati fidit, & alijs multis in locis illam probat, immo in decimo de simpliciū medicamētorum facultatibus, ubi de ustis cancris disserit, librum se facturum promittit, in quo de his pertractabit, quæ totius substantiæ proprietate agunt, & refert omnia de quibus locuturus erat esse de eorum numero, hæc sola breuibus referre uolui, ut uideas Galenum, & illa probare, quæ à proprietate agere nata sunt, quamuis huic proprietati nos fidem exiguam adhibeamus, deinceps igitur ò bone Senex, quomodo loquaris considerato, polæmoniū agit sua qualitate, & amaritudine quadam subobscura,

 quodq;

quodq; nos tali argumēti genere utamur, ſi tibi arrideat accipito, ſin minus, id quod potius lubet ſequaris. S E. Omnia boni conſulas. B R A. Immo, & boni conſulo, & quæ dices facile feram, etiam ſi inurbanioribus uerbis utereris, ut iam uſus es, addoq; nõnullos eſſe, qui Aphacem apud Dioſcoridem giargam eſſe putarint, quibus nullo modo conſentio, cum Dioſcorides dicat tenuia admodum folia habere, immo cum illis potius inclinarem, qui aphacem, uitiam eſſe putãt, de hac autem re impreſentiarum ſententiam ferre non eſt opus. S E. Soldanella occurrit. B R A. Hanc & ſoldanam uocãt, in quo pandectarius longe errauit. S E. Quomodo potuit tantus uir errore duci? B R A. Hoc tibi adeo aperte oſtendetur, ut nullam habeas excuſandi anſam. S E. Oſtendas obſecro, alioqui ſemper illi incorruptam fidem tribuam. B R A. Author hic Chachillem apud Serapionem ſoldanellam eſſe fatetur, & Neapoli chachilio uulgo dicitur. S E. Hoc certißimum eſt, & ſemper id tenui. B R A. Sed errorem audias, Serapio inquit chachillem uſnæ, aut Naſturtij folia habere, uidetur'ne tibi chachillem uſnæ, aut naſturtij folijs ambiri? S E. Vſnæ folia non habet, ſed quid naſturtiũ ſit ignoro. B R A. Naſturtium ea herba eſt, quam Ferrarienſe uulgus ex acrimonia agreto uocat, uidetur'ne tibi ſoldanellã eius habere folia? S E. Minime. B R A. Igitur pãdectarius tuus errauit. S E. Si meus errauit, etiã tuus, quia eadem nota impreßi ſunt. B R A. Non dico tuum quem poßideas, ſed quem ames, quem tota mente proſequaris. S E. Tu ergo odio habes? B R A. Non odio habui, ſed illi non adeo fidem præſto, quin antiquioribus potius credã, ipſum uero ſumme laudo, ut eum, qui ſuo tempore plurima uiderit, & alios iuuandi gratia in cumulũ redegerit.

SE. Hæc dimittamus ne opus nostrum impediant, remorentur'ue, nam tibi credere statui, uerum hæc herba ab antiquioribus quo nomine insignitur? BRA. Omnino dubia est, tamen ea uidetur, quam Dioscorides Braßicam marinam uocat: habet enim folia aristolochiæ rotundæ similia in maritimis nascitur, & Ferrariam importatur aquam intercutem habentes mire soluit, ut plures eius puluere sanos reddiderim, hic nõ inuenitur, sed cõmodius Palæstinæ Venetorum, inter Motamauchi, nunc Malamochi portũ, & fossam Clodiam, quæ Chioza dicitur sitæ, circa maris litora magnam copiam inuenies, aut circa Illustrimi Ducis nostri maritima, ubi uulgo Capo de goro dicitur colligere poteris. uno tantum deterreor Dioscoridem scriptum reliquisse Braßicam marinam folia habere longißima, quod soldanellæ non conuenit, id forte in aliquo loco est non omnibus. Miror autem quomodo Dioscorides dicat longißima folia, & aristolochiæ rotundæ similia, quũ rotunda aristolochia longa non habeat, unde suspicatus sum, & si Græcus textus dicat φύλλα μακρὰ, ut longitudinem ad folia tribuat id in foliorum ordine, intelligendum potius, quoniam eiuscemodi herba serpit, & ex uno pediculo hederaceorum modo prodeũt, prodeunt uero à ramulis longis per terram repentibus leniter rubentibus, nihil enim hanc marinam braßicam soldanellã esse impedit, quando hæc foliorum lõgitudo. hæc autem satis. interim alias herbas enumera. SE. Prius cuius sit qualitatis edisseras. BRA. Est in secundo ordine calida, & sicca. SE. Abrotonum accedit. BRA. Herba Ferrariẽsibus notißima in modum arboris crescit, ut frutex dici poßit, & pulcherrimam comam in rotundum facit, eam edocere opus non est, eodem nomine uulgo appellatur aurodano:

sæpe

sæpe enim uulgus nostrũ loco,b,u,& loco,t,d,ponit,hãc herbam marem,& fœminam habere Dioscorides testatur eam in his montibus indiscriminatim legito,& semina,ac ramulos seruato,à Gallis auropne,corrupto à Latino nomine,& à Germanis nonnullis stabvvvtz,à Polonis bozedrzevvuo uocatur. SE. Quæ sunt abrotani qualitates? BRA. Galenus in sexto de simplicium medicamentorum facultatibus,illam facit in tertio ordine calidam,& siccam,adde & in media tertij ordinis parte reperiri. SE. Centonicum sequitur. BRA. Turpe est uocabula immutare,& turpius corrumpere,centunculum dicere oportet. SE. Esto centunculus sit, sed centonicum à pueritia usque didiceram. BRA. Gnaphalium à Græcis dicitur, Plinius clematidem à Græcis appellari censet, sed falso, ut inquit Leonicenus,quamuis facile defendi poßit à calumnia Plinius,non esse clematidem aliquam Dioscoridis sed eodem nomine etiã appellari,præter id quod,& gnaphalium dicatur,notißima herba est, qua antiquitus pro tomento utebãtur,flores in ramulorum summitate luteos habet,non albicantes,ut Marcellus inquit,folia cum floribus legenda sunt in his montibus,licet etiam Ferrariæ in copia uireat.quidam santolinam dictum centũculum uocant,at quum uos pharmacopolæ diuersis herbis utamini pro centũculo,hæc tantũ centũculus est,quæ folia mollia, tenuia,& alba habeat,& adeo mollis est,ut uideas ea nos pro tomento commode uti posse. Nostrum uulgus centonego,Germani rhorurauт,id est torminum herba,quoniã ipsa tormina sanent appellauerunt: quamuis & alij eadẽ tamen significatione ipsam rhodenraut dicant,à Polonis absinthium pyelen uocatur calidum est in medio secundi, & siccum in fine. SE. Sauina,& post eam iuniperus ue-

nit

nit. BRA. Commodius numerasti, quàm tui Arabes fecerint, quippe qui sabinam à iunipero distinxisti. Tuus autem Serapio simul cum iunipero sabinam confundit. SE. Immo sabinam per se scripsit. BRA. Scripsit quidem, & seorsum, sed postea inter species iuniperi sabinam computat, quod nusquã à Dioscoride, Plinio, Galeno, Paulo, aut Aëtio factum est, tamen non adeo improbo, ut non uideam secũdum uarias linguas, ita dici posse, nam hablagar, quo Arabice iuniperus significatur, sabinam etiam comprehẽdit, quum uero duæ sabinæ species sint altera folia cupressi, altera tamaricis habens, quamcũque collegeris, tuæ officinæ satis erit, & præsertim in his montibus habere studeas, & potissimum folia, à Gallis sauine, à Germanis seuerbaum, à Polonis schavvina dicitur, de iunipero idem sentiendum, quum duæ species sint maior, & minor, utrã collegeris satis erit. id commodius fiet, si maritima loca adeas, in quibus folia, & grana colligere oportebit, grana tamen iuniperi non debent esse fabarum granis minora. At loci siccitas in causa est, cur minora fiant, hoc addidi propter eos, qui iuniperum nostrum ob granorum paruitatem. Iuniperum esse inficiantur: non enim grana habet ad Dioscoridis mensuram descriptam, hoc tamen ubique necessarium non est, nam constat in omnibus iuniperum esse, præterquam in granorũ magnitudine, nos quandoque iuniperi grana Venetijs uidimus ad mensuram fabæ, immo ferè Auellanam nucem æquabant, erant autem ex Græcia Venetias allata, iuniperum Galli uocant Geneure, Germani kecxholter, Poloni ialouiecz, uel ut alij ialoniez, ab Hispanis enebro dicitur. SE. Quæ sunt & sabinæ, & iuniperi primæ qualitates? BRA. Iuniperum calidum, & siccum ordine tertio Galenus iudicat, in sex-

to de simplicium medicamentorum facultatibus libro, adeq; esse in media tertij ordinis parte, eius tamen fructus solum est in prima parte siccus, nempe & ratio dicta siccitatem caliditati æqualem non esse, propterea cum sit in media tertij ordinis parte calidus, erit in prima eiusdem ordinis parte siccus. Auicēna iuniperi qualitates nō uidetur exquisite nouisse cum dicat ad caliditatem, & siccitatem declinare, & semen eius esse calidum in primo, & siccum in secundo, cum tamen Galenus ostendat esse magis calidum, quàm siccum: ratioq; dictat iuniperum, in tertio ordine calidum esse, quoniam tenuium partium est & in eo ignea substantia dominatur, deinceps substantia terrestris adusta, unde & siccitatem habet. Sabina & ipsa easdem habet cum iunipero qualitates, in tertio etenim ordine calida, & sicca est, estq; sicca in tertio remisse, & in medio calida. SE. Hepatica sequitur. BRA. Nusquā apud antiquos authores (quos sciuerim) alteram hepaticā inueni, quam heupatorium, idest quæ per excellentiam hepar iuuaret, unde ab hepate nomen accepit, quamuis Plinius ab Eupatore rege nuncupauerit, ut hinc deprehendi possit, si à rege denominationem habeat, absque aspiratione scribi, si ab hepate cū aspiratione, & potius hepatoriū quàm heupatorium dicendum, tamen in præsenti communi omnium sermone utemur. Illa uero herba, quæ à recentioribus eupatoria dicitur, quæ intra puteos, & humētes lapides nascitur, terræ inhærens, hinc inde foramina habens, ac si oculi sint parui à Dioscoride, & antiquioribus lichen uocatur, uel βρύον, id est muscus, nam supra muscum nascitur, immo Dioscorides muscum ipsum esse tradit, fistulosa herba est, lichen uero dicitur, quoniam peculiariter impetigini succurrit. cur uero à recentioribus

hepatoria

hepatoria dicta sit, & à nostris mulieribus figatella, ob id factum esse arbitror, quoniam Serapio ex sententia Dioscoridis inquit hãc herbam ictericis succurrere, qui morbus ab hepate uenit, tamen per os exhibet Serapio, quod Dioscoridis illinendo dixerat, idq; Pandectario ansam errandi præbuit, qui secũdum Galenum, & Dioscoridem, ad omnes egritudines hepatis ualere fatetur, quod tamen apud hos authores nusquam dictum inuenitur. errat etiã Pandectarius, quia lichenem facit apud Arabes ainet, postea hazez mulsareth, postea quum de lichene tractat, limum terræ uocat, quicquid sit, ostendit se nescire nomina, & minus ipsam rem, ob id forte hepatica dicitur, quia humida est, & frigida, at plerunque hepar caliditate peccat, sed quod hæc per excellentiam hepatica sit, nunquam fateri opus erit, ego quandoque musci herbam esse arbitrabar, quia supra muscum ortam sæpe inueni, sed re uera altera herba est, quãuis à Dioscoride muscus etiam appelletur, quam & recentes usnem dicunt, licet usne potius ea uideatur quam Dioscorides telephion uocat. sed hæc aliàs nunc tantum id scito à Germanis etiam ab hepate leberkraut, i. hepatis herbam uocari, quãuis & eodem nomine eupatorium quoque comprehendatur. hanc herbam Ferrariæ commodius habebis, quàm aliquo altero loco intra puteos, et per humecta, impluuia, strata, ubi solares radij parum uagantur. SE. In quo ordine frigiditatis & humiditatis est? BRA. Secundum ordinem attingere arbitror, de nonnullis tamen recentibus mirandum est, qui illam in primo ordine siccam esse indicarunt, cum solus herbæ aspectus humiditatem præ se ferat, hæc herba à Polonis dzieuiacziernix dicitur, Neapoli figatara, & à nostris mulieribus figatella. SE. Centau

rium maius, & minus accedunt. BRA. *Statim à praesidio de maiori centaurio uerba fecimus, quid esset ostendentes, & quomodo à rhapontico differat, minus autem centaurium ne hic quaeras, quoniam aquosa loca amat, & in* Ferrariensi *agro mirifice crescit.* SE. *Differunt'ne centauria haec?* BRA. *Et apprime differunt, non'ne oculis eorum differentiam percepisti?* SE. *De uiribus loquor.* BRA. *Arabes tui de centaurio loquentes, in maius & minus partiuntur, postea eorum uires exarantes adeo confundunt, ut indiscriminatim amborum uires misceãt, quum tamen à* Dioscoride, Plinio, Galeno, Paulo, *&* Aëtio *longe distinctae probentur, ipsi uero* Arabes, *ut* Mesue, *ac* Serapio, *de his, ac si easdem uires habeant, loquuntur, quum ualde distincta sint, & solo nomine quadrent, ita uero appellantur, quia à chirone centauro inuenta, quum uulneratus* Herculis *sagitta curaretur.* Latini *ob summam amaritudinem, minus centaurium fel terrae appellarũt, in qua re* Theodorus Gaza *deceptus est, qui nono de plantarum* Historia *libro,* Theophrastum *interpretans, ubi de maiori centaurio tractat, fel terrae interpretatur, quod minus centaurium est, & quod magis graue est,* Theophrastus *de radice loquitur, quã per decem annos reseruari tradit. At* Dioscorides, *&* Plinius *radicem minoris centaurij superuacuam esse, & nullius usus affirmant, ipse uero interpretatur fel terrae, quod est minus centaurium, tamẽ excusari potest* Theodorus, *qui in publicis* Dioscoridis *textibus inter alias maioris centaurij appellationes fel terrae inuenerit, sed falso, quoniam maioris centaurij radix subdulcis est, minoris autem amarissima, ideo ut* Plinius *uir latinus refert, fel terrae dicitur.* SE. *Reperitur'ne centaurium maius in nostris* Fer-

rariensibus campis? BRA. *Pharmacopolas herbā quandam pro maiori cētaurio in nostris agris legere uidi, sed uarie, nam quidam minus centaurium colligunt. at quia in humidiori loco natum (humida enim summe amat) ideo folia latiora habet, & altiorem stipitem, alij pro maiori centaurio herbam colligunt luteos flores habentem, quæ maius centaurium esse non potest, tum ob multa alia, tum quia radicem paruam habet, nec uigilādis folijs insignitur, at nec minus centaurium est, licet folia similia habeat, quoniam flores eius sunt lutei, non in puniceo purpurascentes.* SE. *Quæ ergo herba est?* BRA. *Nondum mihi compertum est, sed nunc satis habeas, nec maius, aut minus centaurium esse nouisse, & Arabes simul hæc duo centauria confudisse, Ferrariæ minoris centaurij florescentes ramulos, & radices colliges.* SE. *Et si Arabes harum herbarum uires confundant describuntur'ne optime ab ipsis?* BRA. *Dioscoridem ipsis compara, & tu ipse iudex esto, nam & in herbis, ac floribus differre comperies: nunc mihi animus non est aliorum errata corrigere, qui potius in colligendis herbis tibi adiumento esse instituimus, ne herbas in montibus quæras, quæ in plano efficaciores sint, & quæ partes colligendæ sint edocere, interim alias herbas para.* HER. *Ne aliarum nationum nomina deseras.* BRA. *Galli centaure dicunt, postea suis nominibus grande, & petite distinguunt, sed mirabilius nomen à Germanis tribuitur, hi enim arbitrātes centaurium non à Chirone centauro sed à centum aureis dictum: uocant ipsum nomine à mille aureis dicto, tausentguldenkraut, id est herba à mille aureis dicta.* SE. *Pulchra quidem nomenclatura, & ridicula.* BRA. *Neapoli centaurium minus cimino syluatico nuncupant,*

Poloni centurzia. SE. Quæ nam ſunt eius primæ qualitates? BRA. Calidum,& ſiccum eſt,calidum ordine ſecundo,uel in media parte,uel in tertia,& cum ſit admodum ſiccum,ut Galenus teſtatur in tertio ordine ſiccum eſt,ut etiam eius uires in ulceribus conglutinandis oſtendunt, Auicenna in tertio ordine calidum eſſe teſtatur, quod Galeno repugnat,cum mixtam habeat ſui in compoſitione ſubſtantiam terream frigidam. SE. Pimpinella ſequitur. BRA. Hanc herbam apud antiquos nunquam inueni. Hermolaus libro quarto ſui corolarij in capite de ſaxifrago eã mire deſcribit, quæ incipiẽtibus hydropicis multum ualet. SE. Immo eſt ualde ſimilis ſaxifrago,unde cum eſſem puer carmen didici,cuius frequenter ab antiquo herbario recordationem fieri audiebam,

Pimpinella pilos,ſaxifragia non habet ullos.

BRA. O pulchrum,& mirum carmen, fuit omnino memoriæ mandandum,unum eſt, pimpinellam apud antiquos non extare,quos ſciuerim,tamen Theodorus Gaza in Theophraſti interpretatione,quũ author dicit thryalis,ipſe bibinellam interpretatur,ſi autem per bibinellam hanc intelligit,quam pimpinellam Ferrariæ uocamus in acetarijs gratam,ut etiam multi recentes illi attribuunt, longe errat.nam conſtat thryalidem herbam pimpinellam non eſſe ſiquis etiam pinguis mineruæ deſcriptiones legat,nam pimpinella herba eſt habens ſurculos ab eadem radice plurimos,ac denſos rubros cum radice,folio paruo orbiculato,& extremitatibus ſerrato, ſemina in modum mori rubri facit, hæc eſt pimpinellæ forma, quæ & pampinula, & bipenula, & à ruſticis patauinis ſanguiſorba dicitur,à Galis pimpernelle, & à Germanis bibenell,à Polonis biedrzenyecz, à Cretenſium uul-

go pipinella. huic modo thryal idem conferamus, ut Dioscorides pingit in phlomide, nullam habere cum prædicta similitudinem statim constabit, uerum si Theodorus hoc nomen bibinella thryalidi tribuerit, ut linguam latinam ampliaret, encomio dignus est, at ex altera parte arguendus qui inepta nomina sequatur, quum apud nos id nomen thryalis in usu sit, ut apud Plinium constat uirum latinum, ideo non est opus in herbis ita temere nomina immutare, huius herbæ folia cum ramulis, & seorsum semina seruabis: tamen Ferrariæ in hortis habetur, & in magna copia, nam ea in acetarijs utimur, & incipientibus ascitis proficit. SE. Mirum est tam pulchram herbam ab antiquis non fuisse descriptam, quæ etiam pluribus morbis prodest. BRA. Ne admiratione afficiaris, quoniam plura multo elegantiora omiserunt, ut zuccharum, mannam, caßiam, senam, ne igitur ex hac herba moueris, quia multa post antiquos inuenta sunt, & plura inuenientur. SEN. Nullam habes herbam, quæ huic in Dioscoride quadret? BRA. Immo aliquam, sed an ea sit ambigo. SE. Saltem te ipsum in hac re explica. BRA. Dioscorides libro tertio de teucrio herba tractat, ita à Teucro Aiacis fratre nominata, quam dicit esse uirgatã similem trixagini, tenui folio, ciceris figura, si autem trixaginis picturam consideres, quam nos uulgo Calamandrinam quasi chamædryn appellamus habet folia diuisa sicuti quercus, ut manifestum uideatur teucrium pimpinellam esse si folia, & uirgas consideremus. SE. Ego alioqui coniectari non possum, quàm teucrium esse pimpinellam. BRA. At ego id non ita temere assero, tamen suspicor, & figura illi satis affinis est, immo & uires, quoniam lienosis, & uenenatis succurrit, calida est, &

sicca in primo ordine. SE. *Te hoc silentio non præterijsse gaudeo, ad squinantum ueniamus.* BRA. *De herbarum folijs sermonem cœperas, at nunc ad flores iterum transire uideris.* SE. *Nihil hoc refert, modo squinantum agnoscamus.* BRA. *Incassum in hoc monte quæres, quoniam in Arabia, & Lybia nascitur, ex Syria Alexandriam Aegyptij affertur, postea Venetias à Græcis σχοῖνος dicitur, quamuis omnem iunci speciem hoc nomine significent, at absolute positum hunc per excellentiam significant, latini iuncum odoratum ad differentiam palustris, & Celsus iuncum rotundum ad differentiam quadrati uocat. Venetijs florem, radicem, & culmum emere poteris, quia omnium harum partium in re medica usus est, non dubito illum esse, qui & nunc Venetijs uenditur, modo quis odorem nouerit, & à palustri distinguere sciat, quem cum odorato miscent, nostri autem pharmacopolæ Venetias petentes decipiuntur, & festucas quasdam palustris iunci pro iunco odorato emunt. nascitur etiam in Campania Italiæ prouincia, quæ nunc Terra de lauoro appellatur, Galli, Germani, & Poloni ultima syllaba dempta, ut nos ferè squinant uocant, ab Hispanis dicitur Paia de mecha, & à Neapolitanis paia di Camillo.* SE. *Cuius est qualitatis?* BRA. *Auicenna & si ex aliorum ore loqui uideatur, tamen potius frigidum facit squinantum, quàm calidum, at de eius flore dicit esse parumper calidum, tamen si ipsum consideremus, & Galenum deinceps necessario dicemus esse calidum, & siccum in primo ordine, nam habet nõnihil aromatici, & Galenus hoc sentire uidetur octauo de simplicium medicamentorum facultatibus, ubi inquit modice calefacere, & modice adstringere, tamen dici posset florem secundum*

caliditatis gradum attingere, & radicem secundum siccitatis ordinem. SE. Cimbalaria sequitur. BRA. Quam herbam hoc nomine intelligis? SE. Eam, quæ Ferrariæ in parietibus frequenter nascitur, ab Hermolao libro quarto Corollarij in cotylidone descriptam, quæ folium quodammodo angulosum habet hederaceum, florem paruum purpureum. BRA. Illam ergo intelligis, quæ à nostris mulieribus herba uenti dicitur. SE. Illam inquam, quam & umbilicum veneris, & dinarellam nostrũ uulgus nominat. BRA. Nusquã apud antiquos authores hãc herbam repperi, qui enim Dioscoridis catyledon esse fatentur, quoniam cotyledon cymbalium etiam dicatur, longe aberrant, nam cotyledon in maritimis nascitur, nec folium habet coxendicis figura, qui uero ob id eam esse putarunt, quia & umbilicus ueneris cotylidon ab antiquis dicatur adhuc errant, quoniam ea herba, quam quæris, ueneris umbilicum non præsentat. fuere, qui secundam fumariæ speciem hanc cymbalariam putarint, quam gallinaceum pedem uocant, quod esse non potest, quia hederæ folia non habet, unde non memini hanc herbam apud antiquos me legisse, nec mirum quia omnia non pertractarunt, nobis autem satis est à patribus, & auis expertas uires habere, quanuis ab antiquioribus pertractata non sit, eius ramulos cum folijs, & seminibus Ferrariæ colliges, in parietibus antiquioribus, & lapidum cumulis: non est etiam secunda cotyledonis species, quæ in modum sedi in montibus nascitur à Polonis svvonxi, à Cretensibus uulgo potirida dicitur. frigida est in secundo ordine, & humida in primo. SE. Artemisia occurrit. BRA. Nõ dubito (ut nonnulli fecere) eam, quæ apud nos corrupto uocabulo arcemise dicitur, ac si artemisia dictum sit ue-

ram artemiſiam eſſe, quæ ſolia abſynthio ſimilia habet, ut Dioſcorides inquit, & eius duo genera facit monoclonon, & polyclonon, id eſt unum ramum, & plures ramos habentem, ambas ſpecies Ferrarienſe uulgus nouit, ſi apte diſtinguere ſciret, & ipſis indiſcriminatim utitur, quam nos matricariam, uel marellam uocamus. artemiſiæ ſpecies eſt illa. s. quæ male olet, nec obſtat, quod Ferrariæ duæ artemiſiæ ſpecies ſint per unum, & plures ramos diſtinctæ, quoniam & hæc in ſpecie eſt, quæ plures habet ramos. SE. Si in genere artemiſiæ matricaria collocari non poſſet, quam putares eſſe apud antiquos? BRA. Hermolaus Barbarus Parthenium eſſe putat in helxine, nunc enim de ea herba loquimur, quæ Ferrariæ matricaria, & marella appellatur eſt enim artemiſiæ ſpecies, tamen quum artemiſia Parthenium etiam dicatur matricaria ipſa Parthenium dici poterit, ſed nunc loquor de herba, quæ peculiari nomine à Dioſcoride Parthenium uocatur, ſcimus enim Parthenij nomine plures herbas uenire. SEN. Quæ herba eſt, hæc peculiari nomine Parthenium dicta? BRA. Vt te breuibus expediam, Parthenium à Dioſcoride coriandri folijs comparatur, at nos in coriandro duplex foliorum genus inuenire nouimus, unum perfectum inciſuris diuiſum, aliud tenue, ſi matricaria uulgo dicta perfectis folijs cõparetur Parthenium dici poterit, & nos experti ſumus matricariæ ſuccum bilem educere, pituitam, & atram bilem. SE. Quantam exhibes huius ſucci copiam? BRA. Vſque ad uncias quatuor exhibui, at ſi tenuibus folijs comparetur, herba quæ uulgo bruſaculo dicitur Parthenium erit ſolia etenim habet coriandri tenuia, & flores per ambitum cãdidos, in medio luteos, odore uiroſo, guſtu amaro,

quæ &

quæ & bilem, & pituitam trahat. scimus tamen quosdam nostrum uocatum Brusaculum, qui à recentibus cotilla fetida dicitur, matricariā appellare, unde apud hos Parthenium erit matricaria, & hanc sententiam sequitur Serapio, qui matricariā ex sententia Dioscoridis pingens Parthenij figuram affert, id est brusaculi. qui uero nostrū uocatum brusaculum chamæmali speciem esse affirmant, decipiuntur, quia cum tres sint chamæmali species à florū coloribus distinctæ, albo, purpureo, & luteo. Brusaculo autem albos flores in medio luteos habet, ut nostrum uulgare chamæmalon, ideo cū eo idem esse oportet, quod longe absurdum est. SE. Quibus coriandri folijs putas Parthenium à Dioscoride comparari? BRA. Dioscoridis uerba indicare uidentur ad tenuiora folia cōparationem fieri, quippe inquit coriādro folia similia habet tenuia, certum est parthenij folia simpliciter tenuia esse dici non posse, cū multa alia sint longe tenuiora, propterea ad tenuia coriandri folia comparat, & inquit illa parthenij ὅμοια κορίῳ λεπτὰ, id est similia coriādro tenuia. SE. Quæ tenuia nuncupas, minus tenuia uidentur, quàm latiora. BRA. Deciperis. SE. Id saltem habebo Brusaculum amaritudine carere. BRA. Subamarum est, & acredine quadam insignitur. SE. Cum hæc herba ualde fetēs sit, Dioscorides alio nomine uti debuit, quàm dicere ὀσμῇ ὑπόβρωμον. BRA. Iam nosce te esse morosum, & non nouisse, Galenum notare Dioscoridem in Græca lingua non fuisse admodum diligentem, præter id quod summi uiri, ut Marcellus, & Hermolaus interpretati sunt sub uiroso odore, & uiroso odore, arbitror te potius nugari cupere, quàm de re ipsa agere, pro te melius esset negocia tua expedire, si quæ habes, quàm in rebus

tam

lij proprium est, quàm pentaphylli, ideo quãdoque Plinij textum corruptum esse arbitratus sum, ut triphyllon pro pentaphyllo legẽdum esset. At mox excellentißimũ Leonicenum animaduerti hanc sententiam reprehendentem, quia alijs nominibus ipsum appellat, quæ à Græcis pentaphyllo tribuũtur, & easdem proprietates suo pentaphyllo attribuit Plinius, quas & Græci suo, ut hinc deprehendatur non posse aliquo pacto trifolium legi, quum autem huius herbæ nomen à quinario foliorum numero initium sumat, uulgarem herbam habemus propè parietes uirentem, & locis humidis, quam uulgus nostrum pedem Paipi, & quinquefoliũ uocat, quod autem nostra lingua paipus dicitur. Latine miluus est. hanc esse pentaphyllon antiquorum descriptio manifeste ostendit, hoc dempto, quòd radice rubra caret, est autem & uulgaris herba tormentilla dicta, quæ septem folia habet, sed duo parua sunt, ut ferè in foliorum numerum poni nõ debeant, & in multis pediculis quinque folia tantum habet, hãc facile crederemus pẽtaphyllon esse, si perpetuo quinquefolijs muniretur, immo ante nos Hermolaus idem sensit, tamen mentæ folia nõ habet tormentilla, ut illi Dioscorides pentaphyllo tribuit, aut uitis, ut Theophrastus, quicquid tamen sit, nostrum uulgare pentaphyllon circa parietes, & stagna nascens, ob radicem antiquorũ pentaphyllo nõ quadrat. Tormentilla uero, quam & recentes bistortam dicunt, dißimile folium habet à descriptione antiquorũ. SE. *Ego igitur quid colligẽdum sit, ambiguus ero?* BRA. *Quoad meliora inueniamus, pro pentaphyllo circa canales, & aquosa loca, folia, radices, & seorsum foliorum, ac radicum tormentillæ succum colliges. Ad Pliniũ reuertentes, multos pentaphylli cespites obseruare cœpi, & tormentillam*

tillam ipſam,globum quendam ferũt,in quo ſemina ſunt, hunc fragram Plinij eſſe arbitratus ſum,quoniam & nihil alud eſt fragra trifolij, quàm globus , in quo ſemina conduntur,non tamen nego fragram proprie in illa ſpecie trifolij eſſe,quæ fragraria,& fragra nuncupatur, tamen & in Veronenſibus montibus obſeruauimus fragrariam herbam pentaphyllam eſſe, quod arbitror omnibus eam urbem incolentibus in confeſſo eſſe,ideo non mirum, ſi Plinius Veronenſis dicat,nulli ignotum eſſe quinqueſolium,quum etiam fragra gignendo commendetur. Radices autem conſiderans rubræ nõ erant,at tormentillæ radix,& rubra eſt quum effoditur,& paululum nigreſcit, incipitq́;,& deſinit cum uite,putarunt uero quidam Leonicent gloriæ inuidi ſaniculam uulgarem herbam, quam recentes in ſolidaginũ genere ponunt,pentaphyllon eſſe. Verum habet quidem ſanicula in quinque partes diſtincta folia,ſed radices,nec rubras,nec effatu dignas habet, nec fragra fert,ut de ſuo pentaphyllo dicit Plinius, licet capitula quædam habeat ſupra coliculos colorem herbaceum habentes. Hanc herbam Germani ſanckel uocant, Tormentillam uero tormentill . alij rotvvurtz,alij blot vvurtz dicũt, at pentaphyllum noſtrum uulgare,funffingerkraut ab eiſdẽ dicitur, ac ſi exprimere uoluerint herbam quinque digitorum. SE. Tormentillam igitur pro pẽtaphyllo ſeruabo? BRA. Seruabis,quoad meliora inuenire liceat,nam & hoc anno pentaphylli quandam ſpeciem circa parietes etiam naſcẽtem radice rubra inſignitam obſeruaui, ſecundum Galenum in primo ordine calidum eſt,in tertio ſiccum abſque acredine,& morſu. SE. Ad citrach ergo manũ dabimus. BRA. Non'ne hodie dictum eſt,eam herbam,quam citrach,uel citarach appellatis,

tis,scolopendrion,uel asplenon esse? SE. *Memoria exciderat,uerum ea,quæ nunc scolopēdrium appellatur, quo loco à Dioscoride tractatur?* BRA. *Dictum est etiam à Dioscoride phillitim uocari.* SE. *In memoriam uenit,ad Mezereon transeamus.* BRA. *Nonnulli falso,Mezereō, & Laureolam confundunt,ac si unum sint,quum duo, & longe diuersa esse oporteat,quoniam Laureola,quæ Daphnitis est, lacte careat,Mezereon eo abūdet,ut illi Arabes imponunt,unde Serapio,& Mesue de Mezereon loquūtur,& non eodem modo, unoq; capite diuersas antiquorum Græcorum herbas miscent,nam Dioscorides, & Plinius chamæleam,& thymæleam duas herbas faciunt, ut uere sunt,hi autem Arabes uno in capite adeo perturbant,& confundunt,ut quandoque chamæleæ, quādoque thymeleæ uires,quandoque descriptionem unius,quādoque alterius misceant , ut reuera duas herbas uno capite coniūxerint,tamen in medio ferè capitis Mezereō duas species habere statuunt, ut hoc manifeste colligatur Arabum Mezereō esse chamæleam,& thymæleam Dioscoridis,ac Plinij . ex his uerbis in hoc monte uaria colliges, ubi loca petrosa uidentur,ex chamælea folia,ex thymælea folia,& semina condas Mezereō, à Polonis uilczelixo uocatur ad quartum ordinem peruenit,& caliditatis & siccitatis.* SE. *Ozimum Caryophyllatū occurrit.* BRA. *Hæc duo'ne sunt,ozimum unum , caryophyllatum aliud, uel una res,quæ toto hoc nomine claudatur?* SE. *Vna sola res,& etiam notissima.* BRA. *Ne admiratione afficiaris,quoniam pharmacopolas noui herbam colligentes nomine caryophyllatam:nunquam enim apud antiquos ozimum caryophyllatum inueni.Dioscorides enim ozimum, & ὠκιμοειδὲς , id est ozimastrum, & ozimum aquati-*

ciam

cũ sola tractat, dic tu quo ozimo (uel ocimo per, c, aut, z, scribatur ab ὄζειν quod est redolere, grammaticis curæ sit) in officinis utimini? SE. Quod paßim mulieres supra fenestras in fictilibus plantant nigrum semen habens, caryophylli odorem repræsentans. BRA. Ferrarienses mulieres duas species habẽt supra fenestras alteram strictiora folia, alteram latiora habentem. SE. Id est, quod latiora folia habet, basilicum dictum, ab odore basilica dignũ. BRA. Tamen Serapio ozimum caryophyllatum ex sententia Isaac Ebenambram folia strictiora habere tradit. SE. Ita apud nos unus est. BRA. Semen certe nigrum habet, & odoratum, sed non caryophylli odore (nisi olfactus me decipiat) est tamen una species, quæ citrum mire redolet, ne in montibus ipsum quæras, quum in omni ferè domo Ferrariæ sit, solum ferè inter herbas calidißimam aquam expetit, & in meridie, nobiscumq; ueluti animans moratur, edendo est, sed uisui nocet, folia, & semina habere oportet, mira uero & adeo ingens controuersia in Plinio, & Dioscoride est, ut alterũ ipsorum errare opus sit. Dioscorides enim inquit, si à scorpione uulnerentur, qui ozimum comedere, incolumes euadere, ecõtrario Plinius lib. 20. cap. 12. si quis ea die, qua ozimũ comederit à scorpione pungatur, non posse sanari, nisi quis dixerit aliorũ sententias referre. SE. Est inexplicabilis contradictio, quæ forte per uarias ozimi species tolli posset, si illorum sententias inueniãtur, qui à Plinio referunt. BRA. Aliud est in his authoribus discrimen, quoniam Dioscorides lac prouocare tradit. Plinius uero eodem loco, si illinitur mãmis, extinguit quoque lactis prouẽtum. SE. Dioscorides forte per os sumptũ intelligit, ideo addit, & ægre in stomacho mutatur. Plinius uero extrinsecè apponit. quic-

quid

quid sit, miror maxime cur Dioscorides in secundo libro de ozimo, quarto autem de ozimastro tractauerit, quum eius consuetudo sit cognata congeneribus miscere, ut de menta, ac mentastro uno loco fecit. BRA. Id apud Dioscoridem perpetuo non reperitur, quippe qui de thymo, in uno libro, de epithymo in altero scripserit, quamuis in libri præfatione eos reprehendat, qui ordinem literarum sequuntur, & cognata à suis congeneribus diuellunt, tamen uitio scriptorum potius factum arbitror, ut in Dioscoride nonnulla suum locum euarient. quum uero Plinium, & Dioscoridem cõciliasti, quòd alter per os, alter extra applicuerit, non longe à Galeno dissentis, qui in libro de simplicium medicamentorum facultatibus, ozimũ per os sumptũ nõ digeri, immo digestioni officere tradit: si uero emplastri modo extra ponatur, digestionem procurat, nõnulli uero hoc animaduertẽtes, quod uno in lib. de ozimo, in alio de ozimastro loquatur, uoluere in quarto libro non loqui de ozimoide Dioscoridem, sed corruptum esse uocabulum, & legi debere Echinoidem, quia de Echio supra locutus erat, ab his autem dissentire cogor, tũ quia nulla herba est, quæ Echinoides uocetur, tũ quia ozimoidem Plinius ita pingit, & eius uires, ut Dioscorides ponit, tum quia Galenus in libro de simplicium medicamentorum facultatibus, eadem ozimoidi elargitur, quæ Dioscorides suo quarto libro, à Germanis Basilica kraut ac si herbam basilicam dixeris uocatur, à Polonis zolca basilia, à Venetis basago, à Cretensibus uulgo basilicon chitraton, ab Hispanis allabaca Galenus octauo de simplicium medicamentorum facultatibus facit illud calidum, in secundo ordine, & humiditate recrementitia humidũ. SE. Bardana sequitur. BRA. Quo uocabulo uteris? ea

ne

ne est, quam ex similitudine cum equorum unguibus, ungulam caballinam appellatis? SE. Ea quidem est, sed potuit etiam asinorum ungues imitari. BRA. Ideo & multi asininam ungulam uocant . immo Germanum nomen, quo hæc indicatur, asino alludit. SE. Quomodo asino? BRA. Quoniam ipsam uocant esels huff , ac si dixerint asini ungulam. SE. Honestius tamen est, ab equo magis, quàm ab asino nomen sumere. BRA. Istud ad rem nihil, uel ab asino, uel ab equo nomen ducatur, cur illam in montibus quæris, quum Ferrariæ abundet circa aquarum scatebras, & aquosis locis, adeo, ut recentiores multi nympheæ speciem arbitrati sint, quam suo corrupto uocabulo Nenufar terrestre appellarunt? SE. Sunt etiam qui farfaram, nescio an Hebræo uocabulo, uel Barbaro eam uocent. BRA. Immo latinum est , nam ab authoribus folijs populi comparatur, antiqui uero populum Farfarum dicebant, à Dioscoride bechion, à Romanis tussilago , quoniam uehementissime tussi succurrit, appellatur, hoc autē est si per infundibulum fumus suscipiatur, & deuoretur, propterea apud Germanos aliquos brādt lattich appellari solet, ac si dixerint lappa, quæ ad combustionem danda est, uel lappacombustioni apta: recētes medici ea pro antiqua tussi utuntur, quum ab antiquis solum fumus glutiretur, à Gallis gluterous, à Polonis lopian dicitur , folia, & radices seruare conueniet, sed hoc Ferrariæ ages. bardana calida, & humida in primo ordine est, tamē Galenus sexto simplicium notat cum sicca est, acriorē esse. SE. Capilli Veneris sequuntur. BRA. Postea. SE. Polytricon, calitricon, adianton. BRA. Siste, nam uos pharmacopolæ rem in duas species tantum distinctam, in quatuor diuisistis, nomina solum diuersa sunt, res minime: ea enim

herba, quæ à nobis capillus ueneris dicitur à Dioscoride adiantum appellatur, quoniam madefieri non potest etiam aqua aspera, quem tamen effectum experiri uolens, falsum esse comperi, ideo potius ex puteis, quos coronat, & propter id madida non est, uel quia nunquam attingit aquas id nomen sumpsisse arbitror, à Romanis cincinnalis, & terræ capillus dicitur, cincinnalis quidem ob cincinnos secundum aliquos .i. incisuras, sed magis arridet ad capillorum cincinnos. idem cum polytrico, & calitrico est, sunt hæc diuersa nomina à uarijs effectibus imposita, nam polytricon .i. multas tricas hoc est capillos faciens, calitricon .i. pulchras tricas faciens. ut autem rem ipsam aptius intelligas, una herba est adianton, in duas partes separata, una proprie adiantum dicitur, de qua priuatim uno capite Dioscorides agit, folia magis alba, & coriandro similia habens, & longiora, altera pars à Dioscoride in sequenti capite scribitur, et tricomanes appellatur, folia habẽs filici similia, tenuia, nigriora primo, & breuiora, hoc proprie calitricon dicitur, ex tricarum pulchritudine, quam facit, uos pharmacopolæ hoc communi nomine in his duabus herbis utimini capilli ueneris, unde apud antiquos authores solum adiantum, & tricomanes, uel calitricon inueniuntur, ut patebit si Theophrastum, Dioscoridem, & Plinium legeris, non autem quatuor sunt herbæ, ut uos eas facitis supradictis nominibus appellatæ, nam sola uoce & non re ipsa dissentiũt, ideo multi pharmacopolæ falsò quatuor herbas ostendunt, quum duæ tantum sint, tamen quamcunque speciem acceperis, easdẽ uires habet, ideo Ferrariæ in puteis, fontibus, palustribus locis, umbrosis, ac humentibus muris eã accipito, quæ ad manus uenerit, & in Bononiensi solo ma

xima

xima copia uiret, & mutinæ, ac Regij Lepidi. Ferrariæ tamen tricomanes.i.ea species, quæ filici similia folia habet copiose inuenitur. Ramos tantum huius herbæ seruabis, auenca ab Hispanis dicitur, non omnibus tamen, ita à quibusdã Germanis frauuenhar dicitur, ac si dixeris fœminæ crinis, quanuis alij Germani mauerrutem (sed falso) appellarint, quoniã hæc ruta muraria, à prædictis herbis diuersa est, Galli etiam pharmacopolæ illis quatuor, ac si diuersa sint, utuntur, ita suis nominibus appellantes capiluenere, politricalitri, adiantos, à Polonis malki bozci vvloski, & hoc nomine vvloski appellant & polytricon, & calitricon, & adiantum. Hæ omnes herbæ in caliditate, & frigiditate symmetriam habent in siccitate uero in primo sunt ordine. SE. Agrimonium ad manus uenit. BRA. Corrupto uocabulo paßim utuntur, Argemone legi oportet, supra docuimus, eam herbam, quam pharmacopolæ pro argemone accipiunt, uerum eupatorium esse. at uera argemone apud me incomperta est, tamen futurum spero, ut illam inter alias herbas ostendamus, nunc ipsam dimitterem quoad ab aliquo oculata fide inuenta sit. SE. Interim quid agendum est, si aliquis medicus argemonem indiceret? BRA. Admonerem ipsum hanc herbam non haberi. SE. Clamaret ille, uis tu me docere? hæc est, sus mineruam instruet. BRA. Placidis uerbis iterum admonerem, exorans ut ueritatem noscere tentet. SE. Tunc altiori uoce instreperet, cõuitia sine ordine miscẽs, & deinceps meam officinam desereret. BRA. O peßimum genus, ignorant, & id noscunt, tamen sua ignorantia obstinati discere contemnunt, & potius meris nugis consenescunt, quàm ab alijs discere uelint, aut saltem se ipsis ueritatem noscere conentur. si pharmacopola essem,

& hoc mihi accideret,tales uiros derelinquerem , iuberemq̃; aliam officinam quærere, & ibi quæ luberent indicere,quoniam pro re,rem alterã uendere non licet. SE. Id agere decreui,& potius ſalutis animæ tribuere,quàm paruo lucello,quod ignauus,& penè inſcius medicus,ſemel,aut bis ad ſummum in anno condonabit . his autem omiſsis,ad ſpicã ueniamus. BRA. Iterum ad flores trãſis. SE. Nihil refert,nos ſpica nardi,et ſpica celtica utimur. BRA. Nominum inſcitia,& te,& recẽtes ita loqui coegit,nardus abſolute appellatur,et nardi ſpica,quæ in mõte Indiæ naſcitur,tamen in Indicam & Syriacam ab authoribus diuiditur,quia mons ille duas facies habet, in facie uerſus Indiam uergente nardus indica creſcit,in uergente uerſus Syriam,Syriaca. Indica mox ſub ſe Gangeticam capit,quæ propè flumen Gangem naſcitur,nardus uero celtica in Gallia,& in Liguriæ alpibus , & in Hiſtria uiret. Habetur,& tertia nardus ex Cilicia propriè, & Syria,quæ mõtana appellatur. hæc eſt,quam habemus pro maiori parte,nã Venetorum nauigationes Alexandriam , & Alexandria Venetias hanc ferunt:ex Cilicia enim & Syria facile Alexandriã , & pedeſtri & nauali itinere feruntur. etiam ex Cypro inſula affertur,& ſunt radices illæ nigriores,non quæ luteum colorem habent, ne igitur in his montibus nardũ quæras,ſed Venetijs ſpicam,caulem,& radicem emes. quãuis & ipſi adulterẽt, iubeo autem radicem & caulem emere,quoniã hæc apud antiquos authores,ut Dioſcoridem,& Galenum magis in in uſu medico ſunt,quàm ſpica,quippe folia abijcit Dioſcorides,ad nos tamen ſpica ipſa non defertur,ſed radix nempe capillamẽta illa,quæ Venetias afferuntur, & mõtanæ nardi,& ſyriacæ radices ſunt, nam & ex hac re-

gione

gione facilis est in Alexandriam Aegypti accessus. SE. *Dioscorides inquit montanam nardum, neq; caulem, neq; florem, neque semen ferre, & nigram habere radicem.* BRA. *Quid hoc ad rem facit radix ad nos affertur non caulis, neq; flos, neque semen, & in usu medico radix accipitur, quæ nigra est.* SE. *Quum dixeris Venetijs, & Ferrariæ utrãque nardum haberi & syriacam, & montanam. i. harum herbarum radices quomodo distinguuntur?* BRA. *Quoniam radices montanæ nardi nigræ sunt, syriacæ uero luteæ.* SE. *Id quod uendimus spica non est?* BRA. *Non quidem, sed radix, & capillamenta illa, quæ uides radici inhærent, & per ipsa ueluti per manus terræ humiditas ad radicem craßiorem trahitur, & per totam herbam defertur, aliud uero sunt spica, & flos, quæ ad nos non afferuntur.* SE. *Tamen ad oculos spica uidetur.* BRA. *Et hoc à Galeno notatur in primo de Antidotis libro, ubi simplicia theriacem ingredientia examine perpendit, dicit enim iubet deinde Andromacus indicam nardum imponere, quam ex eo, quia spicæ figuram imitetur, nardi spicam nominant, quãuis radix sit, nec mercatores illam portare student, quoniam maius lucrum ex radice, quàm ex spica faciunt, cum tamẽ spica in re medica, & odoramentis ualeat, immo preciosum unguentum ex spica antiquitus fiebat à Galeno frequenter spicatum nuncupatum, quo Magdalena Seruatoris nostri Iesu pedes inunxit, estq; error in sacris literis ubi legitur unguẽtum nardi pistici, quem errorem Valla corrigere uolens nardi spicati legit, quum potius spicæ nardi. i. ex spica nardi legendum esset. radix tamen ea est, quam cæteris partibus præferunt authores. immo quum radix excauatur puluerem pro lauandis manibus seruari iubet Dio-*

scorides, adeo radix odorata est, & Galenus radicem nardi indicæ in libro de Antidotis ex similitudine nardi spicam uocari dicit. Hæc de nardo, uel ut uos dicitis de spica. Nisi in mentem uenisset Ligures ueram celticam nardum habere, tamen loco eius, herba dicta à nobis lauendula uti, ex qua & nardinum oleum parant, idest id, quod apud uos de spica appellatur, tamen lauandula, à nardo longißime distat, & quid sit ignoramus nisi illam pseudonardū uocemus. SE. *Cuius est temperiei nardus?* BRA. *Galenus octauo de simplicium medicamētorum facultatibus in primo ordine calidam esse indicat, & in secundo siccam. at tanti, tamq; celeberrimi uiri uenia dicemus cum absque ratione, sed sensu solo deprehēdatur nardi caliditas, non possum non sentire esse in secundo ordine calidam, & in siccitate ad tertium peruenire, uel ad secundum completum: tu iudex esto, nobis satis uidetur hæc annotasse, & lectoribus tanquam digito ostendisse, qui recto iudicio hæc perpendant.* SE. *Omnes tamen ita sentiunt, tam Arabes, quàm Græci, & Latini recētiores.* BRA. *Quoniam omnes ex uno Galeno accipere, & rem interius non considerarunt.* SE. *Polium sequitur.* BRA. *In planis & montibus hæc herba reperitur, Dioscorides in usu montanam esse censet.* SE. *Immo & nos semper montanum Polium quærimus, & mōtano utimur.* BRA. *Non habet hominis cani folia, ut nōnulli putarunt, sed in summo capitulum paruum habet cano hominis capillo simile, in Bononiensibus montibus egregie crescit, & pullulat, sunt tamen pharmacopolæ Ferrariæ, qui pro Polio alteram herbam sumant, quum notißimum sit apud nos Polium, & uulgare. Leonicenus in epistola ad Hermolaum Barbarum Plinij errorem ostendit, Tripolium cum*

Polio confundentis, totam herbam in his mōtibus sine radice, sed cum floribus, & seminibus serua, eius nomen sortitum est ex similitudine, quam cum homine cano habet, unde herba ea multorum stipitum, qua nostri pharmacopolæ utuntur, Polium *non est.* SE. *Non omnes tamen illa utuntur, nam ex* Bononiensibus *montibus poliū uerum habere consueui.* BRA. A Polonis *kapnyemni poley, à uulgo* Cretensium *donaida dicitur, est in secundo ordine calefacientium, & in tertio desiccātium, hæcq; perfecte sunt in minori polio.* SE. *Ad pastoris uirgam accedamus.* BRA. *Vnde hæc herba tale nomen sortita sit ignoro, nisi ex longis uirgis, quibus cardui ad poliendos pannos insident, dicta sit, ut pastores forte unam ex his uirgis sumentes, & aculeis nudantes ea parte, qua poßit manu capi, reliqua aculeata parte gregem ducāt.* SE. *De eo nomine incertus sum. at carduum esse non dubito, quo autē nomine ab antiquis diceretur ignoro.* BRA. *Apud* Dioscoridem, & *antiquos* Græcos, *dipsacos est licet simpliciter apud ipsum scolimos carduus ab aliquibus credatur,* Romani *labrum ueneris, aut lauacrum ueneris appellant, notißima herba, &* Ferrariæ *frequentißima, radices seruare oportebit, seorsum, & folia, habet etiam echinum in cuius medio uermiculus nascitur ad quartanas utilis, si* Dioscoridi *credere fas sit,* Marcellus *diu uermiculum illum obseruasse, at nūquam uidisse fatetur. ego autem certus sum nunquā à* Marcello *obseruatum esse, quum nullus errare poßit, quin in autumno inueniat, quū exiccari incipit, si per medium echinus aperiatur, uermiculus albus est, qui per cauitatem echini dimouetur, & in caudicem transit, hyeme etiam uidere licebit antequā præ frigore moriatur. quū uero huius pastoris uirgæ du-*

plex genus reperiatur, & easdem uires utrunq; habeat, quodcunque seruabis, nihil impediet. in Ferrariensi agro id quod breuiorē echinum habet, uberrime nascitur, quo pilea, & pannos expoliunt, à Gallis etiam ferè nostro nomine appellatur uerge à patour. Neapoli dicitur cardo de panno. Poloniæ sczotki est. secundum Galenum. 6. de simp. med. facultatibus in secundo ordine siccus dipsacos, est & in secundo frigidus, quāuis à recentibus in tertio ordine frigidus, & siccus positus sit. SE. Lupulus occurrit. BRA. Non inueni apud Dioscoridem quo nomine lupulus appellaretur. hi enim aberrant, qui corrudam dici uolunt, nam corruda folia capillamenti modo tenuia habet, quibus caret lupulus, nec brionia est licet eadem foliorum forma decoretur, uerum Plinius de eo tractare uidetur, & lupum salictarium appellat, quoniam supra salices, & reliquas plantas repat, & ideo nostra materna lingua luuertice quasi lupus uerticius, uel salictarius lupus uocatur, utpote qui circa res, quibus inhæret, uertatur. Herba est Ferrariēsibus notissima, quam licet in Ferrariēsi agro ubique præsertim circa sepes, & foueas inuenire, & qua nos cocta, & cruda in acetarijs oleo, sale, & aceto conditis uescimur, flores & herba seruāda, nec prætermittendæ radices, quæ calidæ, & aperitiuæ sunt, licet nonnulli frigidum esse lupulum contenderint, est calidus in fine primi, uel in principio secundi, & siccus in primo, flores in illis locis plurimum ualent, in quibus uinum deest. nam ex ipsis compositiones quasdā parant potui aptas, quas suis idiomatibus ceruisias, medões, byras, zitá ue appellant, in quem etiam usum herba seruabatur. SE. Reperitur ne apud Arabes, quum Græci de ipso locuti non sint? BRA. Non ita simpliciter dixi Græcos lu-

pulum

pulum præterijsse, quoniã recentes Græci de eo uerba fecere, immo & nũc uulgo in Cypro brion uocatur, & Hermolaus in tota Græcia ita appellari tradit, nunc etiam aquileienses rustici bruscandulam quasi brion scandilem uocant, & ita Cremonæ dicitur, apud Arabes etiam sub nomine uolubilis inuenitur, Hispani lupares præsertim qui Lusitaniã habitãt, Galli ombelon, Germani aopfhen, Poloni chraiel appellant. SE. Carduus benedictus occurrit. BRA. Simon Genuensis longe deceptus est, qui carduum benedictũ sedũ minus esse arbitratur, deceptus autem est me iudice, quia à Dioscoride sedum minus carduus semperuiua appellatur, ideo carduum benedictũ esse hac coniectura existimauit, sed ita carduus benedictus semperuiuum est, ut rosa est lactuca, & quãuis paßim in Dioscoridis exemplaribus Græcis carduus semperuiuus loco sedi non sit, tamen Genuensis in suo contextu ita legerat, quemadmodum, & Hermolaus in suo habuit, sunt uero plures contextus, qui loco cardui semperuiui ἔρβα σερπερβίβα.i.herba semperuiua legunt, ut in pluribus Græcis textibus uidere est. uerum uno errore non contẽtus Genuensis, sedum etiã senectionem facit, & erigerõ, & trissaginis speciem, quæ quãtum à uero discrepent suo loco ostendemus. Nonnulli hunc carduum chamæleontis speciem fecerunt, ego nondum habeo quid certi dicam. in Ferrariẽsibus herbis de ipso copiose scribemus. Hic flores, herbã, radices, et semina colliges, quæ omnia uarijs ægritudinibus conferũt. Galli nostro ferè nomine chardon benist uocant. Neapolitani senescens, Veneti cardo santo, Poloni ostropest, calidum in fine secundi, & siccum in tertio ordine iudico. SE. Thymbra sequitur. BRA. Multæ herbæ sunt, quarum cognitionem apud omnes authores

difficilem

difficilem uideo, thymbra. s. satureia, cunila, genus herbæ est cunila, satureia cunilæ species, quæ & thymbra, altera uero hortensis est, altera agrestis, si Columellam considerare uoluerimus peculiari nomine syluestrem thymbram hortensem satureiam appellat. Notißima herba est à nostris seneuezo, quasi uice sinapis dicta, ab alijs sauolezo corrupto uocabulo quasi satureia. mirus est apud nos in acetarijs, & intinctibus huius herbæ usus, sunt & qui solo pane mandant, nam nomen forte traxit quia saturos reddat. Ferrariæ in tenuibus, & asperis terris crescit, ubique tamen ab altioribus seminatur, syluestris ad omnia medicamenta efficacior est, ut de omnibus syluestribus herbis Galenus testatur, hortensis in cibis melior, quia intẽsiori illa acrimonia caret huius herbæ præsertim domesticæ ad medicum usum ramulos serua. Hæc sunt quæ de thymbra concise dicenda erant, spondẽtes omnes cunilæ species aliàs ad unã ostensuros, apud Germanos quosdam quenel, apud alios cunel dicitur, ut à serpillo nomen ductum esse uideatur, Cunel autem à cunila corruptum sit, & satureiam satureij, & Poloni czambr dicunt, calidam, & siccam in tertio ordine esse censent, sed addo in tertio intense, ut sinapi ferè cõparetur. SE. Bursa pastoris occurrit. BRA. Hæc bursa adeo tenuis est, ut nihil habeat, quo pastores uictum ducere possint, tali autem nomine appellatur, quia folliculũ habet, in quo semina conduntur, bursæ figuram representãs. nõnulli eã thlaspi à Dioscoride descriptã esse cẽsent, quòd à Romanis scandulaceũ, uel capsellã, quasi scarsellã unde & nos uulgo scarselletã uocamus, re aũt uera thlaspi pro parte huic bursæ quadrat, si Dioscoridis picturam considerabimus, quia breuis, & exigua herba est, fo-

lijs

lijs angustis digitali longitudine in terram uersis, in summo incisuris diuisis, & modice pinguibus caule tenui duorum dodrantum altitudine, paucis in eo adnatis, & circa caulem fructu in summo modice lato, in quo exiguum semen est Nasturtio simile, disci uel lenticulæ uasis effigie, & ueluti infractum, unde nomen accepit, flos illi albus, in semitis, fossis, sepibus, & circa domos nascitur, semen habet acerrimũ, omnes hæ conditiones Bursæ pastoris quadrare uidentur, sume tu herbam ipsam, quæ propè est, & prædictas cõditiones illi quadrare aduertas. SE. Mirum in modum conuenit, tamen prius audiueram Thlaspi eam herbam esse, quæ à Ferrariensibus uincetoxicum dicitur. BRA. Nonnunquam thlaspis effigiem uincetoxico comparaui, statimq́; diuersam esse percepi, nam uincetoxico nõ insunt folia digitali longitudine, nec in summo incisuris diuisa, nec in terram uersa, nec pinguia, immo ariditatem quandam præ se ferre uidentur, nec semen est disci figura, & multa alia uincetoxico desunt, thlaspi tamen ab authoribus attributa. SE. Thlaspi igitur Bursa pastoris erit. BRA. Inclinauit quandoque animus, sed magis inclinasset, si folia in summo incisuris diuisa haberet, habet autem incisuras in medio, & si semẽ disci forma insigniretur, quod rotundum est, & rubrum, & si cum nasturtio similitudinem quãdam possideret, & semen acerrimum esset, quum uero hæc omnia thlaspi insint, & desint Bursæ pastoris non possum induci, ut nostram pastoris Bursam thlaspim Dioscoridis arbitrer, & si in bursa pastoris multæ notæ inueniantur, quæ in thlaspi primo intuitu reperies, constat autem herbam esse qualitate frigidiori insignitam, ne illam hic quæras, sed Ferrariæ semina, & folia colligito, nunc quæ nam sit apud antiquos incertus

sum

sum. Aliæ ferè gentes nostrum uulgare nomē imitantur, nam Galli bource à patour, Germani deschlsuraut, id est marsupij herbā appellant, à Polonis tobolki dicitur. SE. *Ad scabiosam igitur accedamus.* BRA. *Et hæc una est ex illis herbis, quæ apud antiquos non reperitur. Nostri pharmacopolæ pro scabiosa herbā colligunt, qua pro uerrendis domibus Ferrariæ utimur, tamen ubique in Italia non est harum scoparum usus, ideo apud nos notißima, quam ita Hermolaus in stœbe describit, habere foliū erucæ, hirsutum, sed non horrens aculeis, floris cærulei, qua scopæ fiunt, non defuere tamen, qui nostram scabiosam, stœbem Dioscoridis esse censuerint, uerum quia Dioscorides stœbem nō pingit per ipsum, an nostra scabiosa stœbe sit noscere non possumus, propterea ad alios authores confugiendum, Theophrastum. s. & Plinium. Plinius lib. 21. cap. 15. stœbem à quibusdam phleō appellari tradit, à Theophrasto primo de plantarum Historia sumens. si igitur phleon à nostra scabiosa differre probabimus, & stœbem scabiosam non esse probatum erit. Theophrastus primo de plantarum historia stœbem inter fruticosa connumerat, & quæ carnosum folium habeant, quale scabiosa non habet, constat etiam apud Plutarchum in secundo problemate phleon inter palustres plantas numerari: ex hac enim antiqui toros conficiebant, unde nomen accepit quia antiqui stœbe utebantur πρὸς στιβάδας conficiendas, id est ad toros parandos, adeo lentorem habebat, nostra autem scabiosa lentore caret, immo apprime frangitur, Herodotus etiam testis est ex ea antiquitus uestes parari, & Theophrastus sexto de plantarum historia inter aculeatas numerat phleon, inter illas præsertim, quæ folia habent secundum spinas, ut tribulos, hæc uero nostræ*

ſcabioſæ non quadrant, immo & Pauſania ex ea fieri re tia ſcriptum reliquit, quæ noſtræ ſcabioſæ conuenire non poſſunt, adde ſtœben adſtrictoriam uim habere, ſcabioſam uero minime, nam ita appellatur, quia contra ſcabiem ualeat, ſtœbe uero contra ſcabiē ualere à nullo authore ſcriptum eſt. Quam ob rem antiquorum ſtœbem, & nunc uocatam ſcabioſam diuerſas eſſe oportebit, ut uulgaris herba potius dicēda ſit, quàm ab antiquis pertractata, cutaneis ægritudinibus ex ſalſugineis humoribus apta. SE. *Habet'ne alias uires, an tātum ſcabiei aduerſatur?* BRA. *Recentes quædam inepta carmina tempore Vrbani pontificis facta adducunt, quæ adeo inſcitia opplentur, ut pudeat me referre.* SE. *Niſi ægre tuleris eamet carmina recēſebo, ut experiar an memoria exciderint: his enim carminibus plurimum oblector.* BRA. *Vt lubet proferas, ſed cito expedias.* SE. *Vrbanus per ſe neſcit preciū ſcabioſæ,*
Nam purgat pectus, quod comprimit ægra ſenectus:
Purgat pulmonem, lateriſq; ſimul regionem
Rumpit apoſtemata, lenit uirtute probata
Emplaſtrata foris rumpit anthracem tribus horis,
Intus potatur, & ſic unus euacuatur.

BRA. *Si ſtœbes uires conſiderentur, eædem nullo modo ſunt, quamuis Pandectarius ſtœben eſſe contenderit, ſed miror admodum, cur in iſtis carminibus contra ſcabiem ualere ſcriptum nō ſit, niſi dixerimus omiſſum eſſe, quoniam ex ipſo herbæ nomine deprehenditur, tu autem in Ferrarienſi agro hanc herbam colliges, ubi ingens copia uiret, cuius folia, & ſemina ſeruanda iubeo. eodem nomine, & à Gallis appellatur ſcabioſe, à Cretenſibus uulgo ſtabrocortho, à Polonis polna drianyevv, alij dryanzachi dicunt, calida eſt in ſecundo ordine in medio, ſicca in*

principio

principio secundi. SE. Caryophyllata sequitur. BRA. Ex radicis odore hæc herba nomẽ sumpsit. SE. Quia caryophylli odorem habet (ut arbitror) sed cuius caryophylli? BRA. Non habet omnino nostri caryophylli, id est pulcherrimi illius floris, & summe odorati, quem in fictilibus frequentem habemus. SE. Nisi graue sit tibi (licet præter intentionem) quo nomine ab antiquis caryophyllus noster appelletur edoceas. BRA. Nunquã apud antiquos ipsum reperi, quod tamẽ admiratione dignum est, quum dignus sit ille flos, ut à digno authore pingeretur: longius enim decepti sunt, qui Cyanum esse arbitrãtur, nam Cyanus statim post rosam sequitur, nos baptisoselam corrupto uocabulo, quasi baptiseculam dicimus, quia secantibus, & metẽtibus officiat, retusa in occursu eius falce, ut Hermolaus in leucoio docet, nam, & seculam ueteres dixere falcem, ad rem nostram redeuntes, non habet etiam odorem caryophyllata illius fructus, quo in aromatibus pro condiẽdis obsonijs utimur, at suauem odorem habet, ut ille suauis est, qui in caryophyllo flore sentitur, unde ob suauiolentiam illi flori comparatur. immo & in illum quodãmodo inclinat. Plurimis, & præsertim Pandectario eam esse placet, quæ apud Galenum lapagũ dicitur, hic bonus uir scribere debuit lagopũ, quasi pedem leporis, nam Galenus de lagopo in simplicium medicamentorum facultatibus tractat, quam facultatis adeo exiccantis esse dicit, ut alui fluxus probe exiccet, quas uirtutes illi attribuit Pandectarius ex mente Galeni, ut constet, quod Pandectarius corrupto uocabulo lapagum dixit, scribendum fuisse lagopum, quem errorem Genuensis euitauit, quippe qui nouit lagopon, id est pedem leporis caryophyllatam non esse, ut certum est si quis antiquorum authorum picturas consideret.

consideret. Dioscorides tamen, Galenus, & Paulus eam nõ describunt, nec etiam Plinius, sed hic tãtum in segetibus nasci dicit. Dioscorides autem φύεται ἐν πρασίαις, id est in hortorum areis nascitur, constat autem caryophyllatam in montibus nasci, at hæc herba, quæ pes leporis dicitur à nullo descripta reperitur, præterquam à Genuense, qui in antiquo Dioscoride pictam uidisse fatetur pusilla habentem folia in triangularem figuram uergẽtia per omnes ramulos utrinque ab ambobus lateribus continuata per totam humilem plantam, expansam per terram, nos uero in altero Dioscoride speciem alteram leporini pedis circumcirca incisi uidimus, ea in acetarijs uerè utimur, ad nostram autem caryophyllatam reuertentes, quã recentes sanamundam, & auantiam, & oculum leporis uocant, & quam non esse lagopum certe scimus, nec apud Dioscoridem reperiri. si aliqua tamen sit apud antiquos eam esse suspicor, quam Plinius lib. 26. cap. 7. Geum appellat, quamuis in aliquibus codicibus Gethis legatur: hãc radices nigras, & bene olentes habere tradit, non autem dicit caryophylli odorẽ habere, quia apud ipsum hic flos ignotus erat, sed bene olere, quia reuera optimus odor est, ad eadem etiam Geum ualet ad quæ iam dicta caryophyllata, ad pectoris inquam, & lateris dolores, & cruditates iocundo sapore discutit ad quæ radix cariophyllatæ ualet, quamuis, & ad alia multa caryophyllatæ radicis sit in re medica usus. in his mõtibus eam colligas, ubi copia est radicesq; serua, & folia. SE. Nullus est apud medicos foliorum usus. BRA. Tu autem & folia serua, quæ ad multa ualent. SE. Deinceps seruabo. BRA. Galli salmonde, ac si sanamundam dixerint, eam appellant, Germani negeles kraut tanquam caryophyllorum herba dictum

sit

ſit, à Polonis nucnlin dicitur. SE. Argumentum id tuum parum ſalis habere uidetur, quo probare niteris Geũ eſſe caryophyllatum, quoniam utrunque pectori, & lateris dolori proſunt, & quia Plinius radiculas illas boni odoris eſſe tradiderit, at hæc à uiribus ſumpta ratio, parui eſt momenti, cum multæ ſint herbæ, æquali facultate præditæ, tamen eædem non ſunt. BRA. Video ubi in nos cauillari potes, cauillos exerces, nec pro conſcientia res, ut ſunt conſideras, nõ equidem diximus geum garyophyllatam eſſe, & forte non credimus, ſed legentibus conſiderãdi anſam præbemus, & quibus conueniant ſimul oſtendimus ſint quæcunque illa. propterea tu probe cõſulere debebas non reprehendere, & cognoſcere à nobis id certe non affirmari, etenim non ignoramus ex uiribus argumẽta non demonſtrare, aliquid tamen eſt ſi uires conueniãt, & aliquid ſi in odore conueniant. SE. Lapatium ſylueſtre ſequitur. BRA. Pro ſylueſtri lapatio quam herbam ſeruas? SE. Eã quæ uulgo rumice appellatur. BRA. Rumex latine dicitur, & lapathum potius, quàm lapatiũ dicere oportet, ſi quis Dioſcoridis uerbis uti uoluerit, cuius multæ ſpecies ſunt, quæ ſub capite acetoſæ ab Auicenna ponuntur, quamuis acetoſa ſit una tantum ſpecies, uerum deceptus eſt in ea uoce ὀξὺ, ut multi latini fecere, quæ acutum ſignificat, acuties autem in aceto eſt, & per ſimilitudinem in alijs rebus, ut enſis acutus, unde una tantum lapathi ſpecies quo ad ſaporem acuta eſt, quã acetoſam, & herbã bruſcã uocamus, aliæ quo ad formã acuta folia habent. quã ob rẽ quod à Dioſcoride ſatiuo ſimile dicitur proprie rumex eſt, & lapathum ſylueſtre, quod ſeruatis, quãuis nõ multũ differat, quãcunq; ſpeciem, quoniã eaſdem ferè uires habent. Ferrariæ uberius creſcunt ſemina

folia,

folia,& radices seruabis,Galli parelle rouge,Lusitani labaras, Germani cletten, Poloni kobili scza roi,alij dicũt sezovvmelny,Hispani lanpazos hanc herbam appellãt. est frigidum in primo ordine, siccum in secũdo. SE. Euphragia occurrit. BRA. Herba pulchro nomine insignita,quam tamen antiqui ignorarunt:nihil enim de ipsa apud Dioscoridem,Plinium,Galenum,Paulum,aut Aëtium reperi,herbula parua est pimpinellæ similis,Adhil etiam uocata,sed folia minora habet, nec multos ramos habere putant recentes,tamen in summis montibus tum Bononiẽsibus,tum Mutinensibus fructicosissima inuenitur , sed in decliuioribus locis ferè in unum stipitem crescit,flores in album uergunt.Hermolaus lib.4.corollarij, ubi de saxifrago tractat,luteolos esse dicit . integram plantam serua ex his montibus collectam,pro hac Mutinenses,& Bononienses montes ascendunt multi pharmacopolæ, in plano etiam nascitur , sed est multo efficacior in montibus, Galli eodem modo euphraize, Germani aughentrost appellant,tanquam si dictum sit oculorum solamen, propterea à multis ophthalmica,& ocularia nuncupatur, à Polonis szvvieczni dicitur,calida, & sicca est in primo ordine. SE. Millefolium sequitur . BRA. Multæ herbæ apud antiquos in hoc nomen ueniunt,ut quarta species sideritis,& stratiotes terrestris,ea tamen uere millefolium est,quæ à Dioscoride myriophyllon appellatur,& à Plinio lib.24.cap.16.sed nostri pharmacopolæ quibusdam mulieribus credentes alias herbas pro millefolio accipiunt,ut stratiotem terrestrem, quartam speciem sideritis, & alias quasdam. SE. Tu quam sumere debeam,ostende. BRA. Omnibus ferè eædem uires insunt,quia uulneribus aptæ. in his montibus non nascitur,aut inefficax est.Fer

rariæ habetur, quia palustria loca amat, ea est, quæ unum singularem caulem habet tenerum, & unam radicem, folijs fœniculi pluribus, subrubicundum, & densum, tanquam de industria sit ita factum, puniceum, & perpolitum. herba ipsa seruatur, eodem ferè nomine Hispani, ut nos utuntur millafolio, eodé, & Galli mille feulles, Germani garb dicunt, quamuis & nonnulli schaffs reibe, id est ouinam costam, & alij relic dixerint, tamen incertus sum, an uero millefolio, uel alijs herbis, ita appellatis hæc nomina tribui debeant, Poloni κυννάννηικ uocant, Cretenses uulgo phillyophyllon. frigidum est, & siccum ordine secundo. Galenus in septimo de simplicium dicit eò desiccatoriæ facultatis esse, ut uulnera glutinet. SE. Pes columbinus sequitur. BRA. Apud antiquos Græcos hanc herbam multum quæsiui, quia eius nomen, Græcorũ impositiones sapere uidetur, quippe qui herbas, ut excellentiori nota cognoscerentur, ex notißima re, cui aßimilarentur, denominarunt, ut pes leporis, pes coruinus, pes accipitrinus, pes locustæ. at nomen hoc, nec apud Dioscoridem, Theophrastum, Plinium, Galenum, aut alterũ ex antiquioribus mihi occurrit, qui de herbis pertractarunt. Recẽtes Amomum columbini pedis speciem esse contendunt, quum ita à Serapione existimatum sit, tamen apud antiquos hoc nusquam repertum est. immo si Amomi figuram consideremus fruticem esse pusillum, ceu ramum è ligno conuolutum, & sibi ipsi implicitum, statim decernemus nullã esse notam, qua cum columbino pede conueniat. Hæc enim nomina à similitudinibus cum his animalium partibus imposita sunt: quam ob rem nescio qua ratione, & Serapio amomum pedem columbinum esse putarit, quãuis nomina ad placitum sint, sed & ad placitum est Barbaris cre-

dere

dere quum sine ratione loquuntur: Pandectarius anagyron, columbini pedis speciem esse fatetur, sed Dioscoride perlecto, nullam similitudinem habere percepi. quippe anagyris folia, & uirgas uiticis, id est agni casti habet, quæ folia nihil cum columbino pede conueniunt. Auerrois de columbino pede quinto colligit tractatu, frigidum in primo, siccum in secundo docens, tamen eius effigiem non describit, ut ferè opus sit columbinum pedem uaticinari. quidam uero Geranium esse putarũt, à quibus sponte discedo, quoniam geranium diuisuras maiores habet, quàm anemones: at non ita magnas pes columbinus habet, nec etiam rotunda radix ipsi inest. quicquid autem sit, nostri pharmacopolæ herbulam quãdam seruant, quæ sex, aut octo ramulos profert pusillos, subtiles, in quibus folia insident, rotunda circumcirca incisa adeo, ut columborum pedes, à nobis calciatorum appellatos, imitari uideatur, an modo illa sit, uel quæ apud antiquos hæc fuerit incompertum habeo, tamen duas herbas in Ferrariẽsi agro iam diu noui, maiorem unam, alteram minorẽ, quæ earum forma columborum pedes imitantur. Ego potius maiorem colligerem, aut ambas omitterem ueluti apud antiquos ignotas, eas autem in Ferrariensi agro quærerem, ubi uirent egregie. SE. Hæc herba omitti non potest. alioqui trocisci diacorali, qui theriacam ingreditur, fieri non possunt. BRA. O ingens recentiorum ignauia, nulli sunt trocisci diacorali, qui theriacam ingrediantur, sed est magma hedycroon, de quo Galenus & in libro de theriaca ad Pisonem, & in antidotis tractat, nescio quomodo uocabulum hydichroon in diacorali corruperint. in hoc uero magmate nec coralli, nec pes colũbinus insunt. Hæc autem aliàs à nobis ubertim tractabuntur, folia, &

radices huius herbæ Ferrariæ habere studebis, à Germanis hæc herba taubenfus .i. colũbæ pes dicitur, nam apud ipsos tauben columba est, & fus pes, Neapoli amomum uocant fortè Serapionem sequentes, à Polonis goloxbia noga dicitur. SE. Persicaria sequitur. BRA. In Ferrariensi solo copiose crescit iuxta aquas, & in humentibus locis præsertim, recentes duas species faciunt, alteram quæ in medio folio nigredinem quandam ueluti oculus habeat, alteram uero quæ non habeat: herbam esse, quæ ualde exiccet certum est, & quisque qui experiri uoluerit probare poterit. quid autem sit apud antiquos incertum uidetur. putant nonnulli esse Dioscoridis hidropiper & certus sum (quoad meliora inuenerim, quicquid sentiat Hermolaus) eam persicariæ speciem, quæ lituris caret, hydropiper Dioscoridis esse, quoniam saporem piperis habet, acrisq; est. cum Hermolao autem sentio, eam speciem, quæ lituras habet, hydropiper non esse: mirum enim esset Dioscoridem notam ita celebrem omisisse. adde quia folijs mentæ comparat, nos autem persici, alij laurinis folijs, sed altera persicaria, cui maculæ desunt in omnibus cũ hydropipere conuenit, habet enim florem album, spiceum, acrem gustum, minutum semen, caulem nodosum, rubrum, longum, & folia mentæ conferri possunt. Auicenna piper aquæ uocat, quæ & si piperis saporem non habeat, tamen ueluti piper acrem habet, & Auicenna inquit in gustu suo saporem piperis habere, fortè igitur nostra persicaria hydropiper Dioscoridis est, & Auicennæ piper aquæ, Plinij piperitida, & siliquastrum. hæc autem per suspicionem dicta sint, tamen quæ de hydropipere aliàs suspicatus sum, omittere decreui. SE. Ne quicquam prætermittas obsecro. tuis enim uerbis plurimum delector.

delector. BRA. Erectis igitur auribus audias. Nunc in fictilibus supra fenestras Ferrariæ herba habetur, quæ sine odore est, tamen acrem saporem habet, ut piper apud nos Hispanum piper uocatur: alij piper ex calechut, hāc herbam hydropiper esse arbitratus sum, unde, & à Plinio ob siliquam, quam facit, siliquastrum dicitur: unus tamen scrupus adest, quia Dioscorides hydropiper semen acinosum habere scribit, piper autem hoc uulgare uasculum habet, in quo semen continetur, dicitq; folia albiora esse folijs mentæ, at huius piperis folia, adeo uiridia sunt, ut in nigrum inclinent, in reliquis tamē optime quadrat, ut nec pictor aptius pingere potuisset, legi tamen Dioscoridem, in quo legebatur, semen in uasculo. & Marcellus fatetur se uidisse antiquum Dioscoridem pictum, literis antiquis longobardis scriptum, in quo erat effigies seminis in uasculo. SE. Hoc ergo piper, quod religiosi Carthusienses in testuacijs loco ueri piperis utuntur. Dioscoridis hydropiper esse censebas? BRA. Suspicatus quidem sum, sed an sit alij iudicent, propè aquas non nascitur, ut nostra persicaria, quæ à Gallis curage, à Polonis rdest nuncupatur, calidum est, & siccum ordine tertio. SE. Id mihi non satisfacit, cum probas persicariam, quæ lituras habet hydropiper non esse, quia Dioscorides tam celebrem notam non omisisset. tamen Dioscoridem uidemus pluribus in simplicibus id facere, quoniam suis coloribus illa non pingit, & lineamentis egregie. BRA. Video te litium amore potius capi, quàm ueritatis. Quid hoc ad rem? & si multa omittat in simplicibus delineandis Dioscorides, tamen nō omittit tam egregia. adde nos hac in parte per suspitionem loqui & nihil certi asserere. SE. Parietaria sequitur. BRA. Hæc & à muris mu-

ralis herba, sicut à parietibus parietaria uocatur. Nostrum uulgus ob lucidam quandam uiriditatem uitriolum appellat, nam ueluti uitrum splẽdescere uidetur, uel quia uitrea uasa hac abstergunt, unde Auicenna herbam uitri appellat, quoniam (ut inquit) ea uitrum abluitur. à Cornelio Celso muralis, & muralium dicitur. SE. Apud antiquos quæ herba est? BRA. A Dioscoride libro quarto helxine dicitur, quæ in parietibns nascitur, & sepibus, caules habet leuiter rubentes, folia herbæ mercurialis, hirsuta, semine obducto circa caules, & tenaci, ut uestibus etiam hæreat, siquis autem nostram parietariam consideret, hanc esse uidebit à Dioscoride supra depictam, de qua Plinius libro.22.capite decimo septimo, quam tamen ipse folia mixtæ similitudinis inter Plantaginem, & marrubium habere dicit, in reliquis cum Dioscoride conuenit. at plures aliæ herbæ helxine appellãtur hæc, & parthenium dicitur, unde Leonicenus in epistola ad Angelũ Politianum, Plinij errorem animaduertit, qui libro.xxi. capite trigesimo, parthenium à Celso perdicium, & muralium appellari censet, quum tamen muralium apud Celsum hæc parietaria sit, parthenium uero de quo hic tractat chamæmalon est, si parthenij chamæmali proprietates considerẽtur. Hæc autem nihil ad nos, appellatur & Helxine parthenium, quia in hoc nomẽ multæ herbæ coincidunt: satis autem habeas helxine parietariam esse, quam in Ferrariensibus parietibus frequentissimam habemus. Nec deest nobis altera helxine, quæ myosotis dicitur, quasi muris auricula, nostrum uulgus pauarinam uocat, quoniam pauaris, idest iunioribus anseribus (ita enim Ferrariæ iuniores anseres uocantur) sapit. quanquam ab aliquibus alsine à Dioscoride, & non helxine dici existimetur,

metur,non tamen ea est,quam Germani meusole idest muris auriculam nominant,licet idem sit nomen, quia Germani lanuginosam alteram herbam ita uocant, quæ non est uera antiquorum muris auricula. Hæc autem aliàs,potius autem esset helxines proprietates recensere, ob hoc præsertim,quia error maximorum medicorum est,qui ea pro calida,& sicca utuntur,quum tamen frigida sit,quippe ex parietaria pro frigida materia,et in doloribus ex uentositate fomenta parant, tamen Dioscorides frigidæ, & adstringentis naturæ esse contendit,idem Celsus, Plinius,& Paulus,denique Galenus & Aëtius etiam humiditatem habere fatentur, quæ proprietates eos manifeste errare demonstrant,qui pro aperiente herba,& resoluente,ac urinam prouocante accipiunt.si autem dolores sedari quandoque acciderit , id fit aut propter admixtum oleum,aut actualem caliditatem. Nõnulli autem recentes folia quidem frigida dixere,caulem autem calidum,quod quàm uerum sit,cæci iudicent.Pandectarius quoque tribus uersibus sui ipsius obliuiscitur. primo enim parietariam calidam , & siccam in tertio gradu fatetur, postea Dioscoridem,& Galenum adducit,qui frigidam esse contendunt,& ad ægritudines calidas ualere inquiunt. Arbitrorq; Auicennã deceptum , qui ad phlegmatica apostemata ualere censet,postea eiuscemodi apostemata numerans herisipelam, & calida apostemata scribit. SE. Hæc tamen consuetudo inoleuit,ut pro calida herba sumeretur.at quid in causa fuerit libẽter scire percupio. BRA. Quod sentio lubens edocebo,hæc herba præter nomina dicta,parthenium etiam appellatur,est autem pathenium herba,quæ uulgo brusaculo dicitur,uel etiam matricaria si folijs coriandri latioribus comparetur, & non tenuio=

ribus, calida, & quæ pro fomento ad dolores ualeat, quũ ſcriptum reperire parthenium, hanc parietariam, pro illa, quæ uere parthenium eſt, accepere, & ita apud recentes ſine ratione inoleuit. Hermolaus Barbarus in helxine, parthenium matricariam eſſe teſtatur. nos tamen reuera potius uocatum bruſaculum arbitramur, cum folijs coriandri tenuioribus comparatur, quod apud Serapionem matricaria uidetur. quicquid tamen ſit, etiam ſi illã ſumeres, calida eſt, et frigidis doloribus occurrit. denique parietaria in alijs locis, quàm Ferrariæ, herba urceolaris nũcupatur, quoniã urceos uitriatos illa abſtergũt, nos uero à uitro potius, quàm à uaſe nomẽ dedimus. de hac aũt herba finem feciſſemus, niſi in mentem ueniſſet, Aëtium ſummum uirum capite 23. undecimi libri, ubi remedia ponit ad ſuppreſſam, & ægre prodeuntem urinam, ultimo loco remedium ponere: perdicium herbam terito, & affuſo oleo feruefacito, atque ita ueſicæ imponito, eandẽ etiã herbam cum oleo coquito, ipſaq; proiecta, lanam oleo imbuito, ac imponito. ſi quis autem conſiderabit, quid perdicium ſit apud Aëtium ipſum, Galenum, & antiquos, uidebit parietariam eſſe, qua tamen Aëtius utitur, ut calida, quia ad prouocãdam ſuppreſſam urinam. nec opus eſt eo fugere, quod id ex accidẽti faciat calorem naturalẽ reuocando, quoniã plura alia magis apta ſunt, quàm helxine, nec tanta frigiditate imbuta eſt præſertim oleo iam dicto iuncta, ut naturalem calorem reuocare debeat. SE. Errauit ergo Aëtius? BRA. Quid in hac re ſentio, edocere ſtatui. Aëtius capite. 21. de iſchuria ideſt urinæ ſuppreſſione tractat omnes modos, quibus fieri poteſt, & curandi rationem oſtendens, capite autem 22. nõ ſolum ſcabiem ueſicæ, ſed & compoſita medicamenta ad ſuppreſſionẽ urinæ

næ

næ ſcribit.at.23.capite ſimplicia remedia ad ſuppreſſam urinam edocet, & præſertim ſi aut multitudo materiæ, aut craßities in cauſa ſit, ſupra autem capite.21.inter alias cauſas ſuppreßionis urinæ unam dicit, quoties aliquis ob negotiorum importunitatem,aut contionem, aut quia in loco ſit ubi mingere non poßit,& ueſica impleatur,tunc enim os eius magis conſtringitur, docetq; modum curãdi,qui fit per compreßionem manus ſupra imũ uentrem,ut urina lente exprimatur, capite uero.23.ubi ſimplicia remedia ponit ad compreßionem propter multitudinem,& craßitiem,remedium perdicij ſcribit,quod ualet ad compreßionem propter multitudinem : nã perdicium.i.helxine,uel parietaria eſt frigidæ, & adſtringentis naturæ,adſtringens autem eſt tãquam manus,quæ exprimat,& paulatim urinam exire faciat.itaque arbitror Aëtij contradictionem ſoluẽdam eſſe,& demonſtrãdum his,quæ dicta ſunt non cõtradicere, Hiſpani ferè ut nos paritariam remoto,e,Galli paritoire dicunt,quidam uero Germani Sampeters kraut ideſt ſancti Petri herba. alij uero tag und nacht.i.die,noctuq; appellãt, utunturq; eo nomine in ſophiſmatibus,et cauillis amatorijs,is enim qui amat,die,noctuq; amat,tamen ſi apud ipſos tag und nacht herba,flores habeat partim luteos,partim purpureos & propterea ſit ita appellata, quia purpureus color noctem,& luteus diem ſignificet,tunc certus ſum noſtram parietariam,non eſſe tag und nacht Germanorum & ideo male eo nomine in helxine utuntur . quum uero ſint,qui eam eſſe contendant,quam nos uitriolum appellamus,& eſt iam dicta helxine digladiari in hac re noluimus,ſed omnes ſuo modo proprijs nominibus uti ſinemus, à Polonis noczydzien dicitur, à Venetis ueriol, à Cre=

tẽſibus

tẽſibus uulgo perdicugli, à Cidonienſibus colizaui, ab Hiſpanis paritaria, à Romanis polatora, à Neapolitanis herba de muro nuncupatur. SEN. Ratio tua mihi nõ ſatiſfacit, qua Aëtium à calũnia tueri ſtudes, nempe adeo uehemens in helxine adſtrictio nõ eſt, ut manus uice ſupra imum uentrem poſita adeo comprimere poßit, ut paulatim urina exeat. BRA. Cur dubites id fieri poſſe ignoro, immo tanta adeſt adſtrictio, quãtulacunque ſit, quæ id efficere poteſt, tuq; meliorem anſam tuendi à calumnia Aëtium porrigere debebas, nos enim ſolutionẽ illã propoſuimus, quæ cæteris aptior uideretur pro Aëtij defenſione, at tu ſtudio ſolum cõtradicendi cauillaris. SE. Cuius eſt qualitatis? BRA. De recentioribus mirandum eſt qui illam in tertio ordine calidam, & ſiccam fateantur, quum & Dioſcorides, & Galenus, & experientia frigidam, & ſiccam eſſe oſtendant, propterea in primo ordine frigidam eſſe dicimus, & in ſecundo ſiccam, quanquam & nonnihil habeat humiditatis, quare partium diuerſarum eſt. SEN. Ideo ad arboream hederam ueniamus. BRA. Hedera abſolute dicendum erat, nam & ſi in ſpeciebus differentiæ ſint, quoniam aliqua alba, alia nigra, & aliqui in marem, & fœminam partiuntur, mas helix dicitur, quoniam fructum non gignit, uulgus tamen arboream dixit ad differẽtiam ſuæ terreſtris, de qua aliàs agemus, quum tamen abſolute hedera dicentes, arboream ſolam antiquiores indicent, notißima eſt apud nos hedera, & in Ferrarienſi agro abundans, circa arbores, & parietes repens, quos per tempus exedit. ſi plura ſcire cupis Dioſcoridem lege, & Plinium lib. 16. capite 35. cuiuslibet generis folia, ſemina, corymbos, ſuccũ & lachrymam, quam uulgus gũmi hederæ appellat, ſerua

at ſuc

at succum nigræ ab alba, & corymbos segrega. SE. *Differt'ne ea, quæ circa parietes repit, ab ea, quæ circa arbores?* BRA. *Non quidem specie, at hæc magis arida est, quæ parietibus inhæret.* SE. *Forte magis humida, si puteo aliquo, aut cisternæ inhæreat.* BRA. *In eo certus sũ. A Gallis lierre quasi hedere, à Germanis uero eppau, ab Hispanis iedera, à Cretẽsibus uulgo chison, à Polonis bluszcz nuncupatur. tamen Poloni terrestrem hederam bluszcz polny uocant, arboream uero bluszcz dzreuni.* SE. *Cuius est qualitatis hedera?* BRA. *Galenus illam mixtæ facultatis esse dicit, calidæ inquam, frigidæ, humidæ, & siccæ, tamen simpliciter in primo ordine frigida dici debet, sicca in secũdo, licet diuersæ sint de ipsa disertationes.* SE. *Branca ursina occurrit.* BRA. *Ex similitudine quam eius folium cum anterioribus ursorum pedibus habet uulgus brãcam ursinam appellauit pulcherrima herba est, & quam architecti in columnarum basibus ornandis, aut epistylijs posuere, quæ nam sit hæc apud antiquos frequenter dubitaui, denique antiqua uasa, & columnæ in eius suspitionem me adduxere, ut acanthum esse iudicarẽ nam antiqui molli acantho pateras pingebant, & in colũnarum basibus acanthi folia sculpebant, unde suspicatus sum, quam acanthum Dioscorides, & Plinius, ac alij appellant, nostram brancam ursinam esse: nec moueor, quòd acãtha spinam significet, quoniam hæc herba spinosa quidem est, sed mollibus spinis. ideo à Virgilio mollis acanthus dicitur in Menalcæ, & Dametæ concertatione, Ecloga tertia cum inquit Dameta,*

Et nobis idem Alchimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus Acantho:

& in quarto Georgicorum libro, ubi de Sene Corycio agit

git mollis Acanthi mentionem facit, cum inquit,

Ille comam mollis iam tum tondebat Acanthi.

SE. In Acantho ambigo, an branca ursina sit, cum à Virgilio acanthus semper uirescere dicatur, nam in secundo Georgicorum libro, ubi de his loquitur, quæ quaq; terra feruntur inquit,

Quid tibi odorato referam sudantia nigro,
Balsamaq;, & baccas semper frondentis Acanthi?

BRA. Semper uiret Acanthus, & baccas fert, quæ & in branca ursina requiruntur: nam & hyeme uiret, & baccas fert. SE. Nõ possum, & ab hoc abstinere eundem authorem uoluisse croceum esse Acanthi florem, cum tamẽ croceus non sit, quod autem id uelit manifeste apparet libro Aeneidos primo, cum Ascanius munera fert, ut Didoni præsentet, hæc quæ sequuntur enumerantur.

Ferre iubet pallam signis, auroq́; rigentem,
Et cirtuntextum croceo uelamen Acantho.

adde quòd deinceps in eodem libro, hæc munera à cupidine referuntur, & non ab Ascanio, qui à Venere sublatus erat, à Virgilioq́; subscripta carmina successiue addũtur

Mirantur dona Aeneæ mirantur Iulum,
Flagrantesq́; Dei uultus, simulataq́; uerba,
Pallamq́;, & pictum croceo uelamen Acantho.

BRA. Ex his colligi non potest poëtam uoluisse Acanthi florem esse croceum, quoniam reuera croceus dici non potest, sed inquit uelamen illud esse pictum croceo Acantho is enim qui acu pinxerat, croceo colore usus erat, uel ob id dictum est, quia Acanthi folia cum ueterascunt crocea efficiuntur, aut in croceum quendã colorem tendunt, propterea à Virgilio dici poterit, Acanthum, id est brancam ursinam croceam quodammodo esse, eius folium plerisq;

locis

locis in columnarum capitulis uisitur, quæ corinthiacæ dicuntur, ob ornatum in morem corinthiorum. unde nõ deterreor, quòd præduras spinas non habeat: satis enim est, ubi flores exeunt ueluti spinas habere. in maximo honore apud antiquos fuit, & in hortis pro tegenda terra eius folijs utebantur. in omnibus autem Dioscoridis Acanthi descriptio brancæ ursinæ conuenit, nam folia multo, quàm lactucæ latiora, longioraq; habet, erucæ modo incisuris diuisa, nigrescentia, & cũ molli leuore pinguia, idem & in caule leuor, quem altitudine duorum cubitorũ erigit, craßitudine digitali, per interualla sub ipsum usq; uerticem foliolis quibusdam oblongis ueluti nucamentis aculeatis uestitum, ex quibus candidus prodit flos, semen illi est oblongum, & luteum, capitulum thyrsi figura, radices lentore molles, muccosæ, longæ, rubentesq; si brancam ursinã spectare uolueris huic descriptioni adeo quadrare cernes, ut nullus uel cæcus eam esse ambigere possit. in hortis etiam, & humentibus locis nascitur: nec te moueat Dioscorides, qui eã herpacanthũ uocari doceat, quoniam serpit: hoc enim serpere in folijs tantum, quæ prope radices sunt intelligo, nam hæ per terram extenduntur, Galli ut nos appellant, quidam uero Germani engelburtz, Poloni barscz dicunt. SE. In tuam sententiam descendo. Sisimbrium ad manus uenit. BRA. Ne diu uerbis immoremur, ea herba, quam nos mentam Florentinam appellamus apud Dioscoridem, & antiquos sisimbriũ est, folia enim habet mentæ similia, & magis odoratum est, & nisi excolatur in Nepetam aspectu degenerat, sed in mentam odore, & id plerunque expertus sum, Florentinam mentam terræ absque cultura derelictam in Nepetæ aspectum trãsiuisse. SE. Multi sunt, qui pro sisimbrio ser

pillum



pillum accipiunt. BRA. *Hi summe aberrant, quia serpillum altera species est, tamē sisimbriū ab antiquis serpillū uocatur, & hoc fuit ansa pluribus errandi, qui sisimbriū apud authores inuenientes, serpillum exponunt. in Apenino monte propè Florentiam egregie nascitur, propterea mentam Florentinam appellauimus, quamuis alij ob odorem, gentilem mentam, id est nobilē dicere maluerint. Hi denique falluntur, qui centonicum, & qui absynthium ponticum esse arbitrantur. Germani, & hoc miuz nomine mentæ comprehendunt, Poloni liebrotka uocant, calidū est, & siccum ordine tertio.* SE. *Ad hæc ceruina lingua se offert.* BRA. *De hac supra mentionem fecimus, tamē nōnulla alia referre nō grauabimur, multas herbas nouimus hoc nomine lingua ceruina insignitas, abs te scire cupio quā colligere statueris.* SE. *Quam scolopendriū appellamus* BRA. *Apud antiquos phyllitis est, non scolopendrium, de quo unū animaduertas obsecro, Dioscorides inquit modo sex, modo septem folia habere, at in una planta nonnunquam centum folia inuenies, uerum si extirpabis uarias plantas esse percipies, & nūquam septenarium numerum excedere: quod Serapio in suo Scolopēdrio animaduertens inquit, & eius compositio est tredecim pedum, quo loco pinguiuscule errauit interpres, nam interpretari debuit, & eius cōpositionem, id est quācunque plātam habere sex aut septem folia, interpres uero sex, & septem simul colligens tredecim interpretatus est. quam ob rem antiquorum lingua ceruina phyllitis est, licet excellēs Leonicenus in epistola ad Hermolaum linguam ceruinam apud antiquos hæmionitidem esse, nō autem scolopendrium, à quo dissentire (licet præceptore optimo) sponte uolumus, quū res ipsa alioqui demonstret,*

&



& si modica sit in forma differẽtia, constat autem Theodorum Gazam in Theophrasto pro scolopẽdrio linguam ceruinam interpretari, ideo apud ipsum lingua ceruina non est, nunc uocatum scolopendrium, quod antiquorum phyllitis est, sed est uerum scolopendrium, à nobis paßim Arabes imitantibus citrach appellatum. quam ob rem alia res est lingua ceruina tua, quæ antiquorum phyllitis est, & uulgare scolopendrium, à lingua ceruina Theodori, quæ est uerum scolopendrium. SE. Rem optime accepi, duæ sunt linguæ ceruinæ, phyllitis, & uerum scolopẽdrium. BRA. Ita est, sed phyllitis est pharmacopolarũ lingua ceruina, & cum re similitudinem habet. Scolopendrium uero est Theodori solum lingua ceruina. quippe nullus author, præter Theodorum uerum scolopendrium linguam ceruinam interpretatus est: id forte fecit, ut latinam linguam ampliaret, inepte tamen, quoniam uerum scolopendrium à nobis citrach uocatum nullam cum cerui lingua similitudinem habet, hanc herbam Germani sua lingua airszung, id est cerui linguam, & ipsi uocant. Poloni pszic cazic zxi frigida, & sicca est in secundo ordine, nonnulla à Ruellio experimenta, tam uana de hac herba referuntur, ut referre non sit opus. SE. Omnia ad libellam accepi, sed primula ueris occurrit. BRA. Florentini hac herba in acetarijs utuntur, & apud nos inchoante uere, quum omnes herbæ tenellæ sunt, edendo est. uerum tanta herbarum copia Ferrariense sõlum exuberat, ut in despectu sit. herba est paruula, cuius folia supra terram extẽduntur, & florem paruum fert, album, camomilli flori similem. Florũ uero extremitates phœniceum colorem, & ualde floridum imitãtur, de qua Plinius lib. 21. cap. 11. inquit, florum prima uer nunciantium uiola alba,

tepidiori=

tepidioribus uero locis etiam hyeme emicat. nos in Ferrariensi solo, quum mitiores hyemes sunt per totum annum uidimus. Hæc est quam uos pharmacopolæ pro primula ueris accipitis, à nostris mulieribus petrella dicta, ab alijs herba sancti Petri. Recentes etiam herbam paralysis, & alij Margaritam uocant, adeo nomina secundum placitum imponuntur: sed hi qui illam passarellam dicũt in altera herba decepti summopere aberrant: quum autẽ breui purpurea uiola post albam sequatur, nonnulli purpuream primulã ueris esse falsò contenderunt, nã ut præcitato loco inquit Plinius post albam ea sequitur, quæ appellatur purpurea, proxime flammea, quæ phlox uocatur, & primula ueris alba est. nos hoc obseruantes eodẽ ferè tempore & albam, & purpureã florescere percepimus, fortè temporis breuitate decepti, qua una alterã sequitur. quicquid tamen sit calidam, & siccam ordine secundo herbam esse constat, propterea iliacis doloribus, et uterinis mire succurrit, à Gallis coucõ, à Germanis schlusselplum uocatur, nescio unde hoc nomen sumpserit: sua enim lingua flores clauium significat, fortè ob similitudinem, quam flos ille cum bulla claui habet, nomen accepit à Polonis biala lebyona, à Neapolitanis primo fiore uocatur. SE. Folium indum sequitur. BRA. Nõnulli æque nunc sicuti ante Dioscoridis tempora hoc folium, Nardi indici folium esse arbitrantur, sed falso, quoniam folium est de se, quod ab antiquis in summo honore habebatur, malabathrum dictum, à quo & unguẽtum foliatum apud mulieres Romanas in summo honore fuit, nonnulli etiam lenticulam paludum Indiæ putarunt, sed decepti, quoniã Dioscorides folium esse tradit, quod paludibus innatat, sicut lenticula, id est res ea, quam uulgo zen appellamus,

tamen non dicit esse lenticulam, sed folium sine radice, ut lenticula innatans, diciturq́; folium per excellētiam, quia nullum foliū odore, & perfectione (dempto Nardi folio, quod tamen paruum est) ipsum excedit. SE. Nos malabathri folia habemus, & Venetijs paßim uendũtur. BRA. Dicis'ne illa oblonga, odorata, gustu acria, feruidaq́; ueluti caryophyllon? SE. Illa inquam. BRA. Caryophylli folia sunt, non malabathri, quæ cum nuce similitudinem habent. Venetijs aliud folium habetur, eodem nomine appellatum, quod Alexandria Aegypti aduehunt folijs lauri, arbuti'ue simile, Arabes tembul appellant, & Hermolaus ita etiam à Mauritanis appellari censet. SE. Optarem summopere, ut uerum malabathrũ mihi pingeres. BRA. Nullus author est, qui illum uere pingat: Plinius tamen libro.12.cap.27. de duplici malabathro uerba facit, unum est cuiusdam arboris folium in Syria, folium inquam conuolutum, & aridum colorem habens, ex quo oleum ad unguenta exprimitur, est aliud folium de quo Dioscorides, & eodem loco Plinius, quod in Indiæ paludibus, modo lenticulæ innatat, sine radice, hæc duo malabathri genera Venetijs mihi ostensa fuere, sed an illa essent ambigebam, quoniam nullus author est (quē nouerim) qui malabathrum uere pingat. Dioscorides dicit esse in albo nigricans, & contumax frangi, solidum, integrumq́;, odore qui nares feriat, & qui summoto quoque eo persistat, sapor eius sub lingua nardo similis esse debet, scaberq́;, neque ullo salis gustu. Plinius uero in aliquibus à Dioscoride dissentit, nam absolute nigricans, non autem in albo nigricans, ut Dioscorides dicit, quippe candidum minus probatur. Oribasius autem dicit subalbidum in ipsa nigredine, quod etiam Dioscorides, nec ullo salis gustu inquit:

Plinius econtrario quodam salis gustu scribit, itaque in Dioscoride legendum censeo, quoniã hæc particula absq; ratione posita esset, quia nullus gustum salis habere dubitat nisi ex eo ambigi posse dicas, quia in paludibus nascatur, tamen Oribasius & ipse in gustu salsedine carere dicit, nos autem potius probamus aliquo salis gustu legendum, additq; Plinius esse croco odoratius, & eius odorẽ sufferuefacti in uino omnes antecellere. SE. Eius effigiẽ potius uidere optabam. BRA. Id exprimere nõ possum, quod nec legi, nec oculis uidi. SE. Cuius facultatis est malabathri folium? BRA. Galenus 7. de simp. medicamẽtorum facultatibus libro, cum spica nardi simillimam facultatem habere dicit. SE. Ergo in primo ordine calefaciet, & in secundo exiccabit iã completo. BRA. Ita esse constat à Polonis list indiyski uocatur. SE. De herbis ergo expeditum est. BRA. Tamen infinitæ aliæ herbæ ab authoribus scriptæ sunt. SE. Eas tãtum exaraui, quibus in officinis utimur. BRA. Tam paucis utimini? SE. His solum nisi aliqua mente exciderit. BRA. Res medica breuis est, si hæ tantum in usu sint, & nunquam medici alijs utantur, quæ à summis uiris Dioscoride, Plinio, Galeno, Paulo, Aëtioq; pictæ sunt, immo nonnullæ priuatim magis aliquibus ægritudinibus succurrunt, quàm prædictæ. dic autem aliá ne reliquisti, quæ collecturus sis? SE. Plurima. BRA. Quæ. SE. Semina, fructus, radices. BRA. Non ne ista in herbis collegisti? SE. Non omnia, plura enim reliquimus. BRA. Quid sequitur in tua charta? SE. Semina statim describũtur. BRA. Habent ne cum herbis eundem ordinem? SE. Forte inordinatiori ordine digeruntur, sed colligentibus nihil refert. BRA. Nihil quidem refert, tamen pulchrum est ordine quodam incedere.

dere. SE. *At inordinatio ipsa ordo quidam uidetur, quia inordinationem penitus seruat.* BRA. *Quicquid sit, tua semina, aut cum ordine, aut sine ordine digesta enumerare incipias.* SEN. *Vt lubet agam, tamen oportunius erit cœnare, quoniam maiores cadunt altis de montibus umbræ, & iam rustici à labore cessarunt, & nunc summa procul uillarum culmina fumant, ubique enim cœnæ parantur, post cœnam quiescemus, hodiernum laborem remittentes, ut crastino mane tempestiuius huic negotio acrius operam dare poßimus.* HER. *Et mihi iam renes adeo calent, ut uix interulam pati liceat, omniaq́; membra, præter dentes & palatũ quietem exposcunt.* BRA. *Quis posset à tantis uiris dissentire? omnia omittantur, & resocilliandis uiribus uacemus, quisque enim nostrûm hac re summe indiget. Tugurium hoc uirentibus herbis circunseptum ingrediamur, en rusticus mappam strauit apud ipsum cœnabimus.* SE. *In hoc quidem loco cœnabimus, sed nostris dapibus, quæ adhuc in hippopera supersunt.* HER. *Iam tempus est dare membra quieti, ego supra hunc cumulum foliorum castanearum hanc noctem transigere decreui.* SE. *Commodius erit, gratiusq́; corpori lintea supra folia extendere.* BRA. *Vt lubet, hoc unum scio, nobis opus non esse cunabulo ad dormiendum.* SE. *Non indigebimus equidem, & hæc aura quæ spirat, culices abiget.* BRA. *In montibus non sunt adeo frequentes, ut in conuallibus, & locis aquosis, hic tamen nõ desunt.* HER. *Solares radij tecti rimas iam subeunt nos autem dormimus?* BRA. *Miror, quum iunior sis, & magis defatigatus, primus omnium experrectus sis.* HER. *A cunis usque aßuetus sum tempestiue surgere, immo diu uos dulci sopore pressos inspectabam, & ne euigilarem quiescebam.*

scebant. SE. *Eia surgentes operi nostro incumbamus, ubi est mea charta, in qua semina scripta sunt?* BRA. *Linteis heri uesperi tectam uidi, quippe sinu ciderat, quum tuum hoc colobiũ recingebas.* HER. *En sub capite erat.*

DE SEMINIBVS, QVAE APVD FERRARIENSES *pharmacopolas in usu sunt.*

SE. *Latum hunc campum ingrediamur, in quo magnam herbarum copiam uirescere intueor, & ferè omnes ad semina peruenisse.* BRA. *Nunc semina exarare incipias, ut diligentia tarditatem cõpensemus.* SE. *Iusquiami semen primum locum inter semina occupat.* BRA. *Tres hyoscyami species à* Dioscoride *numerantur, una flore purpureo, semine nigro, altera flore luteo, semine flauo, tertia flore, & semine albis, duæ primæ species insaniam faciunt, tertia in usu medico habetur, &* Ferrariæ *inter ruinas, & rudera crescit, eius tamen maiorem copiam habemus, quæ florem luteum habet, uerum & florem album habẽs ibi uiret, harum duarum specierum semina condas, quia ubi illa deest, cui flos albus insidet, florem luteum habentem accipimus magis, quàm quæ purpureum. at cur semina tantum seruatis?* SE. *Quia sola in usu sunt.* BRA. *Cur non immutandus usus si ab authoribus aliæ partes seruantur?* SE. Mutemus. BRA. *Tu igitur præter semina folia, & radices serua, & ex trimestris tritici farina, ac folijs pastillos facito, recentiũq; seminum succum, & foliorum parato, quamuis, & ex suis seminibus calida aqua infusa succus etiam exprimatur, folia etiam polentæ admixta in pastillos conformantur.* SE. *Hæc omnia* Ferrariæ *ex habente flores albos parabo,*

bo, quæ si defecerint, luteos habentem sumam. BRA. Facile utranque speciem habebis, quanuis copiosius in maritimis nascatur, notißima est apud nos herba, quam nostrum uulgus dentem caballinum uocat. Galli latinum nomen imitantur. Germani bylsam kraut, uel bilsensome, quod semen hyoscyami significare uidetur. at si kraut id est herbam præponãt. ita dicent kraut bilsensome. i. herba seminis hyoscyami, à Polonis bielon, à Cretẽsibus uulgo dischiamo, à Neapolitanis canechiara, à Suessanis cãchelera. ab Hispanis ueleno nuncupatur. in tertio ordine frigidus est hyoscyamus qui in usu est in tertij ordinis principio. Niger uero in tertij ordinis fine, in secundo ordine siccus est, licet Auicenna & in tertio siccum faciat, ueruntamen, & aliquam humiditatem habere nõ dubitamus. SE. Rutæ semen alterum locum habet. BRA. De ruta in herbis tractauimus. SE. Mente exciderat. Altheæ semina sequuntur, de quibus tamẽ supradictum est, & ut satis erat collegimus, semina maiora frigida sequũtur. BRA. Quot, et quæ sint numera. SE. Quatuor melonis, cucurbitæ, cucumeris, citruli. BRA. Quũ hæc maiora nuncupentur, respectu minorũ dici oportet. SE. Immo sunt quatuor semina minora frigida ad differentiam maiorũ. BRA. Numera & hæc. SE. Portulacæ, scariolæ, lactucæ, endiuiæ. BRA. Cur hæc minora illa maiora appellantur? SE. Nescio alteram causam, quàm quod illa sint magis frigida. BRA. Immo portulacæ semen, enduiæ, ac lactucæ magis frigida sunt. SE. Cur ergo ita uocantur? BRA. Id non fit ex uiribus quæ maiores in minoribus sunt, sed ex mole, & seminum magnitudine, & forte ex magnitudine rerum unde semina sumuntur: itaque à mole corporis recentes, & non uirtutis hæc semina

na maiora, & minora nuncuparunt. immo si in recentiorum libris semina frigida absolute scriptum reperies, maiora intelligere oportet, à primis autem exordiamur id est melonũ seminibus (ut tuo uerbo utar) Dioscorides, & Graeci omnes nomen habent σίκυς, quod nostri latini uertentes cucumerem dicunt, sub quo nomine non tantum eum fructum, quem uulgo cucumerem appellamus, intelligunt, sed omnia melonum genera, cucumeres, citrulos, & angurias comprehendunt. SE. Apud Graecos igitur maxima debet esse confusio. BRA. Quiete habeas, & rem noueris mire distinctam: quum fructum illum, quem nos uulgo melonem dicimus, significare uolunt, non σίκυς, id est cucumis absolute dicunt, sed σίκυς πέπων, id est cucumis pepo, uel absolute πέπων dicunt, nos autem absolute pepon. Melopepon uero pepo est in formam mali cotonei forte fortuna (ut Plinius inquit capite quinto decimonono libri) factus. absolute igitur cum cucumis dicitur, anguriam intelligere oportet, quum pepo, melonem nostrum, cum melopepo nostrum melonem in cotonei mali formam digesti, cuius pars propè semina comeditur, quoniam densior est, & non adeo aquosa, ut in pepone, propterea à Galeno in secundo de simplicium medicamentorum facultatibus egregie notatur partem intimam peponis, quae semen tangit cum in peponibus edendo non sit, in meloponibus passim ab hominibus comeditur, & quamuis nostro tempore aliqui etiam abijciant, tamen Galeni tempore omnes comedebant ablatis solum seminibus, quoniam satis densa est in melopepone propè semina caro. SE. Noster cucumis quo nomine uocatur? BRA. Et ipse cucumis dicitur cum hac adiectione citrinus, propterea multi citrulum quasi citrinum à colore,

quem

quem habet cum maturuerit, appellant. is est de quo Plinius libro decimo nono capite quinto, qui in uarias formas à Columella componitur, aquam amat, refugit oleum, & si in cannam flos ponatur, longißimi fiunt. SE. Anguriam ergo cucumin dici sentis, & nostrum cucumerem, & melonem peponem. BRA. Ita est, cucurbitam uero ab aliquibus anguriam comprehendere creditur, quia unum cucurbitæ genus rotundum est, sed Columella id falsum esse demonstrat, qui ex eiusdem cucurbitæ seminibus rotundas fieri manifeste docet, & oblongas, quippe ex collo semina oblongas, ex uentre rotundas faciunt, ideo aliud est anguria, aliud cucurbita, sed anguria sub cucumeris genere intelligitur, unde à Vergilio in Georgicis dicitur:

Cresceret in uentrem cucumis,

quod anguriæ proprium est. horum omnium semina in Ferrariensi agro ubertim inuenies, & multo efficaciora, quàm in montibus. at ex his cur tantum semina colligis? SE. Ita usus est. BRA. Succus seruari non debet, nec folia, nec cortex, tamen peponum radicem in officina, præter semina habere conueniet. Germani nomen habent psceben, quo melones significant, sed eodem ferè nomine, & citrulos, ac cucumeres intelligunt, Galli melones melons, & Hispani, ut nos dicunt. Cucumeres uero à Gallis concombres, & ab Hispanorum parte pepines uocantur, & Galli etiam citrulos, citrules appellant. at cucurbitæ à Gallis coucourges, ab Hispanis calabacas generali uocabulo, à Lusitanis aboberas, à Germanis kurbs appellantur. non desunt tamen in Italia multi præsertim Neapolitani, qui anguriam melon d'aqua nuncupant. Melones à Polonis malon, cucumeres ogurek, citruli anguris,

cucurbitæ ganya dicuntur, Cretenses autem uulgo melones peponi, cucumeres, & citrulos anguria, cucurbita colochita uocant, à Romanis uero, & Neapolitanis cucurbita cucuza nuncupatur, sed hæc aliàs, quoniam opus nõ est omnium nomina recensere. SE. Summopere optarim melonum qualitates, cucurbitarum, cucumerum, & citrulorum cognoscere. BRA. Melones, qui & pepones, & melopepones à Galeno uocantur frigidi sunt, & humidi ordine secundo, at cum melopepones minus humidi sint, quàm pepones, propterea in primo solum ordine, sed intenso humidi erunt, uerum & aliquid habent pepones caliditatis, propterea abstergendi uim habere dicuntur, & dulces sunt. Cucumer, & cucurbita in secundo ordine à recentibus frigida & humida iudicantur, quod in secundo ordine completo intelligere oportet, & cucumeres in tertio frigidos, & humidos, quoniam cucurbitarum & cucumerum frigiditas, & humiditas satis intẽsæ sunt, eorumq; humiditas crassa est, uerum & eadem est citrulorum qualitas. Nunc ad minora semina frigida transeamus. Portulacam alibi non quæras, quàm Ferrariæ, & non modo semina, sed ut supra docuimus. folia etiam seruabis. notissima herba est. De lactuca idem iudicium sit. de enduia prius dictum est. Scariolam tantum docere oportet, quum de intubo sermo hebebatur, sub eo cichoreum, & enduiam comprehendi ostendimus, & quod uocabulum Intubus enduiæ applicatum est, Cichoreum uero illi herbæ, quam uulgo radechio appellamus, & utrunque in satiuum, & agreste diuidi monuimus. herba, quam recentiores scariolam dicunt intubi species est, sed syluestris, Græci serin, nostri recentes corrupto uocabulo scariolam uocant, nam diminutiuum

seris

seris seriola est, ipsi uero corrumpẽtes, ut pleraque alia, scariolam pronuntiant, seriolam dicere uolentes, aut debẽtes, eodem modo à Gallis appellatur. lactucam uero, ut nos uocant Hispani, Galli lectus, Germani lactuc. at Endiuia, à Germanis, & Hispanis Latine profertur, à Gallis endiuie. Poloni uero lactucam salatam uocant, portulacam kurza noga, endiuiã mlecz aut uolecz, scariolam szfinymliez. Venetijs portulaca porcioli, in Creta glistrida, quasi conglutinatiua, in Hispania uerdolagas, Romæ porcachia, Neapoli porchiacha nuncupatur. pro scariola Venetijs utuntur communi endiuia, & scariolam syluestrem esse arbitrantur, quæ apud uulgus Cretensium mozocho, & Neapoli scarola uocatur. Lactucam Cretenses uulgo marcoli. Hispani lachiugas uocant, & idem met Cretensium uulgus endiuiam endiui nuncupat. SE. Cuius sunt qualitatis hæc semina, & ipse, quæ semina producũt herbæ? BRA. Lactucam Auerrois quinto collectionum libro frigidam in primo ordine esse dicit, & in paßiuis tẽperatam, & Auicenna frigidam, in secundo ordine lactucam esse fatetur, Galenus uero in sexto de simpliciũ medicamentorum facultatibus frigidam, & humidam esse dicit, humida quidem est ordine secundo, de frigiditate uero ordinem non exprimit Galenus, at inquit non esse extreme frigidam, quod intelligo non esse in quarto ordine frigidam, sed habere (ut inquit) aquæ fontanæ frigiditatẽ, unde in tertio ordine frigidam esse arbitramur, nec me mouent Auicennæ uerba, quibus inquit, eũ, qui dixit esse frigidam in tertio, iudicauit illam esse mali nutrimenti, uerum cum conficitur non est mali nutrimẽti, putamusq; in tertio ordine frigidam esse, & hoc non solum ex illa Galeni præcitata sentẽtia, qua illam fontanæ aquæ comparat,

parat, ſed & ex tertio de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus, cap. 17. ubi inquit, ſed eſt quale lactucis accidit quippe quæ moderato eſu hominem nutriãt, at ſi quis expreſſum earum ſuccum largiter hauſerit, non ſecus profecto morietur, quàm qui aut cicutam, aut papauer ſumpſerit, ſic lactuca ſi cor refrigerauit interimit, ſin coquatur alimentũ animali efficitur, ex quibus Galeni uerbis coniectura aſſequor eſſe, in tertio ordine frigidam, quoniam ſi in primo ſolũ, uel ſecundo eſſet frigida, eius ſuccus necare non poſſet, ſi in quarto eſſet ordine nullum corpori alimentum præſtaret. SE. In quo ordine erit endiuia? BRA. Sub uocabulo ſeris dictum eſt, & cichoreum, & endiuiam, & ſcariolam quaſi ſeriolam comprehendi, de omnibus ſimul id dicemus, quod Galenus octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, fatetur eſſe ſiccæ, & frigidæ temperaturæ ordine ſecundo, & ſeris domeſtica, quæ endiuia eſt magis refrigerat, quoniam eſt, in ſecundo ordine intenſo, tamen & humiditatem habet ſiccitati admixtam, propterea cum humidæ ſint hæ herbæ, & ſemina minus ſicca ſint, & cum ſiccæ ſint magis ſicca eſſe exiſtimare oportet. Recentes illi decipiuntur, qui illam in primo ordine frigidam, & humidam iudicarũt cum tamen amareſcat, neq; ex Auicennæ ſententia commoueor, qui illam in primo ſolum ordine frigidam facit, cui quinto collectionum libro conſentit Auerrois, in hoc uero Galeno potius credendum eſt, imò & ſenſui, qui ſtatim has herbas abſq; ratione ulla frigidas eſſe percipit. SE. Ad portulacam ergo deſcendamus. BRA. Galenus in tertio de alimentorum facultatibus, portulacam in tertio ordine frigidam eſſe dicit, in ſecundo humidam, & adde in fine ſecundi, quod non ab re ab Auicenna notatur. SE. Al

bi

bi & nigri papaueris ſemina occurrunt. BRA. Multa de papauere dicenda eſſent, & oſtendendum quòd recentes roſelam, uel papauer rubrum uocant, aliud ab Anemone eſſe. duo papaueris genera in ſegetibus naſcuntur, ideſt duæ herbæ, quæ in uaſculis papaueris, modo ſemina condunt. Vna eſt Anemone, de qua ſupra, altera erraticum papauer, uel papaueralis: anemone plures colores habet, erraticum papauer duos tantum, ruffum, & candidum, his autem omißis ad tua ſemina accedamus, ſemina, quæ colligitis ex ſatiuo papauere ſunt, at in re medica potiora ſunt ex ſyluestribus ſemina. quippe & ſatiuum manditur, imò Florentiæ mulieres tempore æſtatis in delitijs habent, quippe poſt prandium, & poſt cœnam uaſculũ ſatiui papaueris deglubẽtes paulatim ſemina comedunt. ex ſyluestribus autem id magis aptum eſt medicamentis, quod tertio loco à Dioſcoride ponitur oblongum uaſculum habens, ideo noſtri pharmacopolæ aberrãt, qui ea uaſcula quærunt, quæ bene rotunda ſint, quum longa efficacius medeantur, habent eiuſmodi papauera alba ſemina, & in Ferrariẽſi agro copioſe creſcunt, magis etiã, quàm in montibus efficacia, nec nobis deeſt nigrum papauer. Thebanum tamen apprime laudatur, è quo fit opiũ. duo è nigro papauere fiunt, ſuccus cum exprimitur craſſus, qui meconium dicitur, & lachryma, uel lac quũ inciditur caulis, & emanat lac, uel lachryma, quæ opium nuncupatur, hæc autem præter ſemina ad rei medicæ commodum ſeruanda, uerum & ſi apud nos nigrum papauer ſit, non tamen in tanta copia, & tale, ut ex eo opium fieri poßit, ideo & opium, & eius ſemina ex Thebano agro poſcerẽ, quamuis nos ex alijs pluribus Italiæ locis habeamus. At albi papaueris ſemina ex Ferrarienſi agro colligerem, à

Gallis

Gallis pauot dicitur, adduntq; blauc, & noier, ita à Germanis mon prædictas differentias addentibus, ab Hispanis autem dermideras uocatur, Poloni max uocant, & cũ album significare uolunt biali addunt, à Cretensium uulgo album papauer hypnon aspron, nigrum uero hypnon mauro, à Neopolitanis papagno dicitur. SE. De papaueris qualitate disseramus obsecro. BRA. Ex Galeno in septimo de simplicium medicamentorum facultatibus colligitur, satiuum esse adeo frigidum, ut somnum inducat, & hoc est nostrum uocatum album, propterea in tertio ordine frigidum erit, quamuis recentiores, & Auicenna in secundo solum ordine frigidum faciant, tamen Auerrois in tertio frigidum esse fatetur album papauer, quod ex Galeno colligi posse arbitror. ab uno tamen abstinendum nõ est, Auicennã siccũ ordine secundo fecisse papauer, quem recentes secuti sunt, Auerrois autem humidũ esse fatetur quem potius imitari uolumus, illud in secundo ordine humidum facientes. de nigro autem papauere id dicemus, non quidem in tertio esse ordine, sed in quarto refrigerãtium, ut à Galeno notatur, qui inquit mortem, plerunque inducere, & hoc humidum est ordine tertio, quodq; humidum esse oporteat, ex hoc probari potest, quia in somnũ dilationem facit, nempe frigiditas somnum quidem inducit, sed humiditas cataphoram. i. in somnum dilationem. cum uero non tantum somnus à papaueribus, sed & dilatio inducatur, propterea humida esse oportet. SE. Quibus inditijs opium ab authoribus probatur? BRA. Oribasius grauis author, qui Galenum sequitur, secundo de uirtute simplium libro in hunc modum scribit, papaueris succus, id est opiũ, optimus est spissus, & grauis odore, somnum faciens, amarus in gustu, facile soluitur in aqua, nudus

dus

dus, albus, non asper, neque thromboidis, idest neque conglomeratus in resolutione, neq; induresc it in sole positus, incensus, & ad lucernam accensus terrestrem flammam mittit, adulterant autem eum, Glaucium miscentes, aut gūmi, aut lactucæ agrestis succum, si Glaucium admixtum habet crocizat in resolutione, si autem lactucæ agrestis succus miscetur, odorem non habet similem, & asper est, quod si gummi mixtum est, sine uirtute imbecillis est, & perlucidus. SE. *Nosco in nostro opio adulteriū esse, quia plures ex supradictis conditionibus illi desunt. At ad rosarum semen ueniamus.* BRA. *Nihil aliud de hoc semine dicemus, quàm quod præcedenti die tractatū est.* SE. *Ad Amomum igitur transeamus.* BRA. *Vos semen quoddam paruum, & nigrum pro amomo uenditis, quum tamen nō sit.* SE. *Quid ergo erit amomum?* BRA. *Nūquam in Italia plantatum amomum uidi: habet enim racemos semine plenos aurum colore imitantes, uulnerat nares odore, & origani habet acrimoniā, est autem ex frutice paruo flores paruos, ut uiolæ albæ habente: & folia bryoniæ, idest uitis syluestris sunt. in Armeniā mittere oportet, in Mediam, uel in Pontum, si uerum, & probum amomum habere studeamus, unde constat amomum speciem uuæ habere, & non esse nigra illa semina, & inodora, quæ à pharmacopolis publice uenduntur, quum uero ex tribus prouincijs Dioscorides ferri dixerit, Armenia, Media, & Ponto. Pandectarius in tres species partitur, secundam speciē medicam appellans, tu uides quanto errore ducatur; qui pro loci nomine aliud nomen posuit. Miror cur nō habeatur, quum facillime ex Armenia Alexandriam Aegypti feratur, mox Venetias, nec difficile est ex Media Alexādriam ferri, aut ex Ponto in Pannoniam, & ex Pānonia*

in Italiam, deinceps ut habeatur diligenter curabo, quum Illustrißimus, & excellentißimus Ferrariæ Dux Alphonsus, sponte se curaturum promiserit, omnia simplicia, quæ Theriaces compositionem ingrediuntur haberi, inter cætera autem amomum ingreditur. nunc uero Illustrißimus Hercules secundus ardentius, quàm pater theriacam componi exoptat, nullisq; parcit impensis, ut omnia simplicia ex proprijs locis habeantur, sed misera incidimus tempora, quibus tutũ non est per maria nauigare, aut equis per totum orbem incedere. non defuere tamen qui Hierosolymitanam rosam, quam ex Hierusalem huc portant peregrini à nostris mulieribus rosam sanctæ Mariæ uocatam quamuis nullam habeat cum rosa similitudinem, amomum esse putarint, ob odorẽ, ob confertos ramos, & quia multi rami ab una radice, ut columbinos pedes imitari uideatur, propterea à Serapione pes columbinus dicitur. Putat nostrum uulgus si eiusmodi rosam domi habuerit, non posse fulmine tãgi, aut aduerso infortunio perturbari, putantq; singulis annis in festo natiuitatis ea hora, qua Christus natus est, aperiri. uerum amomum hanc rosam non esse ex hoc dubito, quia non uulnerat nares odore, tamen recentem satis habui, nec habet origani acrimoniam, nec folia sunt Bryoniæ similia, præterea amomum ueluti uua est, quod & Plinius etiam cap. 13. duodecimi libri testatur; quamuis inter Plinium, & Dioscoridem quædam uideatur esse differentia, tamen nõ spectanda, unum est uos amomo carere, quia in sapore, odore, & colore, altera res est uestrum amomum, & altera etiam sanctæ Mariæ rosa, curabimus Illustrißimi principis nostri opera Ferrariam afferri. SE. Amomi qualitates edoceas. BRA. Galenus in sexto de simplicium medicamentorum facultatibus

bus,amomum ſimilem habere facultatem Acoro oſtendit tamen acorum ſiccius eſſe fatetur, amomum uero magis concoquit. SE. Amomum ergo in tertio erit ordine calidum,& ſiccum. BRA. Cum ſit acoro minus ſiccum,in ſecundo tantum ordine ſiccum, uel in ſecundo intenſo eſſe dicemus,at Auicenna calidum, & ſiccum in ſecundo eſſe teſtatur,nos uero Galeno potius credimus,& experientiæ,quæ oſtendit intenſam eſſe amomi caliditatem. ſemen quoddam ex Piceno Venetias conferunt ſeplaſiarij,quod pro amomo uendunt. SE. Sinapis ſemen occurrit. BRA. Notiſsimum eſt ſemen,& notiſsima herba,in uarijs Italiæ locis naſcitur,ſed feruentiſsimum in Apulia, quod aliqui in Ferrarienſi agro ſeminarunt, ineptiori feruore ortum eſt,herba in pultarijs condiendis apta, ſemen ad uarios intinctus accommodatur,quæ ſinapia, & ſinapiſmi dicuntur,quorum in Italia maximus uſus,& Ferrarienſe ſinapium præ cæteris collaudari cœpit, quū prius Vercellēſe palmam ferret,apud Gallos acerrimum fit,ut lachrymas in edendo moueat,decipiūtur,qui putarunt inter ſemina minimum eſſe iſtud,propterea à Soſpitatore noſtro Chriſto dictum eſſe,ſi quis tantam fidem habuerit,ut granum ſinapis,ut oſtendat modicam fidem mira facere, ſed Chriſtus noſter potius in comparationem granū illud accepit ueluti omnibus notiſsimum:conſtat enim plura ſemina multo minora eſſe granis ſinapis. in hoc monte,arenti illa parte colligas,ubi maiorē acrimoniam ſemina habebunt,& magis tentabit mentem, quare cætera excellere Pythagoras teſtatur,à Gallis ſaneue,à Germanis ſenff ab Hiſpanis moſtazza,à Polonis gorczicza, ab alijs gorczuza,à Venetis ſenauro,à Romanis ſinapa nūcupatur, adeo notum eſt,ut alia declaratione nō indigeat. SE. De

eius

eius qualitate disserere ne pigeat. BRA. Miram uideo in recentioribus fatuitatem, inter quos nonnulli absque gustu, & olfatu sinapi calidum in primo ordine, & siccum in secundo esse putant, ac si primo statim sensu nõ cognoscatur esse intense calidũ, imò & mordicare, & exurere, sed mirum est, cum Auicennam sequantur, illum non uiderint in secundo libro, qui usque ad quartum ordinem calidum esse dicit, itaq; esse constat, quoniam exulcerat sinapi humanæ carni applicatum, in sinapismo uocato emplastro confectum, at cum nonnulli ceruicosi dixerint esse acetum, quod in sinapismo mixtum est, propterea hi masticent (si possunt) sinapi, & supra brachium, uel coxam ita masticatum per aliquod temporis spactum imponant exulcerare experientur, & exurere, nempe in his rebus experimentis standum est, unde dicimus esse in quarto ordine calidum, & siccum, non tamen intenso, quoniam uenenum esset, sed remisso, hinc Galenus primo de alimentorum facultatibus cuidam, qui circa os uentriculi multam habebat pituitam iussit, ut cum sinapi betã, & porrum sumeret, itaque à pituita leuatus est, quam incisam per aluum eiecit, & in secundo libro, ubi de beta agit in iecoris obstructione malua utitur cum sinapi ad aperiendum, in sexto quoque de sanitate tuenda post dimidias libri partes illos reprehendit, qui in omni capitis dolore medicamento ex sinapi utebantur, nẽpe in calidis doloribus plurimum obest, adde Galenum in principio tertij libri de temperamentis de his disserere, quæ actu uel potentia calida sunt, & inter calida in tertio, & quarto ordine sinapi enumerat. at sinapi exulcerare in eodem libro testatur, ubi quærit cur sinapi exulceret extrinsece impositum, intrinsece uero non exulceret, quæ uero exulcerare

apta sunt in quarto sunt ordine calefacientium, & deinceps sinapi calidum esse testatur ut cibus, & ut medicamentum. SE. Id summa calidum est, & siccum ordine quarto. BRA. Ita constat. SE. Nasturtij semina sequuntur. BRA. Cardamon, ut Græci, non cartamum, ut multi recentes decepti sunt appellatur, altera enim herba est cartamum, à naribus, quas torquere, et ringere facit, quũ manditur. apud latinos nomen accepit nasturtium, quasi torquens nares. notissima herba, nos uulgo agretto ab acritudine saporis (ut arbitror) uocamus. quum uero comedentes ferè euigilet, propterea ad inertes dicitur ede nasturtium. Satiuum, & syluestre reperitur, & satiuum duplex album & nigrũ. eadem uis omnibus Dioscoride teste, syluestre tamen, & montanum in calefaciendo efficacius, at Dioscorides non magnifacit quo loco colligatur, mihi autem magis placet ex montibus petendum. in usu medico semina tantum sunt, folia minime, quæ & si ad aliquid etiam ualeant, tamen (ut Galenus libro de simplicium medicamentorum facultatibus inquit) uires habent quum uiridia sunt, exiccata enim illas amittunt, licet nõ penitus. Hispani marayes aliqua Hispaniæ parte, Lusitani agrones, alij masturz, Germani uero broncres nasturtium ex proprietate, quam habet uocant, & Poloni rzezucha, à Romanis allegretti, à Neapolitanis nastruzo, à Suessanis torchinaso nuncupatur. SE. De eius qualitatibus nõnihil disseramus. BRA. Auerrois in ordine quarto calidum, & siccum esse censet, ut sinapi. Auicenna, quem recentiores omnes secuti sunt, in ordine tertio. si Galenum consideremus. 7. de simplicium medicamentorũ facultatibus libro calidum esse ordine quarto dicemus, nempe caustica facultate insignitur, ut napy, & excalfa

cit sicuti napi, napi uero ordine quarto calidum est, ut 8. de simpl. medicamẽtorum facultatibus testatur Galenus, & in eodem ordine siccum, herba uero in his qualitatibus remissa est, immo dum uirescit aliquid habet aqueæ humiditatis, unde nonnulli ea cum pane obsonij loco uescuntur. SE. Vrticæ semina post nasturtium habentur. BRA. Ab urendo nomen accepit urtica, reperitur magis syluestris, & minus, mas, & fœmina, sed eædem uires omnibus insunt, in arentibus locis, & montanis efficacior est, sed præter semina, folia etiam seruabis, ad plures medicos usus cõmoda. adeo nota herba, ut à culo etiam (uulgato Ferrariæ prouerbio) cognoscatur, eius species distinguit Plinius capite decimoquinto. 21. libri eas proprijs nominibus uocans, ut cania, herculeana, ortigas ab Hispanis, à Gallis ortie à Germanis nessel, & nesselen, à Polonis poursvuye, ab alijs pourziuaa, à Cretensibus uulgo acuida uocatur. Recentes calidam & siccam esse in tertio ordine iudicant. Auicenna uero illam in tertij ordinis principio calidam dicit, & in secundo siccam, quod & ex Galeno colligi potest sexto de simplicium medicamentorum facultatibus qui inquit, urticam non multum calefacere, sed esse tenuium partium: testimonio est crassorum, uiscosorumq; humorum ex pectore pulmoneq; eductio, immo infert non habere tãtum caliditatis, ut iã mordicet. SE. Immo non solum mordicare uidetur uerum et urere, propterea & ab urendo dicta est urtica. BRA. Auerrois quinto collectionum egregie notat id solum habere in superficie, unde & secundum Galeni sententiam satis erit illam in secundo ordine intenso calidam ponere, & in medio secundi siccam, quoniam nonnihil habet humiditatis cum flatuosa sit, ueruntamen ò diligentissime lector

lector tu ipse probè considerato, an in tertio ordine calida sit ex ipsa rei natura, & ex his quæ agit. SE. Lini semina præ manibus sunt. BRA. Omnibus notißimum est linum, ita etiam à Græcis appellatum, quamuis nonnulli linum agreste nuncupent, non quia contra satiuum distinguatur, sed quia in agris ad ipsius differentiam, quando filari aptum est, semina in Ferrariensi agro medicæ rei aptißima sunt, & in summa copia habentur, ideo non est opus in montibus quærere, à Gallis linum lin, & ab Hispanis ut nos lino, à Germanis lein, uel lin semen, aut flach appellatur, non est autem opus hic lini genera edocere, nec quid linum sit à Plinio asbestinum appellatum libro 19. quòd si in ignem proijciatur non uritur, & mappæ ex eo factæ igne non aqua lauantur, suspicor ego ex lapide quodã esse, qui amyanthus dicitur, hic (ut Dioscorides quinto libro inquit) in Cypro nascitur, similis alumini schiso i. de pluma à nobis uocato ex eo theatris uela texuntur. hæc autem in ignem coniecta, flamantur quidem omnino, sed splendescunt magis exempta, & nihil igni deperdunt, nos hunc lapidẽ habuimus, habemusq́; nunc, & filari posse certum est, multi ex alumine schiso (sed incassum) conati sunt linea in hunc finem parare. non defuere tamen, qui ex salamandræ cortice similes mappas, quæ comburi non possunt, factas putarẽt, sed falso, quoniam salamandram comburi magno meo periculo uidi, ferè enim eius sanies in os prosilijt, quanquam non putamus adeo uenenosum animal esse, ut uulgus, & recentes multi arbitrantur. SE. Cur iudicas tu linum asbestinum lapidem amyanthum esse, cum nusquam apud aliquẽ authorem fide dignum id scriptum inueniatur? BRA. Cũ neminem audiuerim, aut nouerim qui id linum uiderit in

suspitionem ueni, ne esset ille lapis è quo uidimus factam mapulam, & suspicatus sim à Plinio linum uocatū, quoniam filari potest, hæc autem suspicio nihil certi asserit, sed omnibus hoc considerandum proponit. SE. *Ad linum redeuntes cuius est qualitatis?* BRA. *Galenus septimo de simplicium med. facultatibus illud in primo ordine calidum, & in paßiuis qualitatibus temperatum facit, tamen humiditatem quandam habet recrementosam, qua flatuosum est eius semen. quum autem lini mētio inciderit de linosa herba aliquid loqui conuenit. uel linaria, ita enim appellari solet, sed frequentißimum est nomen linaria minus frequens linosa, notißima est apud nos herba, folia lini folijs similia adeo, ut à multis syluestre linum putetur, nunc prætermitto quòd à recentibus esulæ comparetur, hoc dempto, quòd esula lac habet, unde carmen quoddam sibi finxere.*

Esula lactescit, sine lacte linaria crescit,

an uero ea sit esula, cui linariam comparant alio loco disputare decreuimus. SE. *Reperitur ne apud antiquos linaria?* BRA. *Suspicor an illa sit, quam Dioscorides, & Plinius osyrim uocant, nam surculus niger ramulos tenues, lentosq; fert, & ijs folia terna, & quaterna, modo quina, interim & sena ceu lini, nigra initio, dein colore mutato subrubra, unde & Plinius ramulos nigros, & folia nigra habere dicit, semen quoque primo nigrum, post rubescens, nonnulla tamen me deterruere, ut potius suspicer, quàm putem linariam osyrim esse, à quibusdam Germanis linaria uuldflachs dicitur, ab alijs krotenflachs.* SE. *Fœnugræcum ergo quæramus.* BRA. *Nec lōge aberit nostris in partibus fœnugræcū, à Plinio silicia, à Varrone silicula, à Theophrasto buceras appellatum, notißi-*

ma

ma herba, et notissima semina in usu medico quotidie frequentia, à Gallis senegre, ab Hispanis alfolses, à Polonis sengrin fœnugræcum dicitur, ab Auicenna ponitur calidum in fine primi, siccum in primo, ab Auerroi calidum in secundo, siccum in primo, qui à Galeno accepit. 8. de simp. med. facultatibus, tamen non est magna differentia, quoniam in fine primi ordinis caliditas parum distat à caliditate in initio secundi, quamuis & partem aliquam humidam habeat, ac crassam. SE. Caulium semina colligamus. BRA. Heri satis superq́; collegisti. SE. Basiliconis caryophyllati semina habeamus. BRA. Et hæc etiam aceruauit herbarius, quod ozimum appellari monuimus. SE. Frumentum, hordeum, miliumq́; seruemus. BRA. Notissima semina quæris, quæ in quotidiano usu habentur, frumentum, & far uocabula communia sunt omnibus ferè spicam habentibus, tamen uocabulum far uni speciei attribuitur, quam eodem nomine uocamus eodem modo frumentum tritico, hæc sunt in nostra inclyta urbe Ferraria adeo exuberantia, ut quandoque ita uili precio uendantur, ut nihil ferè ualeant, tantum Ferrariẽsis ager triticea messe abundat. milium pariter in cẽtuplo augetur, ut semel ex uno grano in Bõdonij conuallibus sexaginta ramulos procreatos uiderim, sed in hordeo ambiguitas est, quippe nõnulli antiquorum hordeũ alteram rẽ esse à nostro, nunc uocato hordeo, quod in quotidiano usu est, putarunt, quos hallucinatos esse arbitror, quoniam & in folijs, & in figura seminis, & in uiribus nostrum, & antiquorum hordeum conueniunt. id tamen præmonere uolo, me quandoque Venetijs hordeum ex Græcia allatum quæsiuisse, inueniq́; grana cum nostro eadem, sed maiora, & magis alba, non tamen adeo excellentia, ut diuersum

esse uideretur, quamobrem nostrum hordeum seruarem, quod ab antiquo nullo modo differt, hoc enim esse maius, & magis album non tollit, quin hordeum sit, at maiora grana, quæ haberi poßint, & candidiora seruarem, nam a Dioscoride, candore, & munditia probatur in Ferrariensi agro, & candidum & ualde mundum habetur. Triticum uero probatur, quod in luteum colorem uergat. Galli ut nos triticum forumant. Hispani trigo, Germani vveiss, Poloni zboze, uel zitho. Cretenses uulgo stari. Romani grano appellant, à Galeno octauo de simp. med. facultatibus, calidum in primo ordine esse dicitur, & temperatum in paßiuis. At hordeū à Germanis gerst, ab Hispanis zauada, à Gallis orge, à Polonis yanczmyen, à Cretensibus chrithari dicitur. Milium uero Hispani millo, Galli mil, Germani hirs, Cretenses uulgo chechri, Poloni prosso uocant. SE. De hordei, & milij qualitatibus quid sentis? BRA. Hordeum in primo ordine calefacere, & exiccare, & Auicenna & reliqui Arabes, ac recentiores omnes una consentiunt, qui à Galeno 7. de simp. med. facultatibus accepere, tamen cum eius usus in uehementißimis sit febribus, in quibus humiditate indigemus, propterea nostris in commentarijs, super primum de ratione uictus in morbis acutis Hippocratis librum sectione. 18. quoniam humidum sit ostendimus. Milium quoque frigidum, & siccum esse nemo dubitat, & Galenus. 7. de simp. medic. facultatibus in primo ordine refrigerare dicit, in secundo uero intenso, uel in tertio remisse exiccare, at una est in Galeno contradictio, quippe qui in commentarijs quarti libri de ratione uictus in acutis sectione 113. inquit siccat autem in edulio milium quo refrigerat modo, uerum si eodem modo siccat, quo refrigerat in primo

mo solũ ordine exiccabit.nos hoc modo respõdendũ arbitramur Galenum non intelligere eundem ordinem siccitatis habere,qualem habet frigiditatis , sed quantitatem solam specificare intendit,& non qualitatis ordinẽ. SE. Coriandri semina occurrunt. BRA. Coriãdrum adeo nota,& triuialis herba est,ut longa dissertatione non indigeat.quod corianum etiam nuncupatur , non modo eius semina,sed etiam folia in officinis habere cõuenit,& quũ frigiditate ualeat secundum Dioscoridem , ideo in frigidioribus locis collectum,efficaciores uires habebit, hanc igitur partem boreæ subiectã petamus,in qua rustici seminarunt,quanquam & Ferrariæ proueniat uerum cultu indiget,quia syluestre coriandrum nũquam inuenitur. SE. Alij ergo à Dioscoride coriandrum frigidum esse nõ censent? BRA. Imo Galenus 7.de simp.med.facultatibus libro ex oppositis facultatibus compositum esse fatetur, & contra Dioscoridis sententiam calidum esse probat. SE. Quid tu hac in re sentis? BRA. Quomodo à Galeno dissentire possum?at partium diuersitas in causa fuit, ut diuersi essent in huius seminis qualitate authores.nempe Auerrois quinto collectionum suarum calidum in primo ordine esse dicit. Auicenna uero in primis illud frigidum facit in fine primi ordinis usque ad secundũ,& siccum in secundo,deinceps fatetur siccum esse,& declinare ad paruam quandam caliditatem. Nonnulli imaginati sunt frigidum esse in fine primi,& siccum in secũdo, corticem uero extrinsecum paruam habẽt caliditatem, propterea in acetum infunditur,ut caliditas illa auferatur. SE. A te peto,quid sentias. BRA. Vbi rationes desunt euidentes,quæ oppositum probent,nunquã à Galeno dissentiendum arbitramur. SE. Semen mirabile est,quod ca

piti, & uẽtriculo magnopere ſuccurrit. BRA. Miror ego cum recentiores medici eo frequenter utantur, quum (ut inquit Dioſcorides) mẽtem tentet, præſertim ſi copioſius ſumatur, & in frequenti uſu ſit, immo ſexto libro, inter uenenata cõnumerat, quamobrem eius uſus adeo frequẽs eſſe non debet. SE. Nos illud præparamus. BRA. Abs te peto nunquid ea præparatio faciat ipſum non eſſe coriandrum, an adhuc coriandrum ſit, ſi adhuc coriandrum proprietates coriandri habere opus eſt, ſi coriandrum nõ ſit coriandrum (ut putant) ſuis ægris non exhibebũt. SE. Malitia, quam habet, corrigitur, & adhuc coriandrũ eſt.

BRA. Ideo & adhuc illam qualitatem participat, quam à propria natura habet, & ſi minus intenſa dici poßit, propter hæc coriandri uſus infrequẽs ſit, præſertim quũ Dioſcorides ut plurimũ per exteriora eo utatur, & eius uſum caueri iubeat, idem Galenus, & Paulus Aegineta cenſent, mirum uero cur à noſtris medicis pro capite ut plurimum exhibeatur, tamen capiti infeſtißimum eſt, quum autem uires habeat quodammodo ſtipticas, & amarum ſit propterea uentriculo prodeſt. Ferrarienſe etiam ſolum coriandrum copioſe fert, quãuis nullus ſit, uel modicus ſeminandi uſus. Germani latinum nomen imitantur coriander proferentes, nam apud ipſos non extat, Galli coreandres. Hiſpani culatro, alij culandro, Poloni ut Germani coriander, alij polſkipierz, Cretenſes uulgo coriandro, Romani pitartima uocant. SE. Lupinum ſequitur.

BRA. Notißimum ſemen, neſcio an inter legumina numerẽ, triſtes lupinos Vergilius cecinit. i. amaros, ut Seruius interpretatur, noſtræ mulieres aqua maceratum, mitius reddunt ut mandi poßit, lupinum uentriculum corroborat, at mulieres maceratum inepta hora ſumũt, quia

ſtatim

statim à cibo. SE. Quomodo uentriculum corroborat lupinus si non adstringit, nempe ab authoribus illa solum uentriculum corroborare dicuntur, quæ adstringentia sunt. BRA. Immo & lupinus parũper adstringit, & amaritudinem habet. SEN. Nullus de adstrictione mentionem facit. BRA. Optares ab omnibus omnia dici, tunc autem aliquem posteritati scribere non esset opus, si omnia à præcedentibus scriptis mandata essent. SE. Galenus in primo de alimentorum facultatibus oppositum sequi uidetur, nam dicit proinde consentaneum est lupinum, nec deiectioni, nec alui fluentis retentioni, ut adstringentia appositum esse. BRA. De macerato lupino uerba facit, quem ἄποιον esse dicit, id est qualitatis expertem, uel insipidum. tunc ratione aquæ, quam mixtam habet adstringens non uidetur, sed uim illam penitus nõ amittit, quamuis amaritudo amittatur, & non sentiatur adstrictio, ob quod à Galeno dicitur, neque adstringere, neque deijcere facere, et quod stipticus sit lupinus ex Auicēna sumi potest, secundo canone, cuius authoritas spernenda non est: ubi alij de re aliqua illo probatiores non loquuntur, uel proprietatem non exprimunt, & nulla adsit in oppositum ratio, immo potius ratio illi faueat, adde Galenum lentes adstringentes fecisse, tamen in libro de ratione uictus attenuante lupinos similes lentibus esse dicit, nisi quod minus siccant, nec dicere opus est lentibus solum comparare in eo quod succum crassum generent, quoniam in omnibus intelligit, & in uno differentiam ponit, quod minus siccant lupini, & in quarto de ratione uictus in acutis sectione. 96. cum dixerit omnia legumina esse flatuosa, & lentem adstringere, deinceps de lupino agens inquit lupinus inter hæc minime mala habet, ut no

tet

tet mala, quæ in præcedentibus sunt leguminibus, & in lẽte adstrictio minus esse in lupino, ex quo facile colligitur lupinum adstringere, uerum quoniam nonnulli intelligebant lupinum nõ habere illa mala, propterea Galenus manifeste ostẽdit intelligi oportere, minus habere illa, mala tamen habere, quoniam inquit ἥκιστα, id est minime distingui contra μάλιστα, id est maxime, adde Dioscoridẽ, tradidisse lupinũ multis diebus aqua maceratum cibi auiditatem facere, stomachoq; fastidiũ detrahere, quæ manifeste ostendunt uentriculum lupino roborari, & si quis dicat in lupino nullam esse adstrictionem, neque sentiri, si mandatur priusquam maceratum sit, is sine sensu est. SE. *Quæ sunt lupini qualitates?* BRA. *Lupini qualitates Galenus non exprimit, Auicẽna calidum in primo esse dicit, & in secundo siccũ, quem recentiores secuti sunt, at Auerrois quinto collectionum suarum libro, lupinum calidum, & siccum esse in principio tertij ordinis, uel in fine secundi facit. nos profecto in secundo calidum affirmamus, quoniam absque ratione, sed solo sensu calidum esse deprehenditur. intelligimus uero lupinum non maceratum aqua, quoniam maceratum humidum esse censemus, & in primo ordine calidum, uel etiam temperatum, & ἄποιον, id est qualitatum expers.* SE. *Cum lupinum nõ adstringere dicebam de macerato intelligebam, & nõ de arido.* BRA. *At nos de arido intelligimus quod adstringit, & uentriculum roborat, tamen & maceratum nonihil seruat huius affectus, licet modicum id sit.* SE. *Equidẽ emplasticum est, sed non adstringens.* BRA. *De te miror, cui nugari in promptu sit planè assero, & maceratum lupinum aliquid seruare ex his quæ in arido sunt, addoq; esse emplasticum (ut ita nunc dicam) genus quoddam ad-*

strictionis

-strictionis supponere: arbitror te circa alia occupatum non esse, qui nostra dicteria stulte perquiris: medicos illos imitari uideris, qui cum nec ægros habeant, quos curent, nec publicis lectionibus incũbant, nihil aliud agũt, quàm quærere, si quis sit, quem uel falso, uel uere accusare possint, & calumniari. Satiuum. & syluestre inuenitur, sed æqualibus uiribus, solum Ferrariense lupinum apte producit, in montibus tamẽ, atque siccioribus locis efficacior, curam non expetit, Hyppolitum Turcum optimæ indolis infantem, magnifici Alberti filium, ab ingenti uermium copia solo lupinorum puluere liberaui. à Gallis lupinis, ab Hispanis tramuzes, à Germanis feigbon appellatur, unde uero Germani suum nomẽ sumpserint ignoro, quippe idem significat, quod fabæ ficuum. SE. *Cannabis semina offeruntur.* BRA. *Species duas habet, syluestrem, & satiuam ex ambabus semina habere studeas: ex syluestri autem speciatim radices, in Bononiensi agro mira Cãnabis fertilitas, & præsertim in Illustrißimi Ducis nostri Castro, quod centum appellatur à centonibus forte dictũ qui etiam ex uarijs cannabinis partibus fiunt. Venetorũ Senatus huius Castri uiris immunitates plurimas condonauit, si Venetias cannabin aduehérent. quippe nullum aptius ad conficiendos rudentes inuenitur. de cannabi sinem fecissem, quoniam opus non est res tam notas diu pingere, nisi in mentem uenisset, Gallinas hoc semine pastas per totam hyemem oua parere, quod & urticæ semen facere certum est. ab Hispanis, qui Lusitaniam inhabitant lino alcanabe, ab alijs cannamo, & eodem modo, à Neapolitanis, à Cretensibus uulgo cannabari, à Polonis konopij, ab alijs coenopia, à Germanis hanf, à Gallis chauenix appellatur.* SE. *Cuius est qualitatis?* BRA. *solus Serapio*

ex

ex sententia Mesuai dicit calidum esse, & siccum ordine tertio, Galenus uotat adeo exiccare, ut genitale semẽ exhauriat, propterea in quarto ordine siccum erit. SE. Cicutæ semina consequuntur. BRA. Frequentißima habetur Ferrariæ cicuta, & efficacißima, ut quæ sues plerunque, & anseres interficiat. non tantum semina, sed & succum e cacuminibus, antequam semina obarescant, seruabis. uinum meratius sanat si quis cicutam comederit. ne alibi, quàm Ferrariæ cicutam quæras licet Dioscorides Cretensem magnopere laudet, post Megaricam, & Atticam. fistulæ ex ipsa fiunt, quæ cicures redduntur si uino meraco macerentur. noui ego unigenitum uiduæ filium, qui ex esu cicutæ obijt, eam in acetario, cerefolij loco (ut dixit) comedens. mixta uino insanabile uenenum est, excellen. Leonicenus pharmacopolarum errorem detegit, qui loco rutæ syluestris seminis cicutæ semen colligunt, & seruant, tamen resipiscere nolunt, sed indies homicidia potius augere. Nostrum uulgus cegua, & Galli etiam cegucc nominant, Hispani cannaueras, alij ceguta, at Germani quoniã interficit vvieterich appellant, ac si tyrannum dixerint (ita enim apud ipsos id uocabulum interpretatur) à Polonis szsinya uessz dicitur. SE. De cicutæ qualitatibus disseramus. BRA. Video hac in re authores longe differentes, nam recentiores frigidam, & siccã tertio ordine censent, Auerrois autem quinto collectionũ inquit calidam esse, & siccam ordine tertio, & profecto contextum illum Auerrois corruptum esse credidissem, et legi debere frigidam, nisi prosequeretur Auerrois inquiens tumores crassos incidere, & urinam prouocare, atq; menses, & dolori humerorum ualere, pituitamq; purgare, hæc autem omnia rei calide effectus esse uidentur. Ga

lenus uero expreßißime fatetur illam eſſe extreme refrigerantis facultatis , propterea in quarto ordine frigida erit,ut unus eius effectus oſtendit,nempe infrigidando necat,quod apud Platonem in Socratis morte uidere licet, qui cicutæ ſuccum ex uino bibens obijt . SE. Qũo potuit tam graui errore detineri Auerrois , cum omnes ſummũ uirum illum fuiſſe fateantur? BRA. Forte per cicutam myrrin intelligit,de qua Dioſcorides libro quarto,& inquit menſes,& ſecundas trahere,& quam Galenus ſeptimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus libro dicit eſſe in ſecundo ordine calefaciẽtium,& in eodem exiccantium. Myrris uero ex ſimilitudine cicuta dicitur apud Dioſcoridem,& à Ferrarienſium uulgo cicutaria uocatur,ſi hanc intellexit Auerrois per cicutam, non multum à uero diſtabit,quamuis & in ordine differat, tamẽ in qualitate conuenire certum eſt. SE. Erucæ ſemina occurrunt. BRA. Inter alias herbas,quibus in acetarijs utimur hæc una eſt,quæ Venerem reuocat morãtem,ut poëta inquit,nec lactuca apud nos edi conſueuit ſine eruca, ut calidæ,ac frigidæ rei temperamentum fiat , notiſsima herba eſt,à noſtris etiam mulieribus ruchela corrupto uocabulo,quaſi eruca nuncupatur,non modo ſemina, ſed & herba ipſa ſeruanda,quin & ex hac herba , & lacte,uel aceto paſtilli fiunt,ut diu ſeruentur in culinæ non medicinæ uſus,quæ apud nos reperitur ſatiua eſt,aliud genus ſyluestre in Hiſpania potiſsimum naſcitur(quanquam & in Italia etiam)quo Hiſpani loco ſinapis utuntur , immo idem eſt in Italia uſus,& plures uidimus, qui eius ſemine uice cardamomi ueſcerentur, in Ferrarienſi agro copioſe prouenit, ſed in montibus efficacior, à Romanis,et à Lucenſibus ruchetta,à Polonis biala gorczicza,à Cre=

tenſibus

tensibus uulgo ruca, ab Hispanis oruga, à Gallis roquetta nuncupatur, multi putarunt illam calidam, & humidam, in secundo ordine, propterea Venerē stimulat, sed in hoc Auicēnam potius imitandum iubemus, qui illam in secundo ordine calidam, in primo siccam facit præsertim cum sicca est, in humida, & recēti dicit inesse humiditatem in primo ordine, tamen siccam esse semper fatebimur. SE. *Ad mespilorum semina ueniamus.* BRA. *Si tempus exigeret, mespilorum species ad unam enumerarem, quæ à Theophrasto libro de plantarum historia tertio, & à Plinio describuntur, ostenderemq; Dioscoridis mespilum, nō esse nunc uocatum mespilum, quia Dioscorides arborem aculeatam dicit, buxeæ spinæ folijs, & quod fructum fert in quo solum tria grana, uel semina inueniuntur, unde tricoccus appellatur. talis fructus in Neapolitano agro copiose abūdat, ipsi azarolum, nos lazarolum uocamus. cœpit iam Ferrariæ plātari, & Hieronymus Brasauolus affinis meus miles strenuißimus suo in horto habet, de hoc autem pomo alias, nam mespila nostratia nō habent pauciora grana quinq;, uerum ut aliquid certi habeas, secūdum genus mespili à Dioscoride positum, quod epimelis appellari dicit, in Italia nascens, est uera mespilus nostras si descriptiones consideremus, nam est arbor malo similis folijs tantum minoribus, rotundum pomum fert esui commodum, latiori umbilico, leniter adstringens, & sero maturescit, suspicorq; idem esse quod apud Galenum ex mente Hippocratis amamelides nuncupatur, genus mespili in Italia nascentis, quicquid tamen sit, non est opus aliunde quærere mespila, quàm Ferrariæ, ubi & copia habetur, & efficacia sunt semina, hoc tantum addere decreui, & si eius fructus adstringat, seminum tamen puluis, lapillos ue*

hementer

hementer ex renibus eijcit, urinam cit, & uesicæ lapidē minuit, cuius rei nuperrime experimentum sumpsi in domino Petro de Argenta, qui plures, quàm sexaginta è renibus lapides minxit solo huius pulueris auxilio. in domino autem Andrea Rodo uiro solertissimo adeo lapides renum comminuerat, ut in puluerem redacti sine dolore exirent. SE. Cum de epimelide mentio inciderit, quid sit apud Galenum incertum uidetur. BRA. Hic opus non est omnia recensere quæ alibi à nobis ubertim scripta sunt, lege cum domi eris nostra in secūdum aphorismorū Hippocratis commentaria aphorismo. 20. ubi de epimelide, mespilo, amamelide, comaro, unedone, arbuto, memecylo, tricoco, azarolo, & alijs pluribus integram habes historiam. SE. Quæ sunt mespili qualitates? BRA. Frigidum & siccum esse omnes fatentur, & Galenus hoc testatur, quoniam acerbum, & adstringentem hunc fructum facit, septimo de simplicium medicamentorum facultatibus, libro, tamen dicendum est, in secundo ordine frigidum esse & immaturum in tertio ordine siccum, maturum uero in secundo. decipiuntur qui humida esse uolunt cum matura sunt. semper etenim sunt sicca, sed minus cū matura. Germani mespilum mespil, Lusitani nespelas, ut nos etiam, m, in, n, mutantes, Galli nepsles, Poloni ut nos mespila appellant. SE. Lens sequitur. BRA. Φακος à Græcis dicitur lentem nos, & lenticulam appellamus, semen notissimum ita etiam uulgo dictum lente, in Ferrariensi agro præcipuum, ut quādoque grana pollicis unguem latitudine æquēt, ibi pro usu colliges, lenti ultimam manum imposuissem, nisi Dioscoridis textus occurrisset, quo aluum cohibere cum corticibus scribit, at Hermolaus emollire interpretatus est, nosq; publicum adagium uulgo habemus, si

quis

quis lentis pateram comederit, situlam cacare. errant (ut puto) recentes, qui excorticatas adstringere, cum corticibus emollire uolunt. nam constat apud Galenum, & Paulum lentes communiter adstringere, quam ob rem apud Dioscoridem, ita etiam intelligendum censeo, quippe secūdo ordine exiccant, ut Aëtius testatur, qui etiam prædictæ dubitationis solutionem quodammodo adumbrauit, nam experientia id manifeste ostendit lentem comedentes solui. uerum Aëtius lentem quidē aresacere corpus, & sistere aluum. ius uero irritare, unde his aluus irritatur, qui ius non lentem comedunt, accidit uero multos ius secum comedere, ideo non mirum si soluantur, ipsi autem lenti id tribuunt, quod iuri potius condonādum erat, nec mirum quoniam & biscocta Braßica adstringit, at uentrem laxat prima coctura sumpta, ut Aristoteles primo problematum libro edocuit, & Galenus uarijs in locis, Galli lentiles, Hispani lentellas, alij lentegias, Germani linsen, Romani lentiche, Neapolitani nemicole, Cretēses phachi, Poloni soczeuicza, Lucenses lentichie appellant. Recentes dicunt lentem frigidam, & siccam esse ordine primo, at Galenus. 8. de simplicium medicamentorum facultatibus in caliditate, & frigitate temperatam illā facit, siccam uero ordine secundo. SE. *Ameos sequitur.* BRA. *Plures decepti, ammi, cuminū esse arbitrantur: non enim legi debet ameos, quia genitiuus est, sed ammi, uerū Dioscorides cuminum non esse manifeste ostendit, sed origani saporē habet. nostri phamacopolæ in hoc semine inconstantes sunt, quippe nonnulli semina parua, oblonga, & tenuia habent, alij simile fœniculo, sed minus, alij maius, quàm cuminū, & nigrum habent, re autem uera nullus est, apud quem uerum ammi uiderim: illa enim parua*

semina

semina origani saporem non habent, nec possunt esse calida, & sicca in tertio gradu, ut sapor ostendit, quod uero maius est cumino, & nigrũ ex hoc ammi esse non potest, quoniam ammi minus est cumino. Serapio cum Dioscoridem refert illum scripsisse putat esse albius cumino cum nusquam in Græcis Dioscoridis contextibus id scriptum inueniatur. in Aethiopia ubertim nascitur, & propè Alexandriam Aegypti Græci in panibus suis semẽ hoc ponunt, ut de fœniculis apud nos usus est, quo gustu gratior sit, hoc semẽ facile haberi poterit, quoniam Veneti singulis annis Alexandriam Aegypti nauigant, id tamen non est quod passim à pharmacopolis uenditur, immo ut recens ualde portetur curabimus, ut terræ mandari possit. SE. Quæ sunt illa semina quæ in officinis habentur? BRA. Alterius herbæ semina. SE. Cuius herbæ? BRA. Nunc mihi ignotæ, quamuis plures uiderim, qui cerefolijs seminibus uterentur, aliàs autem de hac re commodius tractabimus: si autem uerum ammi cupis, Alexandriam mittito, hoc nomine ibi appellatur, immo hoc nomen semini, & herbæ per totam Græciam condonatur. Galenus amarum gustum habere fatetur, præter id quod acre sit, & in tertio ordine intenso calefaciat, et exiccet, à Polonis polsxinmia, ab Hispanis zanagria dicitur suum ammi ex Apulia Veneti habent. SEN. Orobus sequitur. BRA. Eruum à Romanis dicitur, recentiores adeo decepti sunt, ut nonnulli ex ipsis Alexandria semina quædam ferant subruffa, sub cuius cortice seminis caro subflauescit uerum orobum esse asserentes, quum tamen Dioscorides orobum album esse diiudicet, & alba grana colligenda iudicat ad farinam pro usu medico parandam. alij recentes ut Pãdectarius cicer syluestre esse arbitra-

tur, quum tamen Dioſcorides *de cicere prius per plura capita egerit, & in cicer arietinum, & nõ arietinum diſtinxerit, tunc autem de ſylueſtri cicere tractare debuiſſet, adde ſeri eruum, ideo ſylueſtre eſſe non poteſt.* Auicẽ*na herbum, & herbam iudaicam duobus capitibus confundit, recentiores idem eſſe iudicant. quicquid ſit, eruum non eſt, quod pharmacopolæ uendunt, ſub cuius cortice flaueſcit, quia* Dioſcorides *cãdidiſſima grana ſumi iubet, nec te moueat quòd ab alijs authoribus ruffum ponatur, quia intus album eſſe debet non rubrum. quamobrem id eſſe eruum ſuſpicor, quod nos uulgo ruuone appellamus, habet enim albiſſima grana, & capiti graue eſt, & oneroſum ueſcentibus, conſtatq; boues ſaginare, quamobrem ſiquis orobum ordinaret, noſtrum uocatum ruuione acciperem, quoad meliora inuenirem, nam & amarum eſt, & in cibis ingratum. decipiuntur qui uiciam ſumi contendunt, tamen minus quàm alij, ſi illam pro orobo accipiũt, errant, decipiuntur, & qui uulgo uocatam rubigliam, decipiuntur. & qui cicer, quoniam in ciceris capite, ciceris decoctum cum eruo miſcet, ad teſtium collectiones, formicas, pſoras, lichenes, ulcera capitis erumpentia, cancros cacoethas, cum melle, & hordeo, quod non feciſſet, ſi eruum, & cicer idem eſſe putaſſet.* SB. *Deinceps igitur ſemen dictum ruuione pro orobo ſumam, nec erit opus* Alexandriam, *& in alium locum mittere cum in noſtra urbe facillime haberi poßit.* BRA. *Ita facere expediet, ne cõtinuo cum alijs erres,* Galli *eruum ueſſe,* Luſitani *cezirano,* Poloni *uika,* Cretenſes *uulgo roui,* Neapolitani *ripoile, uel rouiglione uocant. apud* Galenum. 8. *de ſimplicium medicamentorum facult. ſecundo ordine intenſo deſiccat, & in primo calefacit, tamen amaritudinem uehe-*

mentem

mentem non habet. SE. Cardamomi semina sequuntur. BRA. Quantum in hoc semine etiam pharmacopolæ decipiūtur statim uidere licebit. SE. Quomodo in hoc semine decipiuntur, quod ualde acre, & odoratum habent? BRA. Si aures præstabis id certe intelliges, & quod exponam uerum esse probabis. SE. Dic ergo bonis auibus. BRA. Aures præsta. tria semina apud pharmacopolas inuenio, quæ cardamomi loco ponuntur, unum est melegettæ ita uulgo dictæ, ab Arabibus cagobeth bne appellatæ, ut ex Auicenna liquet, aliud quod cardamomum uocant, semen triangulare, quo nostræ mulieres pro cōdiendis rapis sapa, quas compostas appellant, utuntur. Tertium est nigella citrina, recentes in maius, & minus cardamomum distinguunt ab Arabibus accipientes, ita enim Serapio sacolla distinguit, quæ apud ipsum cardamomum est. At reuera nullum prædictorum trium seminum apud antiquos Græcos cardamomū est, immo aliud maius addo, Serapionem de cardamomo loquentem, quod sacolla appellat, Dioscoridis cardamomum nō tractare, unde recentes omnia confundunt. Nos autem ut tibi distincte rē enucleemus, in hūc modum exordiamur, quod à Serapione, & Arabibus cardumeni, uel cordumeni dicitur à Dioscoride cardamomum appellatur, hoc clarum est Dioscoridi Serapionem comparanti, inquit enim Serapio melius ex eo est quod difficile frangitur, plenum coniunctum, durū, & graue, & extensæ superficiei, cuius sapor est acutus parum, quod autem ex eo non est tale, est malū. Dioscorides eodem ferè modo scribit, eligito quod frangenti contumax repugnet, quod plenum, præclusumq; sit, quod enim tale non erit, uetustate exoleuit, & bonitatem amisit, hinc aperte uides Serapionem, & Dioscoridem conue

nire, immo & in uiribus præcisæ etiam quadrant, ut idē sit apud Serapionem cordumeni, quod apud Dioscoridem cardamomum, at Serapionis interpres, qui carui agreste interpretatur, aberrat, & ab hoc errore ducti recētiores omnes hallucinantur, ad melegettas igitur redeuntes ipsas non esse cardamomum ex hoc probatur, quia nō multum gustum tentant, ut cardamomum facere debet, nec sunt subamaræ, idem iudicium sit in alijs prædictis seminibus, quæ nullam amaritudinem habent, ideo pharmacopolæ Dioscoridis cardamomo, & Serapionis cordumeni carent. SE. Tamen Serapio particulatim de cardamomo sub hoc uocabulo cardamomum tractat. BRA. Nusquam Serapio de cardamomo tractauit, nisi in sacolla, at sacolla non est cardamomum Dioscoridis, ideo Serapionis interpretem errasse puto, & non debuisse interpretari cardamomum, sed aliquid aliud, quod ab eo nomine sacolla significatur, arbitrorq́; sacolla semē quoddā esse in Arabia, nobis ignotum, & etiam Græcis, propter id eo capite Serapio Græcos non adducit, ut mos eius est, sed solos Arabes. unde sacolla cardamomum interpretari non debet, quia cordumeni, uel cardumeni cardamomum est. SE. Nunc uerum cardamomum doceas. BRA. Scito imprimis ex illis non esse, quæ in officinis habētur, quia amara non sunt, nec frangenti contumacia semina, facile ex Armenia, Bosphoro, India, uel Arabia haberi potest, illuc mittendum, præsertim in Bosphorum, quia Veneti illuc singulis annis nauigant, & illustrißimi ducis nostri nauis Bosphori littora appellit. SE. Edoceas salte quid sit sacolla Serapionis, quam ille interpres cardamomum uertit, & omnibus recentibus ansam errādi præbuit. BRA. Quod mihi incertum est tibi aperire nō possum, res bar-

baræ ſunt, quæ ad nos nunquam peruenere, conſtat autem maiorem ſacollam melegettam non eſſe, quia non ſunt grana magna, in quibus parua granula inſint, nec etiam minus cardamomũ eſt ſcilicet uulgare hoc noſtrũ, quia cum maiori ſimilitudinem non habet, & cortice tegitur, minor uero ſacolla cortice caret. SE. Non afferã igitur domum cardamomum? BRA. Nõ equidem niſi ad prædictas partes miſeris. SE. Non potero non mittere, cum propter hoc, tum propter alia multa. BRA. Eſto bono animo quoniam ſperamus nos hæc omnia quandoque diſtincte oſtenſuros. SE. Quibus nominibus ab alijs nationibus inſignitur? BRA. Omnes latino, & græco nomine utuntur. SE. Rerfer ſaltem cuius ſit qualitatis. BRA. Calidum eſt, & ſiccum ordine tertio, quoniã Galenus ſeptimo de ſimplicium medicamentorum faculta. inquit eſt admodum calidum, non tamen uſque adeo ut naſturtium, unde in medio tertij ordinis calidum erit. SE. Carui ſemina ad collectionẽ ueniunt. BRA. Arabica nomina græcis, & latinis notiora ſunt, caruus Arabicũ nomen eſt, in quo Pãdectarius adeo errauit, ut monitore nõ indigeat, quippe in Serapione ita confundit nomina, ut caruum cũ nigella miſcuerit, quod ex nominum errore factum eſt, quod enim Serapio xamin dicit. i. nigella ipſe accepit, ac ſi carui dixerit, tamen aliud caput Serapio de carui ſcribit, quod uerum carui eſt, ut mirandum ſit cur Pandectarius nigellam potius quàm carui acciperet, nos igitur de carui, uel caruo, aut caruia (nihil enim refert quomodocunque barbarum nomen proferatur) tractaturi id primo admonebimus, caruum non eſſe nigellam, ut Pãdectarius, & plures recentiores exiſtimarũt, ſed caruum apud Serapionem id eſſe, quod à Dioſcoride caros uocatur, hoc

manifeste deprehendes Serapionem Dioscoridi comparando, inquit enim Serapio carui semen huius prouocat urinam, habet bonum odorem & calefacit, & est bonum stomacho, & facit digeri cibum, & ingreditur in confectionibus medicinarum, quæ componuntur ad faciendum descendere cibum à stomacho, & uirtus eius similis est uirtuti anisi, & radix eius comeditur cocta, sicut pastinaca: hactenus Serapio, nunc Dioscoridi mentem præsta ita de caro dicenti, calefacit, urinam cit, stomacho accommodatum, & in cibo gratum est, concoctionem adiuuat, utiliter antidotis, & oxyporis miscetur, aniso proportione respondet, radix elixa pastinacæ modo edenda est, ex his certe deprehenditur, carui Serapionis, & caros Dioscoridis idem esse, quoniam eadē penitus à Serapione (quãuis barbare) in suo carui dicuntur, quæ à Dioscoride in careo. forte si fidum interpretem habuisset Serapio in tot errores non incidisset. semen autē, quod pro carui à pharmacopolis sumitur carui, aut caros esse non potest, quia ut inquit Serapio ex sententia etiam Aben Mesuai est, semen crassius, quàm cyminum, quod autem pharmacopolæ uendunt multo minus est cymino, putaui quandoque daucum esse. i. quod uulgo apud nos pro dauco sumitur, quod est pastinacæ genus, sed magis odoratum esse caruum, postea semina non correspōdere aduerti, quãuis noster uulgaris daucus pastinacæ genus sit, & caros inter pastinacas numerari possit, unde Paulus Aegineta primo libro, ubi radices numerat, quæ edendo sunt, tres istas cōiunxit pastinacam, pastinacam syluestrem, & radices cari, ac si & caros inter pastinacas numerandus sit, quod si potius Dioscoridi, quàm Serapioni credamus, ut dignū est, qui in aliquibus Græcis codicibus exiguum semen habere

bere dicit, fortè una ex nostratibus dauci speciebus erit, eius herba à Dioscoride nō pingitur, Plinius monet ubiq; serēdum careum. Caros uero dictus est, quia in caria laudatissimus inuenitur, siquis certus fieri cuperet, in cariā mittere oporteret, quod graue non erit illustrissimo Alphonso principi nostro, quum eius semina habebimus terræ mandabimus, ut quicquid nascatur, uidere possimus, ab Hispanis alcarouea, à Polonis polnyumyn nuncupatur, à Gallis nostro uulgari nomine, ex campis Patauinis, & Vicentinis semen quoddam affertur pro caro. Auicēna calidum, & siccum in ordine secundo illud facit, Auerrois autem quinto collectionum, in tertio ordine calidum, & siccum facit, Galenum septimo de simplicium medicamētorum facul. secutus, qui in tertio quodammodo ordine calefacere, & exiccare dicit. tamen uidetur Galenus ex suis uerbis id facere, uel in principio tertij, uel in fine secundi calidum, & siccum. SE. Nigellæ nigræ semina post caruum locum habent. BRA. Cur nigræ addidisti? SE. Ad differentiam subcitrinæ. BRA. O ingens recentiorū error, idem est dicere nigella subcitrina, ac si dicatur nigrum subcitrinum, una tātum nigellæ species apud probatos authores reperitur, quæ xamin à Serapione dicitur nō carui, ut Pandectarius putauit, idem uero est xamin Serapionis, & Melanthion Dioscoridis, uel nigella, Serapio enim inquit plantam esse paruam circa duos palmos, & habet folia parua minuta, & mollia, similia folijs plantæ ranabon, nisi quia sunt minora satis, & habet capitella subtilia, similia capitibus papaueris, oblonga, et in medio eius sunt parietes separātes semina, quod quidem semen est nigrum, acutum, boni odoris, si Dioscoridem met legeris in capite περὶ μελανθίου. i. de me=

lanthio eadem ferè ad uerbum scribit, ut de xamin Serapio edocuit, nam inquit esse breuem fruticem, pedali, & aliquando maiori altitudine, comparatq; folia melanthij senetioni, & Serapio Ranahaon, quod senetiō est, ambo tamē folia minora censent, postea sequitur, & habet in summo cacumine exiguum uasculū papaueris figura oblongum interiore sui parte discurrentibus ueluti cancellis disseptum, inter quos nigrum semē, acre, odoratumq; clauditur, ut nullus ex his ambigere posit melanthion Dioscoridis, quod nigrum significat, & Romanorum nigellam, cum xamin Serapionis idem esse id magis ostendūt proprietates, quæ eædem penitus sunt, ut quod in pane ponitur, & frōti illitum capitis dolores discutit, ut autem nigellam cognoscas, in segetibus herba quædam nascitur, cuius florem mulieres Ferrariēses, ac rustici githone appellant, quo in coronis utūtur, æstiuo tempore, gith alio nomine dicitur, unde uocabulum deductum est githone, semē huius plantæ nigrum est, & est odoratum, atque pseudomelāthion dici potest, ex cuius similitudine uerum melāthium cognoscere poteris, unde melāthion, nigella, xamin idem esse constat, cōstat etiam semen id, quod pro nigella uendūt pharmacopolæ subslauum nigellam non esse, recētes autem, qui duplicem nigellam ostendunt, sine ratione loquūtur, quoniam apud antiquos una solum nigellæ species reperitur, quæ nigra est, immo & uocabulū nigelle nigrum significat, & Romani præterea nigellam papauer nigrum appellāt, & hoc nomen in usum non cessit propter aliud papauer nigrum, & uerū, ex quo opiū, & meconium fiunt, nūc autem in uarijs hortis Ferrariæ melāthion uerum habetur folio senecionis inciso in morē foliorum erucæ, Galli tuum nomē ferè imitantur. Nelle

noyre

noyre dicentes, Germani uero ratthen, quamuis nõnulli apud ipsos disputent esse potius behruurtz, quæ est dauci species, nos tamen potius Germanorum ratten esse cẽsemus, à Polonis czurnucha, à Cretensibus uulgo melathi, ab Hispanis nigella uocatur, nostrum igitur githone, quod in triticea messe nascitur, gith nũcupatum pseudonigella dici potest, tamen in omnibus cum uero melãthio conuenit præterquam in folio, uerum autem melãthium, quod nunc in nõnullis hortis Ferrariæ uiret uulgo nigella nuncupatur flore pulcherrimo in cyaneo albicante, & folijs quibusdam pediculis intercurrentibus distinctis, omnes ferè cum Galeno septimo de simplicium medicamentorum facultatibus melanthium, & nigellam in tertio ordine calidam & siccam iudicant, at recentiores nonnulli in secundo solum ordine siccum esse dicunt, scito tamẽ uerum melãthium in medio tertij ordinis calidũ esse, & in principio tertij siccum, uerum pseudomelanthium, quod & Giotone uocamus in secundo solum ordine calidum, & siccum erit. SE. Atriplicis semen occurrit. BRA. Plures decepti sunt, qui atriplicem id olus esse putarunt, quod uulgo spinacchia dicitur, quòd autem aberrent hinc manifestum est, quoniam atriplex antiquum & notum est, noua sunt spinachia, habet etiam atriplex aureum florem, unde ab aliquibus chrysolachanon dictum est, et à Cretẽsibus uulgo, nos paßim trepese appellamus, Hispani recentes, prædictos sequũtur, nam ipsi spinazes, alij armuelles uocant, Galli arosses, Neapolitani atripice Poloni loboda, Germani gruinkraut, uel grunkraut, ac si dixerint uiridem herbam, ipsi etiam ueluti diuersam herbam, à spinachijs, quæ spenet uocant agnoscunt. Notißima herba Ferrariæ, & notißimum semen, quod uim

refrige=

refrigerandi habet ferè in tertio ordine. Pythagoras *atriplicem damnabat, utpote qui hydropicos faceret, arquatos, ac pallorem, & in hortis nihil apud ipsum nascitur inculpatum, difficulter coquitur, unde si* Pythagoræ *credere liceret, nostræ ætatis medici, qui in ægritudinibus concedunt longe aberrarent.* at Dioscorides *de arquato morbo oppositum scribit, quàm* Pythagoras *sentiret, quia inquit eius semen cum aqua mulsa bibitum regium morbum sanare, aluumq; mollire. duplex genus apud* Dioscoridē *inuenies, & uobis in promptu sunt, satiuum, & syluestre. Syluestris nullus est apud nos usus, semina domestici tantum habere studeas, & hæc in* Ferrariensi *agro, ubi exquisitiora sunt.* SE. *Cuius est qualitatis?* BRA. *In secundo ordine frigidum, & humidum esse censemus, & ad eundem ordinem spinachia referimus.* SE. *Quo nomine antiqui nostra spinachia uocant?* BRA. *Nisi in genere bletæ, aut atriplicis sint, nihil habeo certi, quod tibi ostendere possim.* SE. *Igitur ad cœpæ semen ueniamus.* BRA. Non *est opus hic immorari, quia notissimæ sunt cœpæ, cromyon à* Græcis *dicitur, syluestres cœpæ nusquam sunt,* Rubræ *acriores albis, & oblongæ rotūdis iudicantur, non modo semina, sed & radicem ipsam, quæ proprie cœpa est, ad medicum usum, & culinarium seruabis.* Plinium *lege de eius speciebus, & alios authores,* Hispani *cebellam, alij cebollias,* Germani *zuuibel,* Poloni *czebula, alij cebulia,* Cretenses *uulgo cromidi,* Neapolitani *cepole cœpam uocant, nunc cœpæ qualitates cōsiderentur.* Galenus *septimo de simplicium medicamentorum facultatibus, in quarto ordine calidas censet, quamuis* Auicēna *in tertio solum calidam dicat, sed magno errore, quoniam humano corpori admota exulcerat, tamen*

est

est in prima solum parte quarti ordinis, de paßiuis qualitatibus Auicenna *dicit in ipsa esse humiditatē superfluā,* Galenusq; *illam dicit esse flatuosam, tamen in tertio ordine exiccare manifestum est, si parti humani corporis humidæ applicetur, & ut in calce secundi libri de alimentorum facultatibus,* Galenus *docet humores extenuat crassos, & glutinosos incidit.* SE. *Anisi semē occurrit.* BRA. *Notißimum est anisum, nec opus est in ipso ambigere, licet ex* Syria *cōportari* Dioscorides *tradiderit: non enim in* Italia *propter id nasci inficiatur, sed ex* Syria *originē habuit, aut ibi saltem excellentius prouenit, in* Italia *frequens habemus, tu montanum, atque nigrum seruabis, nā uiribus efficacioribus pollet, à* Gallis *anis, à* Germanis *aines, ab* Hispanis *yerua buona, à* Polonis *anysz, à* Cretensibus *uulgo glichaniso nuncupatur.* Auicēna *in anisorum qualitatibus perperam* Galenum *adducit: nempe* Galenus *in sexto de simplicium medicamētorum facultatibus. Anisum inquit esse in siccando tertij ordinis, sicuti & in calefaciēdo.* Auicenna *uero* Galenum *refert, ac si dixerit anisum esse calidum in secundo ordine, & in tertio siccū, at alter est in* Auicenna *error, qui* Dioscoridem *adducit anisum dicentem in tertio ordine calefacere, & exiccare cum nusquam à* Dioscoride *hoc dictum sit, uerum id tantum dicit præcipua quidem eius natura in calefaciendo posita est, de qualitatum uero ordine nihil penitus dixit, neque scribere consuetus est.* SE. *À* Galeno *dicitur subamarum, tamen in gustu nullam amaritudinem sentio.* BRA. *Immo nonnihil amari persentitur, ea res mira ex anisi substantia ui ignis absque alia materia oleum elicio purißimum, & dulcißimum, quod & odorem, & saporem anisi habet, & hæc intensiora, quàm ipsum semen habet,*

uerum

uerum ex ætate amarißimum fit. SE. *Cymini semen sequitur.* BRA. *Et eiusmodi semina notißima sunt, reperitur uero domesticum cyminum, & duplex syluestre, domesticum in quotidiano usu habetur, de quo nihil aliud dicam, quàm nostros rusticos in peristerionibus ipsũ ponere, ut columbos remorentur, & alienos alliciant, quod & antiquitus factum testatur Plinius. addo etiam non esse petẽdum ex Galatia Asiæ, ut uolũt authores, & Cilicia, quum in Italiæ Apulia optimum habeatur, & alijs pluribus in locis, efficacius in calidis prouenit, omnes ferè nationes latino nomine utuntur, uel saltem parũ detorquẽt, nam Germani kumell, Poloni kmin, Cretenses uulgo chimino, Galli cõmin, Hispani comines appellant.* SE. *Quæ sunt cymini facultates?* BRA. *À Galeno septimo de simplicium medicamentorum facultatibus, dicitur uires habere similes aniso, & mentionem facit solum de caliditate, quæ in tertio ordine est, de siccitate uidetur ambiguum, quam tamen nos putamus tertium ordinem attingere, quamuis Auicenna in secundo ordine siccum esse tradiderit.* SE. *Petrosilini semen quæramus.* BRA. *Adhuc in medicorum animis insidet nostrum uocatum petrosilinum antiquorum petrosilinum esse, & quum in re medica petrosilino indigemus, nostræ herbæ ita uocatæ semina, & radices, & necessarias alias partes colligunt, sunt tamen, & uerũ petrosilinũ, & nostrum uocatũ petrosilinum apij genera, sed petrosilinum in Italia non nascitur (quod sciuerim) in Macedonia tantum præruptis locis, semen habet ammi simile odoratum, acre, & aromati simile. immo si addamus, quæ Galenus in Theriaces dicit, amarum est, quæ nostro petrosilino non conueniunt, tamen difficile nõ erit per Venetas nauigationes in Macedoniam mittere,*

ut inde ſemen habeatur, quod mox noſtris regionibus locis præruptis ſeminetur. noſtri latini, ut Palladius non dicit in Macedonia naſci petroſilinon, ſed locis aſperis, unde nihil impediret apud nos etiam gigni, præſertim ſi locis aſperis ſeminetur. SE. Ergo petroſilini ſemen non habebimus? BRA. Non niſi credamus id eſſe de quo recentes, & quod uulgo petroſelinum, id eſt ſaxatile apium appellamus. Tamen breui ſpero hæc ſemina accepturum Illuſtrimi Alphonſi Ducis Ferrariæ cura, & Herculis Illuſtriſſimi Ducis poſt patris obitum maiori diligẽtia. SE. Noſtrum igitur uocatum petroſilinum quid erit? BRA. Animus inclinat ſatiuũ apium, ſiue Hortenſe eſſe, de quo Dioſcorides inquit omnibus accommodatum eſſe, quibus & coriandrum σέλινον κηπαῖον, id eſt apium ſatiuũ, à Dioſcoride ſimpliciter nuncupatur, Pliniuſq; lib. 20. in iure mandi hoc apiũ cenſet, & eſſe peculiare in condimẽtis, quod manifeſtum eſt, noſtro petroſilino conuenire, apud omnes ferè nobis notas gentes à petra nomen habet, quippe Galli Perſin, Hiſpani perrexil, Germani peter ſilgen, Romani petroſendolo, Cretẽſes uulgo cudumedo, alij perſibulo, Poloni piotruſzka uocant, in tertio eſt ordine calefacientium, & exiccantium, quamuis Auicẽna de petroſilino agens ad apij caput ſe referat, idq; in primo ordine calidum facit, & in ſecundo ſiccum, cũ nulla ſit apij ſpecies, quæ primum caliditatis ordinem non excedat. SE. Oleris atri ſemina accedunt. BRA. Olus atrũ à Romanis dicitur, quod Dioſcorides uocat hippoſelinon, non quidem ab equis, quibus conferat, ut nonnulli uoluere, ſed à magnitudine ſua, quia equus in compoſitione earum rerum, quibus nihil peculiare habet magnitudinem ſolam ſignificat, ut hippomarathron, quia in ſuo genere multum

excedit, hippolappaton à Thodoro Gaza in Thophrasto equapium interpretatum. ad nostrum olus atrum redeuntes, radicem extra nigram, intus albam habet propter id olus atrum à Romanis uocatur, maius apij genus, quod in hortis, & riguis nascitur adeo crescens, ut arborescere uideatur, notißimum est, apud nos ob suam magnitudinem hipposelini nomen acquisiuit, idest (ut Theodorum imitemur) equapij, nos uulgo Ferrariæ apiũ Macedonicum nũcupamus, omnes conditiones habet, quas illi Dioscorides attribuit, ne alıubi quæras olus atrum, quàm Ferrariæ, radixq; aliquibus in cibis grata. decipiũtur uero qui arcãgelicam, uel angelicam à nobis uocatam, olus atrum esse fatentur, quoniam radicem albam habet, nec in tam altã magnitudinem crescit, ut apium Macedonicum uocatum, à Polonis gier, à Venetis herba Alexandrina, à Cretesibus uulgo Macedonico, à Lucensibus Maceroni, à Neapolitanis Alexandro nuncupatur, & hoc cum Galeno calidum, & siccum tertio ordine censemus. SE. Apij semina occurrunt. BRA. Quum absolute apium dicitur Hortẽse intelligi oportet, quod σέλινον κηπαῖον, à Dioscoride nuncupatur, à nostris uulgaribus petroselinũ dicitur, quã ob rem pro seminibus apij absolute, non sunt breuioris illius apij, quod in hortis nascitur, semina sumẽda dico breuioris, quàm Macedonicum, sed maioris, quàm nostrum uulgare petrosilinum, at potius semina Hortensis apij. i. nostri uulgaris petrosilini seruarẽ, unde per semina apij absolute, Hortensis apij semina intelligẽda sunt, quod est nostrum uocatum petrosilinum, semina uero, quæ à pharmacopolis paßim colliguntur, eleoselini sunt, id est palustris apij: decipiuntur enim qui apium palustre, eam herbam putant, quam uulgo apium raninum dicimus, quippe

apium

apium palustre satiuo maius est. Apium uero raninũ multo minus est, & quamuis Dioscorides in aquosis locis nasci, non tamen in aquis dicit, solum autem Ferrariense inter aquosa loca numerandum, præsertim ubi apium nascitur, nam umbrosa loca, & aquosa amat, de nostris autem apij generibus loquor, quia petrosilinum uerum in saxosis, & asperis nascitur, tamen quum, & apium satiuum, idest nostrum petrosilinum, & eleoselinon easdem uires habeant, ut Dioscorides fatetur, ideo non multum refert, utrum eorum sumatur, pro his autem colligendis ne patrium solum deseras, radices etiam, & folia seruato, Germani eppich, Hispani ut nos apio, Galli ache, Neapolitani achio, Veneti epo, Poloni opich apium uocant, & hoc calidum est, & siccum ordine tertio. SE. *Leuistici semina post apium sequũtur.* BRA. *Lygustici potius dicere oportet, plures decipiuntur, qui apij speciem esse crediderunt, quũ de ipso in altera parte egerit Dioscorides, quàm in apij generibus. Pharmacopolæ & Ferrariæ, & Venetijs, Bononiæ etiam, ac Patauij altero semine utuntur, quod libistici semen arbitrantur, tamẽ inconstantes sunt, quoniã nonnulli apij seminibus pro eo utuntur, alij dauci, tamen facile est in lyguriã mittere, immo indies illuc mercatores accelerant, semen petendum est, & terræ mandandũ, in Liguriæ montibus nascitur, umbrosis, asperis, & altissimis mirantur Genuenses pharmacopolæ nobis hoc semen deesse, tamen in montibus efficacius est, quàm si in plano seminetur, pro pipere eo usa est antiquitas, immo & nũc rustici ligures pro pipere in condimẽtis utuntur, & ego conditum ferculum libistico satis gratum comedi Genuæ in ædibus Illustrissimi Sinibaldi Flisci, quum Illustrissimus Hercules Ducis Ferrariæ primogenitus Galliam peteret*

nec

nec etiam magnificis Comitibus Bonifacio Beuilaquæ, & Vgocione Rangono uiris integerrimis displicuit. sed illud animaduertere oportet, Ligures fœniculum miscẽtes libisticum adulterant, quin & Dioscoridis tempore seselis seminibus adulterabant, & altero quodam semine, sed subamaro, quo sapore deprehendebatur, unum est, nos libistici seminibus carere, cuius etiam radices in officina deinceps habere curabis, Galli ut nos ferè, & Hispani. Germani uero liebstockel, Poloni lubsczecz, Veneti leuistrego appellant. est in tertio ordine calidum, & in eodem exiccat. SE. Fœniculi semen occurrit. BRA. Notissima herba est, cuius semine in placentis cibarijs diuersis aceto, uiridi, & arido per totum annum uescimur, Ferrariæ maxima copia habetur, à Græcis μάραθρον dicitur, sed non solum semina, uerum folia, & radices seruare cõmodum erit, sed quum & in aruis erraticum fœniculum, aut syluestre inueniatur, quod rei medicæ proficit, ideo huius semen in Ferrariensi agro collectum seruabis, adeo nota sunt hæc, ut nihil aliud dicẽdum uideatur, quàm Hispanos ymozo, alijs hinoio, Germanos fœnichel, Gallos feneul, Neapolitanos fenochio, Cretenses uulgo maratha Polonos vvloski kopr fœniculum uocare. in tertio ordine calidum esse Galenus censet. 7. de simplicium medicamentorum facultatibus, & in primo siccum, quamuis in hoc alios referat, Auicenna censet syluestre fœniculum calidius esse, domesticum uero in secundo ordine calidum esse, nos eius siccitatẽ in secundo esse putamus, quod etiã censuit Auerrois quinto collectionum, immo illorum ratio, qui in primo tantum ordine siccum esse dicebant, quoniam lac procreat, ad rem nihil facit, neq; impedit, quin sit in secundo, nempe lac non procreat eo, quòd in lac cõ

uertatur

uertatur,ſed alia conuertit, ut ſanguinem in lac conuertit,& ad mammas ducit,uel id ſolum facit, quod ad mãmas ducit, quas ſuo calore roborans, & mãmarum uim concotricem perficiens,ſanguinem in lac facilius conuertunt. SE. *Sparagi ſemina ſequuntur.* BRA. *Aſparagi dicendum eſt,adeo nota herba, ut nihil aliud dicendum uideatur,quàm in* Ferrarienſi *agro colligenda, ubi infiniti ferè ſunt producentes aſparagos campi.* Radices *quoque ſeruandæ,illudq́; animaduerſione dignum, apud antiquos hoc nomen aſparagus,ſiue aſpharagus, non ſolum notiſſimam hanc herbam ſignificare,quã ſparſi appellamus,ſed cuiuſcunque herbæ cacumen, quum primum erumpit, ut edendo ſit,*Paulus Aegineta *hoc manifeſte oſtendit, qui caput de aſparagis inſcribit,in ipſo tamen de bleta,lactuca,atriplice,malua,& alijs ſimilibus pertractat,nos decoctos in iure aſparagos aceto,ſale,& oleo conſperſos,magno gulæ delectamento comedimus, & in principum delitijs ſunt,ut etiam ſine conditura comedantur,* Hiſpani *ut nos ferè ſparagos,* Poloni *ſpargus,* Cretenſes *uulgo ſphargi,*Germani *ſpargon,*Galli *eſparge appellant.* Galenus *aſparagum in caliditate,et frigiditate temperatum eſſe iudicauit,ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, in paſſiuis autem qualitatibus ſiccum potius eſſe dicit,quanquam id non exprimat,nam inquit, quin & dentium dolores ſanat ſiccitatis nomine, quam uel maxime dentes requirunt.*Auicenna *inquit illum eſſe calidum,ſed caliditatem increſcere,quum induratur, tamen conſidera,an ſit in primo ordine calidus, & ſiccus ob illas,quas facit operationes.fuere qui aſparagum antiquis ignotum iudicarint,cum tamen* Dioſcorides, & Galenus *de illo egregiam mentionem fecerunt, & ante* Galenum

Plinius. SE. Acetosæ semen quæramus. BRA. Species lapathi est acetosa ea, quæ acidum saporem habet, quam oxalida appellāt, notißima apud nos herba. Arabes, præsertim Auicenna de lapatho tractans, loco huius uocabuli lapathum, hoc nomine acetosa utitur, quia in ea particula oxy deceptus est, quæ in omni lapathi specie nō significat acumen saporis, sed in aliqua acumen foliorum, ut in nostro uocato rumice foliorum acumen, in herba quam uulgo herbam bruscam, uocamus acumen saporis. huius herbæ semina in Ferrariensi agro colliges, uerum nec folia, nec radices, utpote rei medicæ utiles prætermittito, reperitur & trifolium acidum, quod alleluia uulgus nostrum appellat, sed quum recentes acetosam dicūt, lapathon intelligunt, non trifolium illud, quamuis eundem ferè saporem habeat, ut illi merito particula ὀξὺ tribui, & simul componi poßit, à Gallis ozeille dicitur, qua libenter intinctus parant, Lusitani azederas uocant, Germani uero sauuer ampher. i. acetosa ampher, quippe sauuer acetosum significat, ampher autem est proprium nomen Germanicum, quod nihil aliud, quàm ampher significat. Cretenses uulgo scinida, Neapolitani acetosella, Poloni szczaro, alij sczavvij nuncupāt frigidum in primo ordine, & siccum in secundo cum Auicenna censeo, & ab illis dissentio qui in tertio frigidam esse iudicarunt, nam in hoc ordine non digereret, quod tamen illi attribuit Galenus septimo de simplicium medicamentorum facultatibus libro. SE. Genistæ semina legenda. BRA. De genista in floribus tractare cœpimus, quæ à Græcis σπάρτιον, à nostris sparton, uel genista, notißima est, & in alijs locis præterquam Ferrariæ in usu rustico pro ligandis uitibus frequens, quæ de ea superius dicta sunt satis

esse

esse putamus. SE. *Anthera sequitur.* BRA. *De hac in floribus scriptum est, ubi ostendimus antheram nõ esse rosæ florem, ut quidam recentes putarunt, sed compositionem quandam apud Celsum, in qua tamen rosæ insunt, & Galenus in quinto methodi post libri dimidium ad quæ ualeat anthera medicamentum ostendit.* SE. *Ad sileris mõtani semina ueniamus.* BRA. *Si recentiorum montani sileris descriptiones, & seseleos conferamus idem penitus esse deprehendetur, à Dioscoride tamen tria genera describuntur figura longe differentia, seseli maßiliense, Aethiopicum, & peloponnesiacum, siler montanum recentiorum est apud Dioscoridem seseli maßiliense, si descriptiones conferantur, uolunt enim fœniculi folia habere, & reliqua, quæ de seseli maßiliense à Dioscoride dicuntur, at si semina, quæ à pharmacopolis uenduntur consideremus, seseli Aethiopici semina uidentur, quia semen est amarum, maßiliense uero amarum non est, sed acre, facile autem erit ex Maßilia habere, nam quotidie, nonnulli ex Illustrißimæ Renatæ Ducis nostræ probißimæ, & sanctißimæ mulieris familiaribus Gallias petunt: curabimus, ut semina afferant, quibus terræ missis, herbam oculis intueri licebit.* SE. *Hoc ne prætereas, obsecro.* BRA. *Non modo hoc, sed plura etiam alia habere, atque plantare tentabimus. corrupere uocabulum recentes, ut siler pro seseli dicant, uerum quia siler aquosa loca amat, in quibus etiam nascitur, propter huius differentiam montanum addidere, ut à silere aquatico, de quo rustici baculos parant, distingueretur. semina, & radices habere conueniet, à Germanis quibusdam felt kummel. i. campestre cuminum appellatur, in gustu enim aliqua ex parte cuminum imitatur. Poloni latinum nomen imitantur, tamen*

*alij xmyn uelxi,*Romani *ſilio,*Veneti *ſiro montan,*Cre*tenſe uulgo platiciminon,quaſi latum ciminum uocãt, in tertio ordine calidum & ſiccum,qui* Galenum *ſequuntur eſſe fatentur,quamuis recentes in ſecundo ordine calidũ, & ſiccum illud faciant.* SE. Milij *ſolis ſemina accedũt.* BRA. *Si Serapionem conſiderare tentemus, ubi de culb pertractat,quod eius interpres milium ſolis exponit ſtatim deprehẽdetur,idem eſſe apud* Dioſcoridem *lithoſpermon.i.lapidoſum ſemen, quod apud Serapionem culb.i. milium ſolis,inquit enim* Serapio *culb habere folia ſimilia folijs oliuæ,niſi quia ſunt maiora,et altiora,& latiora,& quæ ſunt ex eis inferiora declinant uerſus terrã, & habet uirgas eleuatas ſubtiles,ſicut lingua ſquinanti, & reliqua,in quibus cum* Dioſcoride *cõuenit,quem ſi audire lubeat,in hunc modum ſcribit,habere folia oleæ longiora tantum,latioraq́; ad ſummam radicem eius iacentia,ramulos uero rectos,graciles,craßitudine acuti iunci,& reliqua,in quibus ambo cõueniunt,idem igitur ſunt* Dioſcoridis *lithoſpermon,culb* Serapionis,*& recentiorũ milium* solis.*nos herbam habemus huic ſimillimam,cuius ſemine mulieres noſtræ pro fingendis coronis utuntur,appellant autem coronas indices quoſdam,quibus deo preces numerant,ac ſi penſa quotidie reddant,in duobus tamen differre uidetur lithoſpermon, & noſtræ herbæ ſemen lapidoſum,à mulieribus lachryma uocatum, primo noſtra lachryma folium arundinaceum habere uidetur, uel ſaltem milium nigrum imitatur,deinde lithoſpermon ſerpere dicitur,quod non facit noſtra lachryma,quæ ueluti frutex eſt.ego recte* Dioſcoridem *conſiderans,non uidi ipſum folia ſerpere dicentem,ut à multis creditur, ſed eleuata ſunt folia tamen,quæ inferna ſunt, prope radicẽ*

per

per terram expanduntur, inquit enim ipse καὶ τὰ πρὸς τὸν πυθμένα ἐπὶ γῆς κείμενα, quæ uerba à Marcello interpretantur, ad summam radicem eius iacentia, ut sensum faciat, oleæ folia habere ad summam radicem iacentia, id uero in omni folio falsum est, quoniam ea tantum iacent, quæ inferiora sunt propè radicem, ideo Hermolaus rectius interpretatur, iuxta radicem humi iacentia .i. folia, quæ iuxta radicem sunt, humi iacent, unde si hoc modo interpretemur, exquisitior interpretatio uidebitur, & ea, quæ iuxta radicem sunt in terram inclinata, quæ uerba considerans Serapio dicebat (licet barbare) & folia inferiora declinant uersus terram facientia uelut stratum super terram, & Plinius libro. 27. capite undecimo authores reprehendit, qui serpere tradiderunt, quoniam ipse (ut inquit) non uidit hærentem, in summa igitur nostra lachryma lithospermon .i. semen lapidosum est, quãuis in folio differre uideatur ab eo Dioscoridis, quia hoc Dioscoridis oleam, nostrum milium nigrum, aut arundinem imitatur, tamen in genere lapidosi seminis est, & renum lapides expellit, uesicæ autem minuit, ut experientia in quotidiano usu demonstrent. nostra igitur uocata lachryma species lithospermi dici poterit, et culb, uel milij solis, nec mouearis quòd magnitudinem erui habere dicitur, quoniam secundum loca maiora, & minora sunt, minima sunt, quibus nos utimini, & foliũ habet quale Dioscorides describit, nostra autem lachryma in lithospermo à Plinio ferè pingi uidetur, præsertim quoad semina. SE. Quum uariæ sint lachrymæ à nobis dictæ, & lapidosa semina, quod pro lithospermate accipiendũ est? BRA. Quod magis durum, & lapidosius, nos autem eandem ferè uim habere in multis experti sumus. eodem nomine à

Gallis, quo recentes appellant, dicitur. s. milium solis, à Germanis quibusdam steynsame, ab alijs mehrhirsse, nuncupatur, quãuis à diuersa proprietate hæc nomina imposita uideantur, à Venetis meio coruino dicitur. denique præ cæteris milij solis generibus id prætermitterem, quo uos utimini, utpote cæteris ineptius, & id seruarẽ quod magis album nigris quibusdam maculis inspersum. SE. Miror cur lachrymam à nobis uocatam, lithospermi speciem apud Dioscoridem esse putes, cum folia figuram aliã habeant, neque lithospermi sint plures species. BRA. Video te animi morbo correptum hæc effutire, & non discendi, non'ne te edocui Dioscoridis lithospermon, & nostram uocatam lachrymã in folijs diuersa esse? postea ex semine ipso quod lapidosum est, lithospermatis speciem esse statuimus, quoniam ad omnia lapidosa semina lithospermon genus est, lithospermatis uero species à Dioscoride descripta, à nostra diuersa est, tamen negari non potest lachrymam nostram esse lapideum semen, & eo nomine uocari posse, & lithospermi speciem esse. SE. Tuis experimentis credere non est opus, cum inquis te expertum esse lachrymam renum lapides expellere, & uesicæ comminuere, nam secundum Galenum nisi longo usu homini prodesse compertum sit, haud facile est recipiendũ, aut laudandum medicamentum. BRA. O omnium inuidiosissime, qui nec discere cupis, nec alios sinere, ut discãt, maledicentia quadam moueris ad cauillandum, quin potius gratiæ mihi agendæ sunt ab uniuerso medicorum cœtu, cum hoc semen quod lachryma dicitur experiri cœperim, & experimenta, quæ uiderim sponte, & gratis omnibus propalauerim. succedat modo alter, & tertius, et quartus, & centesimus, qui periculum faciat, tunc experimentum,

rimentum, & comprobatum, & confirmatum erit. tu uero an credas, uel non credas nihili facimus, fortè nec unũ habes ægrum in quo experiri poßis, nobis uero satis est (qui ab initio mortales ea, qua possumus opera iuuare proposuimus) illa referre, quæ uiderimus, & experimento comprobauerimus, si alij sequentur longo usu prodesse non dubitamus, omne etenim præsidium experientia inuentum, ab uno primo & simplici experimēto cœpit, postea paulatim à diuersis probatum, & confirmatum est, quoad in publicum cesserit usum, tu igitur hæc boni consulere debebas, & id experiri, quod nos tibi gratis, iam à nobis expertũ aperuimus, at si ceruicosus, es & inuidus, ut alij experiantur sinito, & tua cum inuidia rumparis. SE. Ne succēseas obsecro, sed lithospermi qualitates edoceas. BRA. Recentiores calidum, & siccum esse censent ordine tertio, Paulumq; Aeginetam testem adducunt, qui hoc nunquam somniauit, tamen in his qualitatibus à recētioribus non dissentimus. SE. Mirasolis semina sequuntur. BRA. Hoc uocabulo mirasole, quod latine heliotropium dicitur, omnes herbæ ueniunt, quæ ad solem uertuntur, & ferè nubilo die sunt rusticorum horologia, dic, cuius semina collecturus es? quoniam cichoreum, scabiosa iam dicta inter mirasolis species ab authoribus computantur. SE. Illam intelligo, quæ ita uulgari nomine, & simplici apud nos mirasole, apud Thuscos girasole, apud recentes spōsa solis, apud Arabes xerua appellatur, unde oleum de xerua fit, quæ folium platani habet. BRA. Iam accepi quam intelligis, à Dioscoride, & Græcis cici, & croton, à Romanis ricinus appellatur, ob similitudinem, quam eius semen cum ricino animali habet. SE. Quid est hoc animal, quod ricinũ uocas? BRA. Id quod

boues, & equos apprime uexat, nos uulgo cecum nuncupamus. SE. Aliquam certe similitudinem habet, non tamen omnimodam. BRA. Non est opus ita ad amußim cōuenire, modo in aliquibus quadret hanc herbam, uel arborem (nam arborescit, si scapus arbori responderet) nōnulli maiorem cataputiam putant, sed longe decepti, ut in tithymali speciebus edocebimus, Germani vvuadelbaum uocant. huius plantæ semina Ferrariæ habentur frequentia, putat nostrum uulgus infaustum esse, hanc herbam domi habere, ut non poßit esse sine luctu, folia etiam præter semina habere studeas, & præsertim in his montibus calidum est in secundo, & humiditatem habet nonnulli in Ferrariensi agro hoc anno ricini semina terris mandarunt, ut oleum ex seminibus conficiant lucernis aptum, & aptandis lanis. SE. Berberis semina occurrūt. BRA. Berberim etiam colligitis, & non tantum semina. hoc uocabulumq; berberis, & amaberberis, barbara sunt, si autem Serapionem de his loquentem considerabimus, idem esse cum oxyacanthon Dioscoridis deprehendemus. inquit.n. Serapio, est arbor similis arboribus pirorum agrestium, quæ dicitur habaras, nisi quia est minor, & habet multas spinas, & habet fructum similem grano myrti, nisi quia est maior, & rubidus facilis separationis, & habet interius grana, & habet radicem habentem multas radiculas infixas terræ, hactenus Serapio, nunc Dioscoridem eadem ferè dicentem in oxyacantha audias, agresti piro similis arbor oxyacantha est, minor tantum, magisq; spinosa, fructum fert myrti baccis æqualem, confertū, rubentem, fragilem, nucleos intus habentem, multifidam radicem, & altius descendentem, quæ si cum Serapione cōferantur, manifeste deprehendetur, utrosque hos uiros

eandem

eandem picturam lineasse, nisi quia Serapionis colores ineptiores sunt, Dioscoridis autem floridi, hoc est dicendi phrasis. in proprietatibus etiam quòd usum medicum quadrant, ut non sit opus dubitare eadem ab his authoribus tractari: fuere autem qui oxyacantham Dioscoridis eum fruticem esse putarint, quẽ nos uulgo uuam crespinam appellamus, hi autem longe decipiuntur, quoniam crespina uua syluestris piri folia non habet, sed potius in uitem, aut in apij folia inclinat. ualde enim incisa sunt, coniectura uero, qua mouentur, ut berberis sit crispina uua, adeo tenuis est, ut de se ruat, quippe ex nomine tantum sumitur, nam inquiunt crispinam dici quasi acrem spinam, & oxycãtha quasi acuta spina, tu ipse uides, qua coniectura moueãtur. adde in granis multũ differre, quia in oxyacãthæ grano plures acini, in uua crispina unũ solũ inest. uidi ego oxyacanthã acinos quatuor habentẽ, sed pro maiori parte duos habet. unde granũ illud, quo passim utimini Serapionis, et Auicẽnæ, ac cæterorũ Arabũ uerũ berberim, et Dioscoridis, Galeni, ac cæterorũ antiquorũ uerã oxyacanthã esse certus sis, lõge etiã decepti sunt, qui berberim pro aspalato accepere, ut suo loco intelligere licebit, Galli et Poloni arabo nomine utuntur, Germani nonnulli surich, erbsel, Veneti crespino appellãt. SB. *Quo loco hos berberes colligere oportet?* BRA. *In his montibus, quamuis in Bononiensibus etiam, Mutinensibus, & per totum Apenninum copiose uireant, in nostris etiam foueis quandoq; reperitur, in omni solo nascitur: sicco, humenti, aprico, sole patenti, si infrigidioribus locis inuenies, ibi efficaciores fructus parit. Recentes nonnulli berberim frigidum, & siccum in fine tertij esse dicunt, sed Aben Mesuai, ut refert Serapio frigidum, & sic*

cum

cum esse in ordine secundo refert, nobis uero placet, ut in secundo frigidus sit, & in tertio siccus, si qualitates illæ secundæ, & tertiæ considerentur, quæ à Galeno. 8. de simplicium medicamentorum facultatibus scriptæ sunt. SE. Rapæ syluestris semina occurrunt. BRA. De rapa dicemus, si prius te admonuero nõ solum oxyacanthe granũ, sed & radices seruandas, mirorq; te hunc fructum inter semina numerasse. SE. Id factum est, quia ob semina expetitur. BRA. Esto, rapas aggrediamur, nam & ipsæ in usum medicum ueniũt, uos syluestris semina habere curatis, cur etiam non satiuæ? nam & satiuæ semina rei medicæ proficiunt, & caro radicis, & folia, & coliculi cum primum exeunt, immo & ipsa radix muria conditur, aut sapa ut nostræ mulieres, pro quadragesimali obsonio parant, notissimæ sunt rapæ, & satiuæ, & syluestres in Ferrariensi solo crassissimæ, præcipuæ, & dulcissimæ. Columella in Italia cæteris Nursinas præfert, quod non fecisset, si eius tempore Ferrarienses extitissent: tempore enim Columellæ Ferrariense solum ualles erat, Patres autem nostri culturæ assiduitate nunc in fertilissimos campos deduxere natura usque ad hæc tempora repugnante, sed ars naturam uincit, modo impense uelit. alij hyme rapas in pultarijs comedunt, ego etiam per æstatem, ne autem lignescant, colono cuiusdam rusculi mei propè Ferrariam iubeo, ut folia ad radicem usque omnibus rapis demat, ne ad semen perueniant: hoc enim præsidio nõ lignescunt, sed tenellæ, & coctibiles per uniuersam æstatem habentur, nec cibus est æstiuo calori noxius, à Lusitanis saramages uocantur, ab alijs Hispanis napos, sed tam rapã quàm Napum indifferẽter intelligunt, à Germanis vvilt rul, idest syluestris rapa dicitur, à Polonis rzepalyeszna

à Creten=

à Cretensibus uulgo gogilia. Auerrois calidam, & humidam rapam esse censet, sed ex Galeno. 2. de alimentorum facultatibus potius frigidam esse colligitur, nos igitur in secundo frigidam, in tertio humidam rapam esse iudicamus. SE. Dauci semina præsentantur. BRA. Multos in Dauco aberrare uidimus, & omnes nostri pharmacopolæ herbam in Ferrariensi agro frequentißimam pro Dauco accipiunt, quia ita à Rusticis appellatur, quum tamẽ alia res daucus sit. SE. Quæ igitur herba est hæc, quam nos daucum appellamus? & ubi uerum daucum habere potero? BRA. Ea herba, quã uos paßim in Ferrariensi agro, in tritici stipulis crescentem colligitis, & daucum appellatis, à Dioscoride σταφύλινον ἄγριον, id est pastinaca syluestris dicitur, ut apparet si quis eius descriptionem consideret, præsertim ubi dicit flores in medio exiguum quid purpuræ habere, quod tamen in croci colorẽ uariat hoc etiam in omni umbella non est, sed secundum loca innascitur: fuere tamen qui pastinacam illam syluestrem, & daucum idem esse putarẽt, immo & uos pro dauco ea utimini. eos autem aberrare hoc indicium est, quia Dioscorides de pastinaca erratica seorsum à dauco pertractat, & tertiam dauci speciem syluestri pastinacæ comparat, tanquam duo sint, quemadmodum duo esse constat, primam, & secundam dauci speciem non esse pastinacam erraticam ex folijs certum est, quam ob rem quem uos daucum putatis, Daucus non est, sed pastinaca erratica, ut sapor, odor, & reliqua ostendunt. qui etiam daucum pastinacæ speciem asserunt, decipiũtur, quoniam à Dioscoride, antiquioribus ue nusquam describũtur, immo seorsum à pastinaca de dauco pertractat, non tamen inficias eo daucũ, & pastinacam aliqua similitudine iungi.

gi. SE. Quomodo uerum daucū habere poterimus? BRA. Si in Cretam mittamus, & sumptis seminibus terræ mandemus, quod Illustrißimus Princeps Alphōsius fieri curabit, & nunc uehemētius id faciet Hercules Illustrißimus Dux noster, post Alphonsi patris obitum. non solum autē huius Cretici dauci semina, sed & radices in usum medicum ueniunt, aliarum uero specierum semina tantum. illudq́; admonere uoluerim, quum dauci, & syluestris pastinacæ eædem ferè uires sint, ea pro dauco uti licebit, satiua autem pastinaca, ad usum medicum minus ualet. Serapio etiam caput dauci à capite bauciæ, id est pastinacæ eodem modo, quo Dioscorides separauit, sed Pandectarius, ac recentes adeo confundunt, ut daucum pastinacam faciant, & apud Serapionem idem esse daucum, & bauciam, id est pastinacam fateantur, quum tamen de dauco, & pastinaca diuersa capita faciant. non defuere tamen qui semina Meum nuncupata Creticum daucum affirmarent, quibus non dissentirem, si quodāmodo pilosa essent, nonnulli ex Germania bebruurtz appellant, quibus alij aduersantur hoc nomen potius nigellæ attribui affirmantes, ut herba apud ipsos bebruurtz dicta, uera nigella sit. nos ipsis hoc dißidium relinquamus, à Neapolitanis pastinaca syluatica, à Polonis pasternax dicitur. Galenus. 6. de simplicium medicamentorum facultatibus libro daucū uehementer calefacere dicit, unde in. 3. ordine calefacientium reponetur, & in secundo exiccantium. Auicenna in principio tertij siccum esse mauult. SE. Ad Psyllij semen descendamus. BRA. Psyllium notißima herba est in maritimis locis Illustrißimi Ducis nostri adeo frequens, ut ingēs copia Venetias afferatur. hoc diu latuit, opera Nicolai Nicolutij inuentum est, qui singulis annis inde Venetias

netias magnam summam asportabat, & hoc per multos annos fecit, antequã eius loci homines rem cognoscerẽt, & ex semine lucrum quærerẽt, à latinis herba pulicaris dicitur, uel quia pulices fugat, & hoc nomen etiam psyllion pulicem significat, uel quia semina pulicibus similia habet, non tamen adeo in maritimis nasci dico, quin etiã in alijs incultis, & aruis nasci affirmem, est altera cunila pulicaris, sed hæc simpliciter pulicaris uocatur, uerum ne in re tam nota tempus conteratur, ab Hispanis zaragatonam, ab alijs mazracaton. à Polonis psilium appellari monebimus, eam etiam difficultatem prætermittentes, an intus calidum, extra frigidum sit, Galenus tamen in. 8. de simplicium medicamentorum facultatibus in secundo ordine frigidum esse censet, in humiditate uero, & siccitate temperatum. SE. Agni casti semina occurrunt. BRA. Ἄγνος à Græcis, & lygos dicitur, à nostris uitex, & amerina salix nuncupari uidetur, in maritimis nascitur, non dubito uerum agnum castum nos habere, quanquam duo obstare uideantur, primum eius grana piperis acumine carere, aliud quia Ferrariæ in claustro religiosorum sancti Dominici uitex adest, tamen lentos ramos non habet. Scire autem oportet non dici à Dioscoride acredinẽ piperis habere, sed saporem piperi similem, quod manifestissimum fiet, si quis eius semen masticauerit: habet enim nescio quid piperis, at semina ex locis quibus nascitur acriora sunt, & minus acria. quod uero in ramorum, ac uirgarum flexibilitate dubitabamus facile diluetur, quoniam iunioribus, & his, qui propè mare sunt lentor inest, sed antiquiores uitices ob senium flexibilitatem amisere. semina, & folia circa maritima quærantur, & circa fluẽta, ac torrentes in incultis locis. aberrant qui ex sapore

piperis

piperis, quem habet hoc semen, cubebe esse putarunt. Serapio de eo in capite de samanchest pertractat, & arborem Abrahæ appellat, piperella etiam à sapore nuncupatur, antiquæ matronæ, & huius arboris folijs supra toros stratis utebantur, & seminibus, in pultarijs comedentes, sed ne in re tam nota diu uersemur, reliqua secundum ordinē prosequaris. SE. *Quomodo ab alijs nationibus nuncuparetur prætermisisti.* BRA. *Ab Hispanis arbol de paraiso, à Cretensibus uulgo lygia, Poloni latino nomine utuntur, agnus castus, tamē & alij uocant czysczecz. Germani nominant abrahamz baum, ac si dixerint Abrahæ arborem, ut illam nominauit Auerrois.* SE. *Cuius est qualitatis?* BRA. *In uiticis qualitatibus authores satis ambiguos uideo. Auicenna etenim in primo ordine calidū esse dicit, in secundo siccum. Auerrois in tertio ordine calidū, & siccum censet, nonnulli ex recentibus calidum, & siccum in secundo tantum ordine asserunt.* SE. *Quid censes tu?* BRA. *Cum Galeno sexto de simplicium medicamentorū facultatibus calidum, & siccum esse ordine tertio, unde flatus discutit, hinc aduersus uenerē ualere creditur, quoniam flatu uirile membrum, & mulieris pudenda excitantur.* SE. *Pæoniæ semina consequuntur.* BRA. *Antiquißima herba est, à Pæone dicta, marem, & fœminā habet, à Romanis casta herba, à Græcis glycysis, & pæonia dicitur. Serapio, ex sentētia Doscoridis arborem esse scriptum reliquit, nos autem eius interpretem fuisse putamus, qui ita uertit. non enim arbitror, quod Dioscorides dicit caulem duorum dodrantum altitudine, arborem à Serapione dictū esse, sed id potius interpretis uitio uenit. manifeste autem deprehenditur, grana esse, multa, rubentia, parua, punicorum acinis similia, quæ sunt eius se-*

mina

mina. hæc in his montibus altiſsimis, & præſertim pro montorijs, præter ſemina autem radices ſeruabis, quæ in maſculo albæ ſunt, quamuis, & in aliquibus nigræ uideantur, albæ, & nigræ ſeruandæ, quæ ad diuerſa peculiariter conferunt, nos nigra abundamus, & ea pro necandis puerorum uermibus in aqua, decoctione, & puluere utimur, immo, & radix puerulis alligata ab atra bile, & epilepſia liberat, ut in Belliſſario ingenuo comitis Camilli Taſſoni filio uehementi experimento deprehendi. quũ duo ſint pæoniæ genera, mas & fœmina, alterum Germani min vven vvurtz, alterum benonien uocant, quamuis & alij benedictam roſam appellant, Galli uero pinoine. Cretenſes uulgo pygonia, Poloni piuonia nuncupant. SE. Cuius eſt qualitatis pæonia? BRA. Auicenna illam dicit uehementer eſſe calidam, & ſiccam, quod Galeno oppugnat. 6. de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus libro cum dicit eius temperamentum eſſe exiccatorium, & ſubtiliũ partium, haud tamẽ inſigniter calidum, ſed aut ſymmetrum, aut pauxillo calidius. Auerrois quinto collectionum Galeno proxime magis acceſsit, cum illam in primo ordine calidam, in tertio ſiccam dixit, quamuis illos potius probandos cenſeamus, qui in ſecundo ordine ſiccam illam eſſe fatentur. SE. Staphis agriæ ſemina occurrũt. BRA. Noſtræ mulieres ſtraſuſarium dicunt, uocabulum corrumpentes, in nullo alio uſu apud ipſas eſt, quàm ad necandos pediculos. unde à Romanis herba pedicularis nuncupatur, ab uua nomẽ ſtaphij habet. Cornelius Celſus uuã Taminiam appellare uidetur, ſed Plinius capite primo uigeſimitertij libri illos reprehendit, qui ita uocant, ut ſimul Celſum reprehendere uideatur. uerum. 26. lib. capi. 14. uuæ Taminiæ uires deſcribẽs, ſtaphis agriæ no

ſtræ

stræ uires præcise demonstrat, ut postea uisus sit uuam taminiam idem cum staphis agria facere. de hac autem re aliàs. SE. Videris asserere, te in Plinij libris stirpes confundi deprehendisse, tamẽ nulla est in Plinij uerbis discordia, aut inconstantia, at priusquam quisquam, uel ex recẽtibus, uel ex antiquis ignorantiæ condemnandus sit, prius etiam, atque etiam à nobis considerandum est. BRA. Video te contradicendi studio hæc effutire, & non discendi. quis hic Plinium de inconstantia reprehendit? quis unquã me dicentem audiuit hac in stirpe Plinium confusum inueniri? ea, quæ à Plinio dicũtur annotaui, postea ad aliũ locum, & commodum me contuli, in quo Plinium potius defensurus sum, quàm accusaturus, quem præ alijs latinis authoribus semper in honore habui. nam uua taminia apud Plinium plura significat, unde te potius maledicendi animo, & gloriolæ auidum hæc dixisse deprehẽdo, quàm ueritatis indagandæ gratia, ut deinceps aures tibi præstiturus non sim, sed quæ iam cœpimus prosequar. Serapio alberas uocat, fuere qui ueram uuam montanam esse putarint, quia apud Serapionem, ita scriptum reperitur. aberrant uero quia ita ob similitudinem appellatur. in opacis locis ipsam quæras, quamuis & in Ferrariẽsi agro nascatur, Galli stafiragre illam, Veneti herbam piochieram Cretẽses uulgo agriostaphida, Hispani hauãraz, Neapolitani staphisania uocant, Poloni latino nomine utuntur. SE. De staphisagriæ qualitatibus disseramus. BRA. Omnes uno ore consentiunt esse in tertio ordine calidam, & siccam. mordicat si masticetur, & ordinẽ quartum nõ attingit. SE. Cataputiæ maioris semina percurrẽda sunt. BRA. Quum multæ sint thitymali species, quæ à Serapione xeaser appellãtur præcipua, & maior species hæc

est

eſt, quæ cataputia uulgo nũcupatur, hoc ſorte nomen ſortita eſt, quia ruſtici eius ſeminibus in hydrope pro pilulis utũtur, uocant uero antiquiores pilulas catapotia, unde paſſim cataputia pro catapotia proferunt. decipiũtur uero qui cataputiam miraſole à nobis uocatũ putant, quã ob rẽ Serapionis interpres aberrauit uerua, ideſt cataputia interpretans, niſi & ipſe eo uocabulo ad ſignificandũ cicum uti uelit. deridendi ſunt, & cum maximo riſu, qui uolunt cataputiam dici, quia catat puzam, ideſt fœtorem inuenit, nam mire ſoluit, ſed eo uehementius ridendum, quia non ſolum uerbis . ſed ſcriptis etiam mandarunt. SE. Cum uocata apud nos cataputia tithymali ſpecies ſit, ut dixiſti, quæ nam erit apud Dioſcoridem? BRA. Chamrariam eſſe, quandoque putaui, & in multis conuenit, at lathyrim eſſe deinceps animaduerti, & ſemina illa ſunt, quæ me in hanc ſententiam compulere, & folia in caule oblongo amigdalæ ſimilia . Ferrariæ uirent, ſed in montibus efficacior . non tantum ſemina, ſed radicem, & ramulos ſeruabis, paſtillos etiam, hac erui farina , & lacte facias, immo & ficus ſerua in quibus lac ſtillauerit . notiſſima herba eſt, & notiſſima ſemina. Ruſtici Ferrarienſes herbam dalle carpanede uocant: noſtræ mulieres pro comperto habent ſi quis ſemina deorſum trahens euulſerit, & ea comederit per inferna purgari, ſi uero ſurſum per ſuperna, ut plurimum uero accidit hæc grana comedentes per ſuperna, & inferna purgari, cauſam afferunt, quia grana ſurſum, alia deorſum ducta ſint . decipiuntur etiam plures Germani, qui apud ipſos cataputiam vndelbaum dici contẽdunt, quum potius eo uocabulo cicum ſignificent, ſed hi eodem errore ducuntur, quo Serapionis interpres, uere autem noſtra cataputia , quæ apud Dio-

ſcoridem lathiris eſt, à Germanis ſpringkorner dicitur, ac ſi dixerint granum ſaltare faciens, quippe ſpring ſaltare faciens eſt, korner granum, fortè quia ſoluens dolores facit, ab Hiſpanis cazaputia, à Cretenſibus uulgo colocochia.i.cholerā purgās, à Polonis Tirlicz, uel rilczelino, uel snazen dicitur. huius herbæ ſeminibus ab aſcite Magnificū Iuliū Boiardū Scādiani comitē optime indolis iuuenē liberaui. SE. Cataputiæ qualitates enarra. BRA. A Galeno non referūtur, tamē de tithymali generibus dicūt ualenter calefacere, & exiccare, unde ordine tertio intenſo calefaciunt, & exiccāt, & ad quartum uſque accedunt, quippe & exulcerant, & urunt. de cataputia idē iudicium erit, in tertio ordine intenſo calida, & ſicca exiſtimabitur, & eius lac ad quartum accedit, nam carni applicatum illam ſtatuto tempore exulcerat. SE. Ad linguæ auis ſemina ueniendum. BRA. Nuſquam (quod ſciuerim) apud Græcos authores auis linguam repperi, quā alio nomine recentiores linguam paſſarinam appellant. at linguam hirci, linguam bouis, linguam canis inueni. Arabes tamen de ipſa pertractant, ut Serapio in capite de liſen baſa fit.i.de lingua auis, diſſidentq́; in hoc ſemine recentes, ut nonnulli ſemē quoddam herbæ mihi ignotæ accipiant, quod ſemen paruum eſt, communis tamen pharmacopolarum uſus eſt fraxini ſemen habere, multi uero recentes decepti ſunt Auicennam male intelligentes, quippe Auicenna libro tertio fen.20. capite.18. linguam auis inter medullas numerat, ipſi uero ex hoc putant linguam auis medullam eſſe, quum ipſe ibi per medullas ſemina intelligat, quæ carnem, & pulpam (ut ita dicam) habent, unde & inter medullas, grana pineæ, & auellanas numerat, adde in ſecundo libro manifeſte animaduer

inaduertisse, linguam auis folia habere, & Serapio linguam auis arborem esse fatetur, sed an Arabum lingua auis fraxini semen sit, ut multi accipiunt dubito: quippe Serapio nullum ex Græcis adducit in lingua auis enucleanda, sed solum Arabum testimonio utitur, tamen de fraxino Dioscorides pertractauit, præterea semen fraxini non est extra rubrum, intus album, per semen medullam, & non corticem intelligendo. tamen si alia considerentur, idem præcise sunt, quoniam est arbor similis arbori dirdar, idest ulmo, nisi quia folium eius est oblongum simile folio amygdalæ, ita autem habet fraxinus, sequitur, & fructus, qui dicitur lingua auis, sunt palmites qui diuiduntur in cherarnub similes folijs oliuarum, nisi quia sunt minores satis, & intra quamlibet cherarnub est medulla similis linguæ auis exterius rubra, & interius alba declinans paululum ad citrinitatem, & sapor eius est acutus, mordicans cum pauca amaritudine, & non apparet mordicatio eius postquam bene masticatur, hactenus Serapio. omnes has conditiones in fraxini semine repperi, nec moueor quod extra non sit rubrum, quia saltem in citrinum (ut Serapio dicit) inclinat, non moueor etiam quòd Græcos non adduxerit, de fraxino tamen loquentes quia de fraxini semine nusquam tractarunt, ideo lingua auis Serapionis nostra fraxini semina esse fateri cogor. SE. Supra dirdar pro ulmo interpretatus es, tamen recentes fraxinum intelligunt. BRA. Hi decipiuntur, qui dirdar pro fraxino intelligunt, ut Pandectarius inter alios fecit, nam dirdar apud Serapionem ulmus est, ut cum legenti patet, & Dioscoridi comparāti, inquit enim Serapio ex Dioscoridis sententia folium huius arboris, & summitates eius, & cortex ipsius sunt stiptica, quan-

do ſit emplaſtrum cum folio eius trito, & mixto cum aceto confert ſcabiei ulceroſæ, & conglutinat uulnera, & cortex arboris conglutinat uulnera plus quàm folia, quando ligatur ſuper uulnera, ſicut ligantur corrigiæ, & cætera, quæ ſequuntur, audias modo Dioſcoridem de πτέλεας. i. ulmo eadem dicentem, adſtringunt ulmi folia, cortex, & rami, medentur lepris ulmi folia conciſa, & ex aceto illita, uulnera eadem conglutinant, multoq; magis cortex pro uinculo, & faſciola uulneri circũuolutus, in reliquis etiam Dioſcorides, & Serapio conueniunt, & in fine eius folia pro obſonijs comedenda animaduertunt cum quibus etiam Auicenna ſecundo canone eſt, ut errorem hinc Pandectarij ſupinum uideas dirdar pro fraxino, quum ulmus ſit interpretantis, dicentiſq; fraxinum dirizdar à Græcis dici, quum ipſi μέλιαν fraxinum uocent, ex ulmo etiam uermiculi fiũt, quum folia ueluti ueſicæ intumeſcunt, ideo arbor cimicum ab Arabibus dicitur, in ſumma igitur ſemen fraxini lingua auis Serapionis putãdum eſt, quam apud Græcos eſſe deſcriptam inuenire non licuit. SE. Eam igitur omittam, quia apud Græcos incomperta. BRA. Immo eam colliges, alioqui nec manna, rhabarbaro, caſsia, ſena, zuccharóue uti oportebit, quæ nuſquam ab antiquioribus deſcripta ſunt. SE. Cuius eſt qualitatis hoc ſemen? BRA. Recentes calidum in primo ordine, & humidum cenſent, tamen Auicenna in primo quidem ordine humidum dixit, ſed in tertio calidũ, cui potius conſentire uolumus, uel ſaltem in ſecundo intenſe calidum eſſe. SE. Sementinam legere curemus. BRA. Hanc & ſemen Alexandrinum uocant, quoniam Alexandria Venetias ferri dicunt, cuius autem herbæ ſemen ſit adhuc apud me incompertum eſt, & ſub iu-

dice

dice lis eſt ob ſuæ paruitatis excellentiam ſementinæ nomen acquiſiuit, recentes apud Arabes ſementinam inueniri fatentur, & eſſe ipſorum xanabel, quod ab ipſis ſementina interpretatur. at reuera ſemen id à nobis ſementina uocatũ xanabel Serapionis eſſe non poteſt, aut Auicennæ. inquit enim Serapio xanabel, uel ſemẽtinam (quia hoc nomen ab interprete illi attribuitur) eſſe arenæ ſimilem, & uehementer interficere uermes, additq; ex Almanſoris ſententia unam ex his rebus eſſe, quæ de cœlo ueniunt, immo ex hac arena ollas conſolidari tradunt, & potiſsimum colligi, quando pluit, Serapio glaucedinem illi attribuit. Auicenna ruborem, qualem lapis in felle bouis repertus habet, unde Arabum ſementina terra eſt, qua autem nos utimur ita uocata ſemen eſſe conſtat. apud antiquos Græcos nondum repperi hoc ſemen, fuere qui abſynthij ſantonici ſemen eſſe putarent, & ſantolinam uocari. tamen ſeriphij abſynthij ſemina contra lumbricos Venetias afferunt, ſed hæc non ſunt, quia maiori mole clauduntur. SE. Hoc argumento uti uideris, ut probes ſementinam non eſſe ſantonici ſemen, quoniam ſeriphij abſynthij ſemina maiora ſunt, quàm ſementinæ, & diuerſa, ex eo enim non colligitur ſementinam non eſſe abſynthij ſantonici ſemen, quoniam eadem res non eſt abſynthium ſeriphum, ſiue marinum cum abſynthio ſantonico, quod in Gallia prouenit. BRA. Video te animo quodam maligno commoueri, & potius libidine gloriolæ dubitare, quàm ueri ſcientia, neſcio an tam longeuus argumenta adhuc colligere didiceris, quis probat ſementinam non eſſe abſynthij ſantonici ſemen, quoniam eadem res non eſt abſynthium marinum cum ſantonico? ita nõ colligo, at aliquos refero qui ita putarent ſemen=

tinam, qua utimur esse santonici semen, quod nec probo, nec improbo, sed deinceps addo afferri Venetias absynthij seriphij semina, & esse in usu pro lumbricis. at semina hæc nostram sementinam esse dici nō possunt, quoniam maiora habet semina absynthium seriphium, quàm sint nostræ sementinæ semina, hoc ipsis oculis cernitur, addo & nunc santonici absynthij semina esse longe maiora, quàm nostræ uocatæ sementinæ semina, sensus rem ipsam ostendit. SE. *Ignoro quomodo apud Serapionem dici possit terra, quod canabel uocat, uel canabil Auicennæ, quoniam in herbarum, uel seminum classe scribuntur non terrarum.* BRA. *Hæc puerilia sunt, lege authorem, quem interpres mutauit, & eius uerba intellige, & potissimum cum dicit ollas aptari. at cum homine garrulo, & qui potius apparere uult, quàm esse, non est opus digladiari.* SE. *Vt lubet igitur prosequaris.* BRA. *Alij cumini semen esse putarunt, non possunt autem satiui esse. ideo syluestre inueniunt, cuius tamen semina maiorem molem habere constat, minus sunt dauci, ut nonnulli arbitrantur. nos re uera incerti sumus cuius herbæ semen sit hoc minimum quod sementina uocatur, constat enim Arabum canabel non esse, & apud græcos non inueni, neque enim uidetur alicuius absynthij semen, ideo huius rei pertractatio in aliud tempus differatur, quoniam in locum, in quo nascitur determinate mitti curabimus, Galli barbontinam uocant, Hispani semente da lumbrices, Romani seme sancto, Neapolitani sementella, Veneti semenzina, quam ex Syria conuehi faciunt, Cretenses uulgo ormigobotanon nuncupant, tamen de semine opus est distincte loqui, & de musco, à Polonis zieleod glist, uel uorūnraut dicitur.* SE. *Cuius est qualitatis?* BRA. *In*

secundo

secundo ordine intenso calida, & sicca. SE. *Anethi semen occurrit.* BRA. *Adeo notum est apud Ferrarienses anethum, & in cibarijs frequentissimum, ut de eo nihil aliud dicendum uideretur, nisi Marcellus occasionem dedisset, ut de ipso miremur. Dioscorides enim inquit anethi radices coqui, ut Pastinacæ radices, hoc totum expungit, non alia de causa, quam quod ipsi uidetur anethi radices pastinacarum modo coqui non posse tu ipse huius rei iudex esto. Paulus Aegineta ipsum uocat anemion, Galli anet, Lusitani endres, Germani dill. Poloni svvoysni kopr, alij anysz, Cretenses uulgo agnitho, Hispani aneldo.* SE. *De anethi qualitatibus agamus.* BRA. *A Galeno in sexto de simplicium medicamentorum facultatibus dicitur adeo calefacere anethum, ut sit aut secundi ordinis intensi aut tertij remissi, exiccans uero ordinis est, aut secundi incipientis, aut primi finientis. Auerrois quinto collectionum longe deceptus est, quoniam inquit esse calidum in primo ordine, & parum attingere de secundo, sed cum acre sit, & caliditas sensu percipiatur, propterea in ordine tertio, uel saltem in secundo esse cōstabit, unde nisi addidisset aut parum attingere de secundo, putassem Auerrois contextum mendosum esse. immo aliud nihil putare possum, quam in Auerroi legi oportere calidum esse in secundo ordine, & parum attingere de tertio, quoniam uel erit in secundo intense, uel in tertio, nam ut in reliquis cum Galeno conuenit Auerrois, ita & in hoc conuenire credendum est.* SE. *Citri & dactilorum semina consequuntur.* BRA. *De his in præsenti nihil, quoniam paulopost in fructibus tractabuntur.* SE. *Ergo cicutæ semina colligamus.* BRA. *Et cicutam in herbis edocuimus.* SE. *Iam recordor ad lappam ueniamus.*

BRA. Nos uulgo quoniam uestibus inhæret, grapellas uocamus, à Dioscoride aparine dicitur, & philanthropos, quia hominum uestibus inhæreat, ac si hominem amet. SE. Non est Dioscorides, qui illam uocet philanthropō, sed Aëtius. BRA. Nondum oblitus es nugari, & uerba incassum proijcere? quis inquit Dioscoridem id scriptis reliquisse? immo Galenus est, qui secundum aliquos illam ita uocat quinto de simplicium medicamentorum facultatibus. Disce (obsecro) non nugari ut uidearis, nam frequenter ostendisti, te quadam inani gloriola moueri, cum hæc reprehendere conaris. notissimæ sunt apud nos lappæ, in Ferrariensi agro colliguntur, maior, & minor reperitur, & præter id in uarijs herbis lappæ sunt, sed uera lappa ea rotunda est qua in officinis utimini, aparine à Dioscoride uocata, de qua Plinius. 21. capite. 17. inquit in ipsa nasci occultum florem, qui semē parit, ut animalia, quæ intra se pariunt. A nonnullis Germanis kliten dicitur, ab alijs kleb kraut, ac si dixerint tenaciter inhærens herba, à Polonis pszialoboda dicitur, à Galeno sexto de simplicium medicamentorum facultatibus, modice extergere dicitur, & desiccare uidetur in primo ordine calida iudicatur, et in secundo sicca, alia tu prosequaris. SE. Iam seminibus ultimam manum imposui. BRA. Tā pauca semina in officinis habetis? SE. Hæc tantum nisi aliqua incuria omiserim. BRA. Post semina quæ sequuntur? SE. Fructus, sed prandij hora instat, & iam sol propè meridiem inclinat, ideo laudarem, ut in umbram illius mespili secedentes pranderemus, mox cum uesperascet nostro labori uehementius intendemus, interim collectis herbis ordinem dabimus. BRA. Si herbario placet nunquam à tua sentētia dissentire potero. HER. Quid mihi

gratius

gratius contingere potuisset? ut interulam hanc sudore madidam exuere concedatur, & adeo bibere ut hanc sitim extinguam. SE. *En quomodo natura certam umbrã parauit, qua post prandium meridiari licebit.* HER. *Hic riuulus summe placet, in quo membra lauare disposui.* BRA. *Ne laues prius quam sudor cessauerit.*

DE FRVCTIBVS, QVORVM IN FERRARIENSIBUS *pharmacopolarum officinis opus est.*

SE. *Satis meridiati sumus, & sol in occasum præceps uergit, non erit ab re fructus omnes necessarios hodie colligere, ut saltem hac hebdomada in patriã reuerti liceat.* BRA. *Enumerare incipias.* SE. *Baccæ lauri primum locum inter fructus possident.* BRA. *Cum lauri folia colligebas, baccas etiam in loculum posuisti, & tam breui tempore oblitus es?* SE. *Nunc recordor. Pineæ secundo ordine incedunt.* BRA. *Melius est circa mare descendere, nã loca salsa amat. nudos nucleos nunquam seruarem, sed pineam ipsam, quoniam suæ domi melius seruãtur, quàm quum exerti aëre circundantur, quippe ita nudi ex debili causa rancidi euadũt.* SE. *Curribus indigeremus.* BRA. *Nucleos saltem duriori cortice indutos habere studeas.* SE. *Hoc fiet.* BRA. *Nunc quatuor pineæ genera distinguere omitto, hoc nostrum prædurum colligere suadens, à Gallis pignons, ab Hispanis pinhones uocantur, Cretenses uulgo fructum cucuneriã, arborem cucuneram uocãt.* SE. *De pineæ qualitatibus disserito.* BRA. *Nunc de nucleo solum loquamur, recentes inquiunt esse calidum in secundo siccum, in primo, at Galenus. 7. de simpliciũ medicamẽtorum facultatibus, id uidetur in medio calidæ, & frigidæ*

frigidæ qualitatis ponere, cum tamẽ dici poßit Galenum de illo loqui, qui aqua maceratus est, nempe non maceratus acrimoniam habet, ideo & calidus est, post macerationem temperatus est in actiuis, & humidus, & ideo medicamentum esse asperitati leniendæ aptum. SE. Auellana sequitur. BRA. Nucem auellanam è corylo nasci constat notißimus apud nos fructus, atque frequentißimus, à Latinis prænestinæ, à Græcis ponticæ dicebantur, aliquæ rotundum nucleum habent, quæ citius maturescunt, & adeo præcoces sunt, ut horarios fructus antecedant, aliæ oblongum, quæ tardius ad maturitatem ueniunt, & diu seruantur; ad eadem ualent. in Neapolitano regno sunt, qui ex auellanis prouentum maximum habent, quorum unus erat nobilis Belingerius Caldorus, qui adeo ingentem prouẽtum singulis annis ex auellanis habebat, ut me pudeat referre, ne à uero dissentire uidear, & nunc Illustrißimus Franciscus Estensis apud Auellinum oppidum in agro Neapolitano magnam copiam habet. ex auellanis exteriores cortices uirides, & capsam illam ueluti ligneam sub putamine positam, & pellem fructum tegentem seruato, hæ & si in montibus nascãtur, tamen ne alicubi, quàm Ferrariæ quæras, ubi ingẽs copia uirescere cœpit, Hispani latinum imitantur auellanas dicẽtes, & Galli auellenes, Germani autem haselnus, id est nuces leporũ uocant, quoniam his animalibus sapiant. nos Ferrariæ nizolas, alij nusellas dicunt, Romæ noche uocantur, Neapoli nocelle, in Creta uulgo leuthocaria uocantur, Poloni orzechi nuncupant. SE. De primis auellanarum qualitatibus disseramus. BRA. Auerrois. 5. collectionum nucibus iuglandibus illas comparat. Auicẽna inquit decliues esse ad caliditatem quandam, & siccitatem paruam, & nonnulli

nulli recentes illas in secundo ordine calidas faciunt, & siccas, tamen Galenus. 7. de simplicium medicamentorum facultatibus, illas potius frigidas esse censet, cum de nucibus agit, propè finem illius partis, cum de pontica nuce tractat λεπτοκάρυον, à Græcis nuncupata, tunc inquit plus habet essentiæ terrestris, & frigidæ, itaque etiam gustanti austerior tum cortex, tum planta, tum fructus apparent, cætera magnæ nuci similes sunt, ut uideatur frigidas, & siccas facere auellanas. SE. In quo erunt ordine? BRA. Maturum fructum primum ordinē excedere nō arbitror, immo antequam sit maturus humiditatem habet, & crassam. SE. Amygdalæ occurrunt. BRA. Notißimæ sunt amygdalæ, siue dulces, siue amaræ sint, ex Apulia copia ingens affertur, non minori prouentu, quàm auellanæ. inter dulces meliores sunt, quas Ambrosinas à loco uulgus nostrum appellat, adeo facillime degenerāt, ut apud nos copia educari nō poßit. Radices amaræ colligito, & gummi arboris præter nucleos, dulcis uero solum nucleos, & cum putamine seruato. ab Hispanis almēdras à Gallis almendes, à Germanis mandel appellantur. Poloni illas uocant migdali. de amygdalarum qualitatibus hæc dicere conuenit, dulcem secundum Galenum in caliditate, & frigiditate temperatam esse, & in primo humidam, nonnulli tamen iudicant in primo ordine esse calidas, & profectò eius oleum calorem habet, licet temperatæ sint amygdalæ, nam ad primū ordinem attingit: amaræ uero sunt in secūdo ordine calidæ, & in siccitate eundem ordinem attingunt. SE. Carpobalsamum sequitur. BRA. Balsamum arbusculam esse in Iudæa tantum, & Aegypto nascentem constat, quamuis Pausania in Arabia gigni scribat, authores in eius figura dissentiunt. Dioscorides

rides folia rutæ habere censet. Plinius *lib.12.cap.25. uiti similiorem esse dicit, quàm myrto; quamuis textus mendosus uideatur, ut rutæ legi oporteat.* Pausanias *quãdoq; myrto, quandoque sampsuco comparat, etiam mendosus est* Plinius, *quum tuberi eius folium assimulari inuenies, tum rutæ etiam legas, de hoc quicquid sit odoratissimum præ omnibus arbusculum est* Hierichunte Iudeæ oppido, *quod uulgo* Ierico *dicitur (olim urbs ingens, nũc octo magalijs referta) potissimum ortum. ne hic balsamum quæras, sed cum nauis, quæ singulis annis* Hierusalem *petit,* Venetijs *soluet, aliquem in* Iudæam *mittes, ut ex balsamo tria portet: fructum, id est semen carpobalsamum appellatum.* SE. *Carpobalsamum habeo.* BRA. Est'ne id, quod *& alij pharmacopolæ pro carpobalsamo uendũt?* SE. Id *inquam.* BRA. Ita *carpobalsamum est, ut tu es musca, quippe balsami semen ruffum est.* SE. Et *nostrum eodem colore insignitur.* BRA. *Plenum est carpobalsamum.* SE. *Nostrum autem uacuum existit.* BRA. Propter hoc Dio*scorides semine hyperico simili adulterari tradit, quod* Petra Palestinæ *oppido affertur, & inane est, adde carpobalsamum ponderosum esse, & feruidæ in gustu mordacitatis.* SE. Hæc *à nostro absunt.* BRA. Immo *gustum uini habere uidetur, & redolentiam succi balsami.* SE. Nec *ista nostro carpobalsamo insunt.* BRA. Non *est ergo carpobalsamum, quod à* Polonis *ouocz balsamori dicitur.* SE. Non *ut uidetur.* BRA. Verum *solo semine contentus esse non debes, sed liquorem, uel succum, quod opobalsamum uocant, habere studeas.* SE. Iam *habeo, & ualde antiquum.* BRA. Est'ne *liquidum?* SE. Liquidissimũ. BRA. *Ob hoc balsami succus non est, quia uetustate crassescit.* SE. Abs *te boni opobalsami notas scire percupio.*

BRA. Id libẽter edocebo, & ſingulatim oẽs notas exponã
Primo recens liquor probatur,
2 Habens firmum, & ſyncerum odorem.
3 Non habeat ſaporem acidum.
4 Citiſsime penetret.
5 Habeat leuorem.
6 Linguam leniter adſtringat, & erodat.

Verum quia pluribus modis adulteratur, opus eſt indicia præuidere, quibus deprehendi poſsit, nam uarijs unguentis, & oleis ſuo ſemini mixtis eius odorem præſentant, ut balſami ſuccus eſſe uideatur, quibus autem deprehẽdatur uerus balſami liquor edocebimus.

Primo ſi laneæ ueſti inſtilletur uerum opobalſamum maculam, aut maculæ ueſtigium non relinquit, adulteratum inhæret, & maculam facit.

2 Syncerus ſuccus ſi lacti inſtilletur, coagulat, quod non facit adulteratus.

3 Aquæ, aut lacti infuſus ſyncerus, quamprimum diſijcitur, & lactis modo albeſcit, adulteratus fluitat ſicut oleũ, denſaturq́; & ſtellæ modo radiat.

4 Syncerus uetuſtate craſſeſcit, & bonitatem ſuam amittit, ideo quod habes à uero balſamo diſtat.

5 Hi decipiuntur qui putant uerũ balſami liquorem eſſe ſi proiectus in aquam deſcendit, mox ſparſus emergit, hic autem adulteratus eſt. SE. *Nondum huius ſucci colorem edocuiſti.* BRA. *Id ſtatim fiet, ſi in primis animaduertes, ſub cane, huius loci incolas plenum corticem incidere, plenum autem uoco eam partem, qua turgere uidetur, id antiquitus ferreo cultro fiebat, uel ut authores prodidere unguibus ferreis: inſtrumenta enim erant unguibus ſimilia, ſed quia uiſum eſt ferro plãtam lædere, propterea ad uitrum*

uitrum, lapides, osseos'ue cultros conuersi sunt. non est autem opus corticem transire, aut pusillum disquamare, succus tota æstate manat, quem lana, aut gossampio colligũt & reponunt in cornu, postea in fictile, nunc colores ex ordine audias.

Primo quando mustum est, colorem candidum habet, & oleo crasiori similis est, deinde rubescit.

Postea durescit, & translucidus fit.

Optimus lachymæ color est modice ruffus.

Secundus in bonitate candidus.

Peior uiridis.

Pessimus niger.

Omnes hos colores, secundum principia, & fines, quibus exire incipit, habet, & etiã magis, ac minus molle existit.

Tertium quod in officina habere debes, xilobalsamũ est.

SE. Priusquam ad alia te conferas, huic, quod dicturus sum mẽtem adhibeas, unum à Ruellio indicium scribitur, quod à nonnullis potissimum esse existimatur, id uero est, si ferrum opobalsamo perũgatur, & igni apponatur ardere, quod alia olea non faciunt, uidetur'ne tibi hoc esse exquisitum balsami indicium? BRA. De his recentibus miror, qui hoc indicium magnifaciunt, nam plurima olea parare scio, quæ supra ferrum, & lignum, & lapidem ardebunt, & quæ sub aqua, immo & aliqua quæ supra manus ardebunt, & minime comburent, sed nunc experiamur. habeo opobalsamum ex illo, quod habetur in archiuis Illustrissimi Alphonsi Ducis Ferrariæ, culter inungatur, lampadi appone uides'ne ardere? SB. Equidem non uideo, quamuis eliquetur, ac decidat, tamẽ flãmam uisum est emittere, & forte uerum balsamũ non est. BRA. Cur non uerum si alias balsami notas habeat, & à nullo præterquam

terquam à Ruellio hæc inter opobalſami notas ponãtur. S E. Adeo egregie adulteratur, ut Galenus primo de Antidotis exercitatiſsimos etiã fallere moneat. B R A. Excercitatos hac in re non arbitror poſſe decipi, ſi ſapiant, & non ſint hebetioris ingenij. S E. Sperarem nũquam decipi poſſe, & ſi parum exercitatus ſim, ſed unũ eſt, in quo ualde ambigimus, quomodo ſupra laneam ueſtem imponi poßit balſami liquor, & non inficiat, nam & pura aqua pãno inſperſa inficere uidetur. B R A. Authores hoc modo intelligendi ſunt, poſteaquam balſami liquorem ſupra laneam ueſtem ieceris, & illam laueris, macula non relinquitur. S E. Eodem pacto cuiuſcunque generis olea, ſi ſupra laneas ueſtes proijciantur, ab his deterguntur, qui ex lotione cuiuſcunque generis maculas detergere ſciunt. B R A. Id ſimplici aqua non fit, ut Dioſcorides atque Galenus intelligũt. S E. Cuius eſt qualitatis balſami liquor? B R A. Galenus. 6. de ſimplicium medicamentorum facultatibus calidum, & ſiccum ordine ſecundo eſſe docet, quẽ & Græci alij, & Arabes ſequuntur. Auicenna tamen ordinem tertium attingere putauit. S E. Cur à Dioſcoride calidiſsimus dicitur? nam calidiſsimum quarti ordinis caliditatem ſignificat, uel ſaltem tertij intenſi, at Galenus illos decipi monet, qui illum calidiſsimum eſſe cẽſent, nam partium tenuitate decipiũtur. B R A. Si Hermolai interpretationem ſequeremur, qui inquit ualidiſsima ſucco natura exulceratoriaq́ ; , diceremus ex his non intelligere Dioſcoridem balſami liquorem calidiſsimum eſſe , ſed id tantum dicit de balſami natura, quòd ualidiſsima ſit , & etiam ad calefaciẽdum ob partium tenuitatem: at ex hoc non dicit eſſe calidiſsiman . at ſi Marcellum ſequamur, qui hoc modo interpretatur, uires in tota balſami natura

effica=

efficacißimas habet liquor egregia ad calefaciendum potestate, non habetur, quod calidißimus sit succus, sed quod egregiã habet ad calefaciẽdum potestatem, id uero partium tenuitate facit, uerum contextus Græcus, id magis exprimit in quo dubitasti, inquit uero δύναμιν δὲ ἔχει ἐνεργεστάτην ὁ ὀπὸς θερμαντικώτατος ὤν, quem si ad uerbum interpretemur, ita dicit, uim autem habet efficacißimam succus calidißimus cum sit, intelligimus uero omnium partium balsami simul comparationem fieri, ut fructus, ligni, & succi, idq; dicat præ omnibus partibus succum habere uires efficacißimas, cum sit calidißimus omnium. s. partium balsami, itaque non simpliciter dicetur calidißimus succus, sed omnium partium calidißimus tamen si Dioscoridem simpliciter de calefactionis ordine interrogares, secundum ordinem relaturum non dubitamus. SE. Immo simpliciter dicit θερμαντικώτατος ὤν id est calidißimus existẽs, & partes simul non comparat. BRA. Prædicto modo Dioscorides defendi posse nobis uidetur, & Galeno concors reddi, si aliam meliorem uiam habes illam in medium adducito. SE. Dici posset ratione tenuitatis partium calidißimum esse, quoniam uehementer penetrat, & non ratione ordinis calefacientiũ. BRA. Quomodo lubet dicito, mihi potius arridet prædicta horum authorum concordia, quam recipere neminem cogimus, sed quisque liber est nouam inueniendi. SE. Hoc habeo. BRA. Redolet'ne balsami odorem? SE. Minime. BRA. Propter id xylobalsamum non est, tamen ut exquisitius noscere poßis subsequentibus notis deprehenditur.

Primo Balsami lignum recens sit.

2 Habeat Sarmentum gracile.

3 Rubens.

4 Odora=

4 *Odoratum.*

5 *Quòd exiguum liquorem* Balsami *spiret.*

SE. Deinceps *non decipiar.* BRA. Nec *quartam rem ex balsamo despicias.* SE. *Quid hoc est?* BRA. Cortex. SE. Non'ne *ligno cædē uires insunt?* BRA. Non *quidem, præsertim si is cortex sumitur, qui è regione incisuræ ĕ, ubi manat liquor, & lachryma emergit. quippe excoriari contingit, unde ut liquor cæteris partibus efficacior est, ita cortex surculis, & semina corticibus. at quia cortex difficilius habetur, quoniam plantæ excorticatæ intereūt, propter id ab authoribus tria tantum haberi curantur, xylobalsamum, carpobalsamum, & opobalsamum. i. balsami lignum, fructus, uel semē balsami, succus, liquor, uel lachryma balsami.* Hæc *de balsamo dicenda erant, facile haberetur, si qui illuc mittuntur doctrina pollerent, nec essent penitus ignari, hi enim statim credunt, quum à mercatoribus dicitur id esse opobalsamum, quod uendūt, ipsi uero ita cognoscūt, ut qui nunquā uidere, unde opus esset uiros doctos, atque experientia præditos pro his rebus emēdis, qui indicijs res cognoscerent, & mercatorum, uel horti custodum etiam iureiurando nō crederēt. at optimi uiri nusquam inuenirētur nisi magno precio, ideo eis adamußim satisfacere uoluerim, deinde res suo precio uendere. i. quicquid insumpserint, elicere, & præter id aliquid superlucrari. ego si ægrotarem huius sententiæ sum: res ueras decuplo precio emere uoluerim, quàm non ueris donari, etenim non modo non proficiūt, sed plerunque maxime obsunt, ut poßint ægro mortem accelerare.* SE. Caryophyllus *sequitur.* BRA. A *nobis pertractanda non erāt, quæ oculis nunquam uidimus, sed tantum legimus, & ab alijs (tamen fide dignis) audiuimus*

in India particulari quodam loco arbusculum nasci tradunt, flores ferentem, qui in hoc granum terminantur, nigrum, odoratum, subamarum, in longum tendens, quo antiquitus pro odore utebantur, nunc & in ganeam transiuit, ut sine caryophyllis despiciantur dapes, uulgo etiam caryophyllus nuncupatur, à Gallis girofle, ab Hispanis clauo, ab alijs clauos de somer, à Germanis negelin, à Polonis guozdziki. Paulus Aegineta caryophyllum uocat, quasi habens folia nucis, quæ odorata sunt, & optimi gustus, adeo ut nostri pharmacopolæ, & etiam Veneti his folijs pro malabathri folio utantur. Lusitana nauigatio caryophyllorum syluas inuenit tamē ingētes, & ubertim refertas, ut apud nos salicũ syluæ reperiuntur, apud Dioscoridem non reperitur. Galenus, & Paulus de eo pertractant, à Serapione carũfel uocatur. Recentes uocabulum corrumpunt barnafel dicentes, id esse constat, quod Auicenna secundo canone, safar appellat. Venetijs arbusculum in fictili plantatum uidi, folia ad foliorum nucum similitudinem lata erant, non tamen adeo longa, propterea caryophyllus .i. nucis folia habens ab aliquibus uocatur, at non sunt præcise similia, ob id Galenus secundum Serapionē in trāslatione quadā Albacharich animaduertit non dici caryophyllum quia sit folium nucis, sed quicquid author ille censeat folia in nucis similitudinem uergere oculis deprehendi, & nunc domi habeo folium latius tamen nucis folio. SE. Galenus ergo de illo uerba non fecit? BRA. Non quod sciuerim in libris proprijs, sed quandoque est facta mentio in spurijs. SE. In quibus, nisi referre te pigeat? BRA. In secũdo de dinamidijs caryophylli mentio fit, ubi de caryophyllato agitur, & bis fit eiusdem caryophylli mentio in tertio de dinamidijs. Ve-

netijs emendum hoc granum, nec lignum eius omittere oportet, atq; gluten, quod ex eius arbore emanat. i. quoddam glutini simile, si haberi possent, folia etiam seruanda, utpote fructu debiliora, & in debilioribus ægritudinibus magis quàm fructus efficacia. probantur caryophylli, quorum color aliquo modo in ruffum inclinat. iubent Arabes ex sua arbore singulos manibus sumi, referunt Lusitani, horum nidorem per longum spatium in mari sentiri. SE. Cuius sunt qualitatis caryophylli? BRA. Recentes in secundo ordine calidos, & siccos faciunt, nos in medio tertij, & in tertio intenso esse iudicamus. SE. Piper sequitur. BRA. In pipere etiam, quod Serapio sulfel appellat, id dicam, quod de caryophyllo aperta fronte fassus sum, de his rebus nobis incognitis antiquioribus credendum esse, quæ ab Arabibus dicuntur omnia à Dioscoride deprõpta sunt. nos (ut ad sensum ueniamus) quatuor piperis genera habemus, longum, album, nigrum, syluestre, tria prima genera ex una arbore nasci Dioscorides testatur, & ita ratio dictat. facit enim piper ueluti siliquã, quæ si colligatur, prius quàm parua granula, quæ in ipsa apparent, crescant, & arescant, longum piper appellatur, quum uero creuerint, si aliqua grana absque maturitate legantur album piper dicitur, si enim longum piper fregeris statim alba granula parua uidebis, quia immaturum est, quum uero maturitatem acquisiuerint nigrescunt præsertim quum ui solis exiccantur. id autem fabulosum est, nigrum esse piper, quia igne aduratur, nã ob serpentum copiam colligi nõ potest nisi prius igne fugẽtur, qui piperis grana nigra, & rugosa efficit, sed hæc anilia fabulamenta sunt potius quàm uera, constat ui solis denigrari, & rugosa euadere, quæ prius uiridia erãt.

Venetijs piperis arbuſculum uidi albæ uiti ſimilem, quæ in ſepibus naſcitur. Luſitani, qui Indiæ partes luſtrarũt, fatentur ſe multa arbuſcula, nõ autem arbores uidiſſe piper ferentia, nunquam tamen uel longum, aut album uidere contigit, ſed omnia grana uiridia erant, in longo autẽ quod ad nos affertur, grana in ſimilitudinem granorum milij eſſe conſtat, & ut Dioſcorides inquit albicantia, ſed hanc controuerſiam in aliud tempus differamus, nũc uero Ferrariæ piperis arbuſculum in fictili apud magnificum comitem Ioannem Romeum, uiret: nec in horto magnifici Antonij Mariæ Nigriſoli, multis herbarum generibus referto deeſt. quicquid ferant hæc arbuſcula ſequenti anno uidere licebit. adeſt quartũ genus piperis, ſed ſylueſtre, quod piper longum eſſe arbitror, at ex ſoli, & cœli uarietate degenerauit, huic ruffa grana inſunt non alba, an decipiantur qui hydropiper eſſe contendunt nunc demonſtrare non pergam. Tu tria piperis genera Venetijs emes, & radicem (ſi habere poteris) quæ coſto ſimilis eſt, hæc enim rei medicæ proficiunt. SE. Eſt'ne radix in omnibus coſto ſimilis? BRA. In omnibus, tamen Galenus in uiribus ſolum intelligere uidetur, nam dicit piperis radix uires coſto ſimiles potiſsimum obtinet, ut de uiribus intelligere uideatur, Galenum Paulus ſequitur, Dioſcorides quoad figuram ſimilem eſſe oſtendit, nam declarare conatur piperis radicem non eſſe zingiberim, ſed inquit uerius eſt ſimilem coſto eſſe piperis radicem, hinc colligi licet de radicis effigie loqui, & non de uiribus, Auerrois & de radicis effigie loqui uidetur. SE. Quid ſentis de illa quæ eſt inter Dioſcoridem & Galenum in nigro, & albo pipere controuerſia? BRA. Quam intelligis controuerſiam? SE. Quoniam nigrum acrius eſſe dicit Dioſcorides,

rides, quàm cãdidum, econtrario Galenus candidũ acrius facit, quàm nigrum. BRA. Galenus equidem octauo de simp. med. facultatibus, ait piper album est nigro quidem acrius, & rationem reddit, nã illud iam est quasi superassatum, & superexiccatum, & in nono de compositione medicamentorum secũdum locos in Philonis compositione, cũ author inquit, uiginti & drachmas candentis conijce flãmæ: Galenus per flammam album piper exponit, quod est stomacho commodius, & acrius nigro. Auerrois in æquali gradu & album, & nigrum piper esse fatetur, Auicẽna Galeni rationem affert, ac si alij quidam illam dixerint, & eam nõ probent, quòd. s. nigrum ob assationem non sit adeo acre. SE. In aliquibus, quæ nimis assantur caliditas profecto exhalare uidetur, et frigidiora fieri constat, uel minus calida, & magis sicca, sed an hoc in pipere contingat, ignoramus. BRA. Vt contradictio inter Dioscoridem, & Galenum auferreretur, quandoq; dicere solebam, diuersam esse Dioscoridis acredinem ab illa Galeni: tamen rectius deinceps considerantes, uidimus idem esse Dioscoridis, & Galeni uocabulũ græca lingua. Galenus etenim inquit de albo pipere δριμύτερον ὑπάρχον τοῦ μέλανος. i. nigro acrius est, et Dioscorides eodem utitur nomine in acuitate, & de nigro loquens inquit δριμύτερον τοῦ λευκοῦ. i. acrius est albo, fortè hoc modo conciliandi sunt, cum in albo pipere aliqua sit humiditas quæ ori, & linguæ inhærere facit, ob hoc album à Galeno acrius dicitur, quoniam magis inhærẽs acredinem etiam imprimit, at nigrũ nullam habet humiditatẽ propterea acutius penetrat, tamen non inhæret, ob hoc à Dioscoride nigrum acrius dicitur. si tibi hæc concordia placuerit illam accipito, sin minus potiorem inuenias,

quoniam unicuique liberum est meliorem quærere, & sequi, sed hac in re nullus sit tam hebes, tam uilis qui non experiatur. nũc ego experior, & do etiam uxori & alijs domesticis experiundum, mihi et omnibus nigrum acrius uidetur, tu considera, & gustu experiaris, hæc nõ dico ut Galeno *aduerser, sed potius ut quicquid gustu persentio enarrem, forte piper album quod habeo ineptum est.* SE. *In quo ordine primarum qualitatũ reperitur?* BRA. *Plures in tertio ordine tam album, quàm nigrum calidum, et siccum esse censuerunt, &* Galenus *dicit ualenter calefacere, & exiccare, nos in quarto ordine, & album & nigrũ calefacere & exiccare probamus, sed nigrũ semper ob exustionem uehemẽtius exiccabit, quàm album, à* Germanis *pfeffer communi nomine omni genus piperis appellatur, ab* Hispanis *pimienta, à* Cretensibus *uulgo piperi, à* Polonis *pyerz, de quo finitum esset nisi in mentem uenisset* Magnificum Catharinum Zenum *patritium* Venetum *superioribus annis, quum essem* Venetijs *cum* Illustrissimo Alphõso Ferrariæ *duce piperis grana saccaro condita, quando recentia erant eidem principi ostendisse, quorum unum ego comedens suauissimum condimẽtum esse deprehendi, & uentriculo commodum.* SE. *Pruna sequuntur.* BRA. Dioscorides *adeo cõcise prunorum genera tractat, ut unum, aut alterũ uix describat.* Plinius & Theophrastus *lõgius, recentes nõnulli exactissime rẽ pertractant,* Dioscorides *solum damascena prosequitur, quæ etiam nostri pharmacopolæ exiccant, & seruant, apud nos degenerant, quandoque in pectoris decoctiones pruna ingrediuntur, tunc* Damascena *intelligẽda non esse arbitror, utpote acria, & adstringentia, quamobrem pharmacopolis suaderem uaria prunorum genera elige-*

re,& seruare tam domestica,quàm syluestria, & præsertim ea,quæ ex Tarraconẽsi prouincia in Italiam delata sunt,nos ea uulgo Catalonia nuncupamus à parte Hispaniæ Tarraconẽsis ita appellata,è qua ad nos uenere. nec despicienda quæ myrobalanos uocamus,hæc alio nomine ex pingui succo à nõnullis lardaria,à lardo appellantur, infinita prope modum alia genera habentur,nigra,alba, uersicoloria,hordeacea,cereola,purpurea,sed tuæ officinæ satis erit quatuor tãtum genera habere. Damascena, myrobalana,catalonica,& syluestria,quæ uulgo brugnoli,quasi pruneola dicuntur,Galenus in damascenis prunis,miratur Dioscoridem adstringere scriptum reliquisse,quum experimento uideatur ipsa soluere,nos autẽ de Galeno miramur,qui nõ animaduerterit Dioscoridem de damascenis prunis loqui , & siccis , quæ præter id quod sicca sunt,gustum etiam acrem habent , & adstringentẽ, propter hoc iubeo,ut in officina sicca habeas,quæ adstringenti gustu careant,ut Catalonica sunt,quæ ex Hispania uenerunt , & ut Aëtius inquit, dulcioris succi gustantur quãuis ipse Hiberica.i. Hispana absoluto uocabulo nũcupet,eadem tamen sunt cum his,quæ catalonica dicimus, quæ eodem authore uentrem potentius ducunt.uerum & pruni arboris folia seruanda,& gũmi uel lachryma,quæ circa truncum scaturit,quam nos uulgo grungum appellamus. SE. De te miror,qui non uideris Galenum Dioscoridis opinionem reprehendere tentasse siue de siccis, siue de recentibus loquatur prunis , & legit, ac egregie pensitauit Dioscoridem Galenus,& de recẽti dixit quod aluum magis mouet,de arido uero quod minus mouet,tamen manifestis argumentis constat,quod uentrẽ mouent, & experientia quotidiana,& in secundo de alimentorũ

facultatibus de quibusdam prunis,paruis,duris , acerbis, & in cibo molestis dicit,mouendæ aluo idonea non esse, ac si uelit reliquas esse ad aluum mouēdam aptas , nescio præterea per acrem saporem quid intelligas. BRA. Tu tam repente maximus disputator euasisti, ut fortè putes nos tribus uerbis absorbere? en dico tibi Galenum(meo iudicio)Dioscoridem parum prudenter reprehēdisse, quoniam pruna damascena adstringentis facultatis esse fatemur,& ita experientia constare,& sapor manifestat,tu ipse experiaris,quid opus est hac in re uerbis ? experiaris,experiaris,immo et Galenus ipse hoc ostēdit 2.de alimento.facultatibus,ubi de damascenis agens prunis,illis dat primam laudis bonitatem hominum opinione nō simpliciter,proxima ijs quæ in Hiberia,& Hispania nascūtur,deinceps sequitur,uerum hæc nullā adstringendi uim repræsentant,Damascena quædam sanè quàm præclarā, ut uideas intulisse damascena præclaram habere adstrictionem. SE. Quid est quod si quis edat,excernit? BRA. Siquis copiose ederit recentia , tum ex humiditate,tū ex frigiditate uentriculus relaxatur,at sicca idem faciūt copiosissime sumpta ob frigiditatem , at mediocriter sumpta adstringunt,quanquam & dici posset comprimendo educere,uerum hoc est adstringere:quod uero addis experientia quotidiana pruna educere uideri, nos oppositum uidemus adstringere.S.& quod addis cum uelit quædam parua,dura,acerba esse uentri mouendo inidonea , ergo ex hoc intelligit alia esse apta ad uentrem mouēdum.dicimus loqui de prunis damascenis,quæ plures habent species inter se differentes,quia aliqua magis,aliqua minus adstringunt,& ideo ipse magis probat illa , quæ mediocrem habent adstrictionem , tamen adstringunt , & illa

reprobat,

reprobat, quæ magis adſtringunt, quæ ſunt parua, dura, & acerba, tamen & illa etiam, quæ ſunt laxa, & ampla adſtringunt, quod uero de ſapore dubitas, qui nã ſit acris ſapor, nõ intelligo acrem, qui calidus eſt, ſed acrem, qui frigidus eſt, & ſtypticus, ſcimus etenim acrem ſaporem à Platone, Ariſtotele, & Theophraſto calidiſsimum existimari, ſcimus & aliquem acrem eſſe frigidũ, quoniam ſapor acidus frigidus eſt, tamen & à Galeno acris dicitur. quarto de ſimplicium medica. facul. cap. 17. uerum ut rẽ melius exprimamus ſapor acris in prunis is eſt, qui in uinis ponticis dicitur, & adſtringẽs eſt, & auſterus. SE. *Hæc miſſa faciamus, & tantũ prunorum qualitates enodemus.* BRA. *Et Auerrois, & Auicenna frigida, & humida eſſe iudicant, Auicẽna frigida in principio ſecundi, humida in fine tertij, ſed talem humiditatẽ illis ineſſe non probamus, immo & pruna exiccata humiditatem aliquã habere cõcedimus. Pruna à Germanis pflaumen, à Gallis prunes, ab Hiſpanis endrinas, ab alijs ciruellas, à Polonis ſzliua, à Cretenſibus uulgo amuſchlia uocantur.* SE. *Sumachi ſequuntur.* BRA. *Latinam formam ſaltem imiteris, ſumachia dicens, nõ ſumachi, ſed forte melius eſt barbarum nomen barbaro more enuntiare. in Bononienſibus montibus magna ſumachiorum copia habetur, & in iſtis etiam non mediocris, in Ferrarienſi etiam ſolo tranſportatum naſcitur, ſed ineptius, & inefficacius. ideo hoc in loco colligere opportunum erit.* SE. *Non colligam prius, quã mihi dixeris quo nomine ab antiquis appelletur.* BRA. *Racemi, aut ueluti racemi, qui ex hac arbuſcula naſcuntur ab antiquis, & noſtro etiam tempore pro aptandis pellibus ſumebantur, ſed & folijs hoc etiam conficiebant. in hoc genere fœmina, & mas reperiuntur, mas fru*

ctificat

ædificat, fœmina non, quod in alijs arboribus econtrario reperitur. uua, id est eius fructu ad obsonia utebantur, ut sapidiora fierent, nos sale, re pretiosiore utimur, utebantur, & ad leuigandas, ac densandas pelles, ad idem nunc utimur. apud antiquos nomen acquisiuit rhus obsoniorũ ut Dioscorides testatur, apud nos nihil de obsonijs, sed rhus sutorium uocamus, unde rhus duo genera habet, μαγίρικον, quo ad obsonia utebantur, & βυρσοδέψικον, id est eo, quo ad densandas pelles utebantur, unde apud uulgus sumachios nomen acquisiuit, quia pelles nonnullæ sunt, quæ à gentibus quibusdam sumachiæ uocantur. at quia hoc rhu aptantur, propterea rhus ipsum nomen hoc sumachium, uel sumah acquisiuit, quamuis sint, qui pelles sumath appellent, & ex consequenti rhus sumathi nominare oportebit. SE. Cuius sunt qualitatis sumachia? BRA. Galenus octauo de simplicium medicamentorum facultatibus in tertio ordine exiccantium esse tradit, & in secũdo refrigerantium. SE. Myrtilli occurrunt. BRA. De myrti semine, id est myrto genere neutro, uel fœminino (ut Catoni placet) quũ herbam ipsam colligeres pertractauimus. hoc tantum addam, antiquos hoc semine pro pipere usos esse, & in summo honore habuisse, nũc etiam saccaro cõditur, quod nullus ante nos, (quem sciuerimus) fecit, optimum uarijs ægritudinibus condimentum, & ægris magnopere placens, ab Hispanis mirtinhes, ab alijs granos de arragha, à Gallis mirtilles, à Polonis mirtilli, à Cretensibus uulgo mirta appellatur. SE. Iunipera sequuntur. BRA. De iuniperi granis eodẽ loco docuimus, quo etiam ostendimus Serapionem iuniperum, & sabinã confudisse, in maritimis potißimũ quærenda sunt, à Gallis genesure, à Germanis vvkhelderber, aut kramazber

id

id est turdorum baccæ appellãtur: his enim turdi pinguescunt, & carnem bene olentem faciunt, ut nullo tempore ganeæ aptiores sint, quàm quum iuniperus maturum fructum habet, à Polonis iad owiecz dicitur. SE. *Caricæ postea accedunt.* BRA. *Hic locus expeteret, ut de omni ficu sermo haberetur, nisi omnia breuibus transigere instituissemus, quæ apud Ferrarienses pharmacopolas in usu sunt, quanquam & hoc Venetis, Patauinis, Bononiẽsibus, Mediolanensibus, & cæteris totius Italiæ, ac reliqui orbis inseruiet, tamen instituimus apud nostros potius latere, quàm ab alijs derideri. ad rem nostram accedẽtes tot ficuum species sunt, locis, colore, figura, & tempore, quo maturantur, distinctæ, ut nullus sit modus, aliàs rem probe aperiemus. ficus aridæ cuiuscunque generis sint caricæ appellantur, ischades à Græcis, quãuis, & Paulus Aegineta uocabulo Carica utatur, & etiam nomine ischadũ recentes intelligunt: in Picenum mittere oportet, quam Italiæ partem Marcham Anconæ uocant, ubi probatissimæ nascuntur, & ingens copia Ferrariam adducitur, quæ pediculis oblongis cannis infiguntur, & parte extrema Liuianæ dicũtur à Liuia Pompeia. ex ficubus caricas in officina habeas pingues, & agrestes ficus, qui caprifici nuncupantur, & caprificorum summos caules, atque ipsorum lac serua. optimas caricas ex Piceno Ferrrariæ habebis, in parietibus etiam pluribus Caprifici innascũtur, à Gallis figues, ab Hispanis figes, ab alijs igos passos, à Germanis feigen, à Polonis figij, à Cretensibus uulgo sicapitharides nuncupantur.* SE. *Quæ sunt caricarũ qualitates?* BRA. *Galenus octauo de simplicium medicamentorum facultatibus, inquit calidas esse in primi ordinis fine, uel in principio secundi, de passiuis qualitatibus nul-*

lus

lus loquitur, at humiditatem habere id ostendit, quoniam in morem emplastri impositæ maturant. SE. Passulæ accedunt. BRA. Vuæ passæ dicuntur quæcunque uuæ exiccatæ à patiendo, ut Plinius. 13. lib. cap. 1. docet. Columella rationem præparandi, ut passæ fiant scriptis tradidit, quamuis Græci alio modo utantur, quia eas sinunt exiccari in uite, uel in areis massas congregant, ut passæ fiant, postea loculis stringunt, hæc autem nihil ad rem. usu uenit apud nos, ut tantum passam uuam, uel passulas appellemus, quæ ex Græcia afferuntur grana parua, quæ tamẽ & nunc Ferrariæ nascuntur, magna autem grana, uel ex nomine uuæ, ut Illyrica zibiba, uel simpliciter siccam uuã appellamus, & hoc non immerito, quia uua habens granula parua, acinis caret. ideo aptius ea utimur, cum in uiuarijs, tum in re medica. cœpit autẽ haberi, & Ferrariæ, sed non adeo efficax, nec tali gustu, quali orientalis insignitur. nostra autem lingua passa dicitur, quia quum reponitur, nec penitus sicca est, nec recens, sed flaccida, ex qua fit uinum passum, quod & si multiplex genus sit, & à maiori uua fiat, tamẽ pro ipso uocatam Maluasiam, quasi monembasiam à loco accipimus, creticum uinum etiam per excellentiam nuncupatum. in tua officina albas, & nigras passulas habeas, quippe ad diuersa ualent Dioscoride teste, nec passum uinum prætermittas, de quo in nostro de uinis libro egimus. Venetijs hanc uuam emes, quæ illuc ex Græcia importatur, unde à Gallis uua corinthiaca appellatur: inquiunt enim suo idiomate resins da corinth, ab Hispanis, passas, à Germanis rosien, à Cretensibus uulgo staphide, à Polonis rozinki dicuntur, sunt calidæ in secundo ordine, & humidæ. SE. Iuiubæ occurrunt. BRA. Zizipha à Latinis appellantur, quæ potius baccæ

uidentur

uidentur, quàm poma. licet authores inter poma numerent. peregrina arbor, de qua nuſquam Dioſcorides. Galenus tamen, Aëtius, Paulus, Plinius ea cognouere, duo genera reperiuntur, candidum, & uocatum ſericum à colore: ruffum enim eſt, ruffum tantum habemus, candidum nunquam uideram ante ætatis meæ. 40. annum, poſtea uidere contigit, at potius uiridia dici poſſent cum noſtratiũ habeãt colorem immaturarum, ab antiquioribus Tubêres prima ſyllaba correpta dici uidentur, è Syria in Italiam Augusti temporibus delatum. Aëtius, & Paulus Aedeſina cæteris præferunt. ſunt autem Aedeſina maiora, à recẽtioribus medicis pro tuſsi exhibentur, in decoctis pro pectore, hoc à Galeno uitio uertitur, utpotè quæ potius incraſſent, quàm attenuent. eo igitur ziziphis utemur, quũ craſſa materia reddenda erit, ſed medici paſsim pro attenuanda materia ziziphis utuntur, & hoc ab ignaris receptum eſt, ut nulla ſit pro thorace decoctio, quin zizipha ſumat. optimus ſeruandi modus eſt ſi acu perforentur, & lineæ inſuantur, ut mulierum indices imitari uideantur, quibus numeratas preculas ſingulis diebus Deo pendunt. Ferrariæ hi fructus copioſe naſcuntur, ſed ſerotini ſunt. eius ſemen lapides frangere dicitur, & è renibus quàm cito expellere, pellem maxime inhærentem habẽt, ut ſi quis zizipha comederit, à palato auellere non poſſit. ab Hiſpanis macans, à Luſitanis danaſega, ab alijs azufaifas, à Romanis genzole, à Neapolitanis iciome, à Sueſſanis iciole, à Gallis iuiubes appellantur, ab Auicẽna frigide in primo ordine exiſtimantur, & in paſsiuis temperatæ, quanquam ad humiditatem inclinent, tamen cum dulcedinem habeant, uidentur, & ad temperiem in actiuis qualitatibus accedere. SE. Oliuæ ſequuntur. BRA. Lon

giori

giori historia oliuæ percurrēdæ essent, quàm nostra hæc pertractatio exigere uideatur, nisi eēt notissimus fructus. interim tu in Mutinensibus, ac Regiensibus montibus ex syluestri olea, idest oleastro folia, & foliorum succum parabis. sit autem hoc modo succus, ut Dioscorides tradit, tunduntur folia, & uino, aut cœlesti aqua aspergūtur, postea exprimuntur, & siccatus in sole succus in pastillos conformatur. qui uero in oliuarum ligno ex incenso exudat liquor, & ipse seruandus, seruandæ & uirides oliuæ, & nigræ, & per se, id est sine condimento exiccatæ & cum muria, quæ à Græcis colymbades appellātur, quasi muriæ innatantes, uel halmades à sale. seruandæ sunt & sansæ, id est nuclei medij, quoniam rei medicæ proficiunt. SE. *Id agam. de oleo autem nihil dictum est.* BRA. *Nunc quæ olea seruanda sint edocebimus, ex immaturis oliuis oleū seruare oportet, & hoc ex domesticis, & syluestribus seorsum si haberi poterit, & ex maturis. primum omphacium dicunt, nec primæ expressionis oleum deseras ad odorata olea præparanda, quæ herbarum, ac florum odorem seruet. ex olea Aethiopica lachryma emanat, quam Dioscorides summæ commendat. iudicatum est esse gumi helemi, de hac re incertus sum, à Gallis oliues, ab Hispanis azeitunas, à Polonis olivvni, à Cretensibus uulgo eles, oliuæ nuncupantur, in Germania non sunt, tamen olbaum ond olbeer uocant: immaturæ oliuæ frigidæ sunt, & siccæ, maturæ sunt in primo ordine calidæ, & in principio secundi ordinis humidæ, neque tamen in immaturis oliuis humiditas aliqua neganda est.* SE. *Dactyli sequuntur.* BRA. *Palmulæ appellantur, & cariotæ palmulæ. Babylone uina fiunt ex palmulis, quæ in toto oriente præcipua existimantur. cibus etiam sunt palmulæ, & ex*

ipsis acetum, ac mel fiunt, & farina. Nucleis pro carbonibus utuntur, & aqua macerati equis pabulum præstant. nucleorum tegumenta ad unguenta præparant. nos Dactylos uocamus, quum una sit sola species dactylus appellata . apud antiquos tres species reperiuntur, de quibus alias ex instituto differemus. fructus è palma est, Venetijs ex Aegypto habetur, ibi emes, quãquam & in Italia Palma, regno Neapolitano nascatur . uidimus nos Sauonæ palmam post Episcopij testudinem satis amplam, & Romæ, ac Neapoli multas. fabulosum arbitror palmæ lignũ contra pondera inniti, ac recuruari, experiẽtia etiam debile lignum esse demonstrante. Nucleorum cinerem combustorum etiam seruabis . nec cortex prætermittendus, qui elates dicitur, est autem palmularum operimentum, quãuis in hoc dißideant interpretes, quippe Dioscorides corticem putat. Plinius autẽ lib. 23. cap. 6. elaten, uel spathen priuatim genus palmæ censet, cuius fructus inuolucrum sit. unde uel deceptus est Plinius si de elate Dioscoridis loquatur, ut eædem uires, quas illi imponũt insinuare uidentur, aut rem diuersam tractat Plinius. reuera palmulas cortici inuoluto implicatas uidimus, & extra corticem, & diuersarum specierum esse ex figura uidebatur. quandoque fructum illum, quẽ musam uocamus, Plinij elatem esse opinabar. Sed Venetijs musæ Illustriß. Principi Alphonso Duci Ferrariæ in similitudinem prunorũ crassorum præsentatæ sunt. arbitror Venetos, & qui ex illis partibus ad nos accedunt uocabulum corrumpere, & nõ musas appellandos hos fructus, sed muzas, nam eorum lingua, muza, mite significatur, sunt autẽ dulcißimi fructus, ut mihi tunc gustare licuit. immo muza est Mauritanum nomen, quamuis & qui ex Arabia sunt, eo utantur, tamẽ

inuolucrum quoddam ueluti coniunctorum corticum domi habemus, quod Plinij *elatem esse censemus.* Dactyli *à* Gallis Dantes, *ab* Hispanis *tamaras, à* Germanis *datel appellantur.* Recentes *putant antiquiorem dactylum esse calidum, & siccum ordine primo, recentem uero esse calidũ & humidum eodem ordine. de caliditatis ordine puto illos ab* Auerroi *accepisse. 5. collectionum suarum, at* Galenus *de fructu palmæ agens. 8. de simpliciũ medicamẽtorum facultatibus dicit, fructũ palmæ maxime dulcem non paucam obtinere caliditatem. unde erit, uel in secundo intenso, uel in tertio remisso calidus dactylus. uideturq; secundum* Galenũ *tam recens, quàm antiquus dactylus exiccare, tamen in eo non negatur esse humiditas.* SE. *Ad poma ueniendum.* BRA. *Antiquitas hoc nomine pomum uel malum omnes fructus, præsertim tenellũ corticem habentes significabat. paulatim cessit, ut in rotundis tantum & specie quadã determinata uteremur, dic tu quibus pomis in officinis utimini.* SE. *Dulcibus, acribus, & muzis id est (ut* Auicennæ *placet) saporem nec dulcem, nec acerbum habentibus.* BRA. *Quibus nominibus à* Ferrariẽsibus *appellãtur poma, quæ in syrupis de pomis accipitis?* SE. Rosa, *& piola dulcia sunt: fortana, musona acerba, media uero pupina nuncupantur.* BRA. *Quæ rosa dicũtur, apud antiquos forte erant melimela, à meleo sapore à* Varrone *mustea uocata.* Piola *uero, quæ appia ab* Appio *nuncupabantur.* Pupina *afrotomela forte erant.* Fortana *austera dicebantur, & musona à nobis dicuntur, quãuis crediderim potius orthomasticas musonas nostras ab antiquioribus dici, ob similitudinem, quam cum mammis habent prædicta melius considerans, in pomis rosis sentẽtiam mutaui: ea enim esse arbitror, quæ ab antiquis* Clau

diana uocabantur, & piola sceptiana, quæ sunt rotunditate insignia. uerum hæc discrimina ad artem medicã modice ualent, quum in descriptionibus, quæ receptæ nuncupantur poma scripta sunt, saporem aduertas, & gustu similia quæras, nam in receptis dicitur poma dulcia odorata, austera odorata, (quamuis raro austera sint, & odorata simul) medij saporis, tunc gustu discerne, an hoc sapore insigniantur, quæ emeris, & ad compositionem utaris, ex malis folia etiam in officina habeto, flores, & coliculos in pomorum historia, omnia antiqua nomina recentibus accommodare (ut fieri poterit) tẽtabimus. Germani absoluto uocabulo apfel poma uocant. SE. De primis pomorũ qualitatibus agito. BRA. Pomorum qualitas simpliciter dici non potest, cum aliqua calida sint aliqua frigida, aliqua humida aliqua sicca, etsi in omnibus nõnulla adsit humiditas, Galeni regula hæc sit, dulcia calida sunt cum in ipsis aqueum temperatum abũdet, acerba, & austera frigida sunt, in acerbis terrenum frigidũ superat, in austeris, & terrenum frigidum, et aqueum frigidum abundãt. SE. Nec cotonea deserẽda. BRA. Cotonea in duplici genere sunt, magna quædam, & pulchra ab antiquis struthea uocata, interq; albicãt aliqua, alia colore aureo micant, & chrysomela dicuntur. de quibus forte Virgilius.

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

quum struthea degenerant in parua syluestria odorata tamen transeunt, hoc Theophrastus secundo de plantarum historia animaduertit, & nos experientia uidimus in rusculo nostro suburbano. inquit autem Theophrastus ex strutheo idest maiore cotoneo paruum fieri, struthea serotina, mustea præcocia, rustici Ferrarienses in duo genera partiuntur, in rotundum, & oblongum. Rotundum



mala cotonea, oblongum pira cotonea nuncupantes. Tu quum Ferrariæ eris, priuatim mala cotonea, & pira seruabis, & harum arborum folia. struthea minus rei medicæ proficiunt, sed magis in ganea. uera cotonea, quæ parua sunt, rotunda odoratissima efficacius ad ægritudines ualere existimantur: uinum etiam ex cotoneis parabis, quod recipit succi cotoneorum sextaria sexdecim, mellis unum, nec melinum unguentum prætermittes, deniq; compositiones illas antiquis tamen ignotas, quas cytonites, et gelatines appellamus summo studio parare curabis. SE. Antiqui ergo diacytonitim ignorarunt? BRA. Non quidem quoniam à Galeno eius mentio fit in secũdo de alimentorum facultatibus, & in sexto de sanitate tuẽda, sed tot modos ignorarũt, quot uos conficitis, & seruatis. Cotonea à nõnullis ita dici existimãtur, quoniam lana quadam tegi uidentur, quæ coton dicitur. Reuerendissimus una, & doctissimus Cœlius Calcagninus præceptor in literis humanis nunquam pœnitẽdus, Cydonia ab urbe Cretæ uocat. Semen quoque ne despexeris, & mucilaginem, quæ inter grana reperitur, hoc enim pro gũmi mulieres utuntur, his demptis ad quæ in re medica ualẽt, immo & lucem quandam, ac splendorem sibi parant eædem impudicæ mulieres, à Germanis cotonea quitẽ, à Gallis coing, ab Hispanis membrilles, à Cretensibus uulgo chidonia, à Polonis pygui appellãtur. in primo ordine frigida existimantur, & sicca in principio secundi. SE. Pira sequũtur. BRA. Infinitæ sunt propè modum pirorum species, de quibus ita alias agemus, ut nomina antiqua recentibus accommodare deprehendatis, in his ubi accommodari possibile erit. Constat enim per uariam insitionem plura pirorum genera apud nos extare, quàm ab antiquis

tradantur,



tradantur. longus enim rerum uſus, & uaria diuerſarum ſpecierum miſcella uarias ſpecies inuenit, & adeo creuit ars, ut audeat etiam diuerſorum generum inſitionem tentare, quo guſtus alter fructui condonetur, nunc ad rem tuam redeũtes, pira cruſtumina ſeruato, quæ à nobis giaciola uocantur, & etiam ſylueſtria illa obdura, quæ non niſi hyeme matureſcunt. ſerua etiã folia, & ex ligno puluerem, nec alias urbes quæras, aut aliud ſolum, in quo poma, pira, atque cotonea colligas, quàm noſtrum Ferrariẽſe, in quo hæc copioſe naſcuntur, à Gallis poyres, ab Hiſpanis peas, à Germanis pirn, à Polonis gruſzki, à Cretenſibus uulgo apidia, ab alijs Germanis ein bire pira nũcupantur. nunc etiam multa ex piris condita fiunt antiquioribus ignota, et præſertim ex ſuperbis piris, quæ nos muſcardina ab odore muſcati, quem habent uocamus. SE. Cuius ſunt qualitatis pira? BRA. Et ſi Galenus de piris ſimpliciter loqui uideatur ſexto de ſimp. med. facul. libro, & dicat fructum dulcedinem quandam aqueam habere, unde temperies adeſt ſecundum partes inæqualis, nam pars una terrea eſt, alia aquea, cæterum utraque frigida, tamen alia temperata, proinde eſu pira ſtomacho grata ſunt, & ſitim prohibent, illita autem deſiccant, & modice refrigerant. & Auerrois quinto collectionum pira frigida, & ſicca ſimpliciter facit, tamen cum apud nos pirorum uariæ ſint ſpecies, ut alia ſint dulcia, alia auſtera, alia acida, alia acerba, propterea ſecundum has qualitates ſecundas, primæ diſtinguendæ ſunt, cum ex ſecundis in primarum cognitionem deueniamus, nempe adſunt & odorata pira, & quæ odore carent, dulcia, & odorata calidiora eſſe fateor, acida, acerba, auſtera frigida, unde quod de pomis ſuperius dictum eſt, idem in piris cenſen-

dum arbitramur. SE. *Sorba accedunt.* BRA. *Notißima hæc ſunt à Theophraſto, & Plinio diffuſe perluſtrata oua à græcis dicta, aliqua oui figuram, alia rotundam habent, aliqua etiam domeſtica eſt, alia ſylueſtris, tu domeſticam ſeorſum, ac ſylueſtrem colliges, & ex utriſq; acerba, & matura ſeruabis. præterea acerba mole, & in farinam redigas. receptū eſt abſolute ſorba adſtringere, quod in maturis falſum eſſe uidetur, nam matura uentrem laxāt, acerba adſtringunt, uel nō perfecte matura.* SE. *Arbitror ego, & Galenum, & qui de ſorbis locuti ſunt, cum adſtringere dicunt, illud tam de maturis, quàm de immaturis intellexiſſe, tamen matura minus adſtringūt.* BRA. *Diximus abſolute receptum eſſe, ſorba adſtringere in hoc ſermone, & Galenum, & omnes authores complectētes, quoniam putabamus tam de maturis, quàm de immaturis intelligere. at quoniam egregie maturæ ſi in copia edantur deijcere faciunt, ut experientia oſtendit, propterea ut alios ad hoc conſiderandum incitaremus id proponere nobis placuit, nec dicendum eſt quod per compreßionem educant ut multa faciunt adſtringentia, quoniam talia nō relinquunt aluum lubricam, ut ſorba faciunt, immo potius adſtringunt, & guſtus oſtendit in egregie maturis quòd lubricæ ſint, & nullam habeant ſtipticitatem. tu ac reliqui bene rem ipſam conſiderate, ita expertus ſum, tu ipſe experiaris pura mente, & non animo nocendi, ac reprehendendi. lectores ergo rei ueritatem conſiderent authoribus poſthabitis.* SE. *De ſorborum qualitatibus me certiorem facito.* BRA. *Frigida ſunt in ſecundo ordine remiſſo, & ſicca in ſecundo intenſo, tamen & humiditatē habent cum matura ſunt, Hiſpani ſoruas, Galli cormes appellant, an uero apud Germanos holczapfel dicantur di=*

ſputare

sputare non ausim, præsertim in aliena lingua, tamen si fructum uideamus, quod eo nomine uocant, potius syluestre pomum uidetur, quàm sorbum, at speierling sorbum uocare certum est. SE. Granata mala sequuntur. BRA. A granis ita dicta, punica à regione, qua nascuntur, græci ῥόα uocant, de quibus in Balaustio egimus, non dulcia, & acria, & malicorium, & cytinum, & cicum, et grana, & folia seruare oportet. habet enim in re medica uires, in tot partibus efficacissimas. SE. Nuces cupressi in limen ueniunt. BRA. Notissimæ sunt, tu in his montibus pilulas id est nuces, & semina (quæ difficulter colliguntur) & folia seruato, quanquam opus non sit, quũ in multis locis Ferrariæ perpetua fronde uireant, ab Hispanis præsertim ex Lusitania noz de cypresso, à Gallis souchet dicuntur, Germani quoque, & Poloni cyparissum cypress uocant. Si Galenum consideremus septimo de simp. med. facult. calida est in primo ordine intẽso, sicca in secundo: nempe dicit tantam habere acrimoniã, & caliditatem quanta satis sit ad deducendam in altum acerbitatem, tamen nullam efficit mordicationem, aut caliditatem in corporibus. SE. Nux methel, & nux uomica sequuntur. BRA. Hos duos fructus uel duo semina sint nunquã apud antiquos, aut recentes Græcos reperi, ideo arabibus gratiæ agendæ, qui hæc scriptis mandarunt, & nobis indicarunt: illos autem uehementer reprehendo, qui inclamare solent Arabibus derogantes, pulchram rem ostendunt, nam uenenum manifestant. Sed ò fatui & ineptissimi uiri, non'ne & Dioscorides napellũ uel insanũ, strichnon maniacum descripsit, & infinita alia his magis uenenosa? sed hæ Arabum nuces pro conciliãdo somno, pro uomitu irritando, pro capiendis piscibus, & auibus, pro in-

terficiendis canibus summe ualent. uidi ego Magnificum Alexandrum Farusinum, qui carnes nucis uomicæ puluere aspersas cani deuorandas tradidit, hic spatio unius horæ, & minore saliens obijt, corui etiam eiusmodi carnem comedentes per breue spatium uolantes decidunt, pisces etiam adeo sopiuntur ut fluitent supra aquas, manuq́; capiantur, nos etiam miras potiones somnificas ex his nucibus parauimus. decipitur Pandectarius, uomicam nucē esse apud Dioscoridem secundam speciem tithymali tradens, quam cariseti (ut inquit ipse) uocat, debuit autē scribere carietem, hanc uero non esse id testimonium esse potest, quia in tithymalo rami semipedales à radice exeūt, sed nux uomica frutex est. nā Serapionis interpres, quū debuit interpretari frutex, fructus interpretatus est, inquit enim Serapio fruticē nucis methel esse similem frutici nucis uomicæ de fructu autem non loquitur, quia hi distincti sunt. SE. Nōdum, quid sint, aperuisti. BRA. Ingenue fateor, usque ad hoc tēpus à me hos frutices ignorari, breui autem plantas uidere spero, quas nec Arabes pingunt, tantum à Serapione in uomica nuce hæc dicuntur. colorem eius esse inter glaucedinem, & albedinem, & paulo maiorem auellana esse (loquitur autem de auellanis suæ patriæ) & sunt in ea nodi. ex his notis nucē uomicam exquisite cognoscimus, nam ea uere est, quam habemus, & Venetias Alexandria Aegypti affertur. at figuram arbusculæ eam generātis non docet, nec folia. unde si hāc arbusculam absque seminibus uiderem, an ea esset, quæ nuces uomicas parit, ignorarē. De nuce methel nihil aliud dicit, quàm fruticem esse nuci uomicæ similē, & semen esse semini citri simile, quo in loco errorem esse arbitror, ut semen citri legi nō debeat. alter author nu-

cem methel mandragoræ comparat, & corticem asperũ habet, & sapor eius est delectabilis, unctuosus, hæc signa sunt, quibus Arabes hæc indicant, quæ omnino nihil ostendunt. quamobrem hanc nucem uisu potius, & experientia cognosco, quàm uera aliqua descriptione. certe autem constat hæc semina à latinis, aut à græcis nunquam fuisse descripta, à Polonis orzech methel nuncupãtur, hæ nuces in quarto ordine frigidæ sunt, & siccæ in secundo.

SE. Mirabolani sequuntur. BRA. Myrobalani dicti à balano, & myron idest glande odorata, uel unguentaria. antiquioribus ad unguem perlectis, constat de uocatis ab Arabibus myrobalanis nunquam locutos esse, tamen hoc nomine myrobalanus utuntur. Dioscorides in primis ubi de palma tractat, myrobalanorum, & phœnicomyrobalanorum meminit, qui palmæ fructus sunt. Phœnicobalanus immaturus adstringit magis, minus uero maturus. Plinius quoque libro. 12. cap. 22. myrobalani, & phœnicobalani inquit esse fructum cuiusdã palmæ in Aegypto, quæ ad ipsos uocatur quasi sine siti, hanc Dioscorides poma. i. poculum uocauit, nempe humore plurimo abundat. hæc sunt, quæ apud antiquos de myrobalanis reperiũtur, quãuis & Plinius eodem loco fecem unguenti myrobalanum appellari fateatur, quòd autem antiquorum myrobalani, nostri nunc uocati esse non possint, ex hoc apparet, quoniam antiquorum myrobalanus osse. i. semine carebat ut Plinius testatur, sed nostrum hoc uulgare habet. altera quoque res apud antiquos est glans Aegyptiaca, myrobalanon, aut myrepsicembalanon appellatum, ex qua balaninum unguentum fit. fructum esse Dioscorides inquit libro quarto ex arbore myricæ simili, nuci auellanæ, quam ponticam dicunt æqualem. Theophrastus quarto de plan

tarum historia myrto comparat. Plinius heliotropio, corticem huius glandis unguentarij præmunt odoris gratia. quicquid tamen sit constat Arabum myrobalanos hos nõ esse, nec ab antiquioribus usquam describi, Pandectarius miro errore ducitur, qui arbitratur Plinium grana been myrobalanos putasse, quum nusquam de been locutus sit Plinius nec græcum, aut latinum nomen sit been, ipse autem ita id Plinio attribuit, ac si de eo sub hoc nomine been loquatur. nõ erat autem opus myrobalanos eos fructus, quos habemus appellare, sed Arabũ interpres fuit, qui ubi halilig habent, ipse myrobalanus interpretatus est, ut inde multi decepti sint antiquorum myrobalanos halilig esse putantes. nos autem hos Arabum myrobalanos in prunorum, ac pomorum genere ponendos arbitramur. in uarijs ægritudinibus efficacissimi sunt, pro his Arabibus debemus, qui nobis hos optimos fructus tradiderunt, & eorum uires edocuerunt, quinq; eius species nouisti citrinos, belliricos, chebulos, emblicos, indos. Venetijs emes, quoniam Alexandria Aegypti Venetias feruntur. SE. Ego uno carmine omnes comprehendo. BRA. Tuum hoc carmen differas. SE. En.

Myrobalanorum species sunt quinq; bonorum.
Citrinus, chebulus, belliricus, emblicus, indus.

BRA. Pulchrum certe est, sed tu memoria serua, mihi satis est absque carmine recordari, in summa apud antiquos non sunt hi myrobalani, unum tamen est, in quo admiratus sum excellentissimum quendam uirum in myrobalanis, quia non habebat in quo Mesuem reprehẽderet, nam ab antiquis non tractantur, ut saltem uellicaret inquit: Bene sunt examinanda, quæ de uiribus myrobalanorum à Mesue dicuntur, quoniam nullum habuit quem sequeretur

queretur bonum authorum, ac si Serapio in rebus Arabicis ineptus sit author, & cæteri Arabes, quos imitatur, & Auicenna, & ipsemet Mesue, quos summos medicos fuisse nemo dubitat, adde quod hæc domi habebant. à Gallis mirabolans, ab Hispanis mirabelanes dicuntur, omnes sunt frigidi in primo ordine, & sicci in secundo, tamē uariant partes, ut Auicenna testatur, quoniam citrini sunt nigris calidiores, & indi sunt minus frigidi, quàm chebuli. SE. *Nux muscata sequitur.* BRA. *A miro odore, quē habet nux muscata uocatur. apud antiquos, ut Dioscoridē, et Theophrastū nihil de ea reperitur. Posteriores autē caryon myristicon. i. nux myristica appellant, & ita in latinum cessit, ut hoc nomine diceretur. ex hac fieri macin certum est, preciosissimus fructus est, cum odore, tū proprietatibus, quibus in re medica ualet, Lusitani, qui Indiæ partes lustrarunt myristicarum nucum syluas inuenere, hic; decepti sunt, qui glandem unguentariam esse putarunt, de qua in quarto libro Dioscorides, & nos supra nonnihil, & infra magis. Venetijs emes quoniam ex India Alexandriam, Alexandria Venetias feruntur, nūc ex re medica transiuit in ganeam, ut paucissima sint pultaria, quæ nux myristica nō ingrediatur. à Germanis moscht simpliciter, & cū additione nus, moscht nus profertur, à Gallis nois muscades, ab Hispanis noiē, uel nuoz moscada, à Polonis musKatoui orzech.* SE. *Cuius sunt qualitatis?* BRA. *Serapio ex sententia Aben Mesuai illam in tertio ordine calidam, & siccam facit, at secūdum Mesehaben est calida, & sicca in fine secūdi ordinis, illis potius consentio, qui in tertij ordinis principio illam ponunt, quanquam non multum discrepant, qui in fine secūdi calidam, & siccam uoluere.* SE. *Tamar Indi sequuntur.*

tur.

tur. BRA. Quis etiam non amabit Arabes in Tamar Indis, id est in dactylis Indiæ, quorum nulla est apud Græcos mentio, ut etiam Auerrois testatur, soli Arabes hos fructus nobis tradidere, & eius uires. Errant qui Dioscoridis, & Plinij myrobalanum esse suspicantur, & qui prima facie non uidit myrobalanum antiquorum osse, id est nucleo, & semine carere, Tamar Indum uero nucleum habere. hoc loco uideo celebrem quendam unum sine ratione Mesuem reprehendere. inquit enim si Tamar Indus sit phœnicobalanũ Dioscoridis, Mesue dicit soluere, quod Dioscorides adstringere fatebatur. at diuersa sunt, ut liquido patet, nec opus erat cauillari in Mesuem, ut ille facit, nam Mesue in secundo frigidum, & siccum. Auerrois in tertio indicat, quoniam aliqui Mesue codices in tertio legunt, & id ex eo credi per Mesuem sensisse, quia Serapionem, & Auicennam imitatur, qui in tertio gradu ponunt. erat igitur potius excusandus Mesue, quàm absq; certa ratione damnãdus, tu Venetijs Tamar Indos emes. rectius Hermolaus in Corollario sensit, ubi de Cariota, quippe inquit recentiores id uoluisse. s. palmulas illas Tamar Indos esse, ipse uero inficiatur. ab Hispanis eodem nomine, à Gallis Tamarius, à Neapolitanis dactylo syluatico, uel cephaleune uocãtur. SE. Caßia fistula sequitur. BRA. Vel duplici ſſ, caßia scripseris, ut Græci faciunt, uel uno tantum nihil refert, modo rem ipsam assequi contingat. quum apud antiquos caßiam syringam, id est fistulam inuenies, semper opus est nostrum cinnamomũ intelligere, quia uerum antiquorum cinnamomum nõ habemus, ut suo loco uidere licebit, quod autem nunc cinnamomum uocamus, uel canella, est antiquorum caßia syrinx, tum Græcorum, tum Latinorum. & ab Arabibus selicha,

uel

uel selch(ut apud Serapionem uidere est)appellatur. eius interpres caßiam ligneam exponit. ideo quum apud recentes caßia lignea dicitur, canella intelligitur, quum uero apud eosdem caßia fistula scriptum est, caßia illa, quæ uulgo habetur, & caßia nuncupatur, ac educit: ut hinc uideas à recentibus nomina cõfundi, primo canellam, cinnamomum, & caßiam ligneam appellant, licet pro caßia lignea, insipidæ, & inodore canellæ, nunc frustra ostendant, deinde caßiam, quæ educit, caßiam fistulam uocant. primus qui hunc errorem fecit fuit Serapionis, & aliorum Arabum interpres, qui ubi dicunt hiars amber, caßia fistula interpretatus est, quum debuisset interpretari cheratte longa, ubi autẽ Serapio selicha, uel selche dicit caßia lignea interpretatur, quum absolute caßia interpretari debuisset, aut cum hac additione syringa, id est fistula, nam proprie apud antiquos caßia fistula ea est, quã nos canellam uocamus, quia uti canna inanis sit. Hinc recentiorum ingens error detegitur, qui in suis receptulis ad prouocanda menstrua, in quibus scriptum est caßia, ipsi corticem caßiæ nostræ usualis sumunt, quæ cheratte longa est, uel(si latine magis loqui uelimus) oblonga siliqua, quum tamẽ antiquiores à quibus receptulas sumunt, per caßiam nostrum uocatũ cinnamomum, idest canellam intelligant, nõ autem uerũ cinnamomum: eo enim caremus. ad rem igitur accedẽtes nostra hæc caßia apud antiquos ignota erat: nullus enim reperitur ex antiquioribus, qui eam uel à longe describat, aut nutibus ostendat, ideo plurimum in hoc pretioso fructu Arabibus debemus, optime in Dioscoridis caßia ab Hermolao, hæc Arabum describitur, quum adhuc recens est, simul cum cortice conditur, & soluit, nõ tamen plenius, quam quod florem caßiæ appellamus

pellamus, nec grana. melius soluunt, ut falso putant quidam, immo quandoque nihil penitus soluere uidimus, tamen is qui sumpserat decem drachmas eorum pulueris melle mixtas comederat: id enim data opera experti sumus, quod ter aut quater in diuersis fecimus, unus solui uisus est, sed id potius ex flore admixto factum arbitramur. Caßiæ arborem Murani uidimus, nihil autem pariebat, folia iuglandis habebat. Venetijs emere poteris. in India, & Aegypto nascitur, arbores proceræ sunt. propè Damascum ingẽs copia reperitur, species siliquarum apparet, & Arabum nomen siliquam indicare uidetur. ideo quemadmodum à nobis uocatam charattam, siliquam appellamus. placeret ut caßia oblonga siliqua latine, uulgo autem charatta longa diceretur. Hispani cãnam fistulam Galli casse fistule, Poloni caßia vvtrabuach appellant, calida est, & humida ordine primo, uel primam secundi ordinis partem attingit. SE. *Cubebe caßiam sequitur.*

BRA. *Plures decepti sunt cubebe grana uiticis arbitrantes, causa autem erroris fuit, quia una cubebe species saporem piperis habet, uiticis autem semina eodem sapore insigniri Dioscorides testatur, re autem considerata, uitex arbor est ueluti salix, immo à Theophrasto salix Amerina appellatur. Cubebe autem frutex est myrti folia habens, latiora tantum, & in summo acuta ueluti lanceæ. Pandectarius à Galeno caucalim uocari censet, ideo considerans (ut inquit ipse) Galenũ, & Dioscoridem aliter dicere nõ potuit, quàm cubebe Galeni Dioscoridis oxymyrsinem esse, huius autẽ ratio est, quia Dioscorides nihil de cubebe. Galenus uero nihil de oxymyrsine tractat, sed longius hic uir aberrat, quoniam de caucali, quam uult esse cubebe apud Galenum, Dioscorides secundo libro tractat,*

nec

nec quicquam refert, & si Galenus oxymyrsinem omiserit, quandoquidem à pluribus alijs etiam abstinuerit. Est autem caucalis genus syluestris dauci, sed Pandectarium errare fecit Serapio, qui caput cubebarum Galeni, cũ capite myrti agrestis Dioscridis comparauit. at eo deceptus est Pandectarius, quia apud Galenum caucalim esse uoluit. Serapio autem apud Galenum carpesium esse fatetur: Galenus enim de carpesio, & non de myrto syluestri de myrto autem syluestri Dioscorides, & non de carpesio tractat. quod uero Serapio per cubebas apud Galenum, Galeni carpesium intellexerit, ex eo certum est, quia sub hoc nomine cubebe eadem scribit, quæ sub hoc uocabulo carpesiũ à Galeno scripta sunt, uidelicet habere uirtutem phu: nõ solum gustu, sed & uiribus, & quòd urinam prouocat, & totius corporis obstructiones aperit. quam ob rem Serapio myrtum syluestrem Dioscoridis cubebe esse magno ægrorum discrimine arbitratur, quippe qui rem pro re tribuat, constat autẽ cubebe, & myrtum syluestrẽ diuersa esse, quoniam cubebe odoratæ sunt, myrti syluestris granum inodorum: cubebe in medio granum non habent, at myrtus syluestris habet, & dulcissimum. quam ob rem myrtus syluestris non erit cubebe, id est id quo uos pro cubebe utimini, unde ad exquisitam harum rerum cognitionem, scito nostrum uulgare cubebe non esse cubebe Serapionis, quoniam Serapionis cubebe est myrtus syluestris Dioscoridis, adde carpesium Galeni nõ esse myrtum syluestrem Dioscoridis, quoniam diuersis uiribus insigniũtur, quamuis Serapio idem faciat carpesium apud Galenum, & oxymyrsinem apud Dioscoridem, sed re uera deceptus. uerum quid sit Galeni carpesium adhuc incompertum habeo, nam ipse non describit, quanquam in libro de

antidotis

antidotis festucas quasdam esse fateatur, fortè dices esse nostrum cubebe, quod fieri non potest, si festucæ sit. Serapio igitur cubebe, myrtum syluestrem, & carpesium idem esse arbitratur. Constat autem myrtum syluestrem nostrũ cubebe non esse, tum propter dicta, tum propter granum, quod in myrto agresti triangulatum esse dicit, in cubebe uero nullum. At carpesium Galeni in dubio est, an sit nostrum cubebe, non esse autem illud monstrat, quia apud Galenum festucæ sunt phu similes, ut in rusco infra admonebimus. denique ut huic rei metam condonemus: cubebe quo utimur apud Dioscoridem, aut Galenum inuenire nesciuimus. ab omnibus ferè gentibus simili nomine appellatur, at in re ipsa dissentiunt, quippe Galli cubebes, Hispani cubreas, Germani cubeb, Poloni cubebe uocant.

SE. *Rationem illam, qua probas cubebas non esse Galeni carpesium, cum à Galeno dicatur carpesium esse festucas quasdam, Cubebas uero fructus esse, ex quo indicas cubebas non posse esse carpesium, nihil ualere constat, quoniã cubebe nostræ sunt fructus harum festucarum, tamen Galenus festucas potius probat, quàm fructus, & hoc multi recẽtiores sentiũt.* BRA. *Quis tibi aperuit cubebas esse illarum festucarum fructus, quas probat Galenus?* SE. *Nullus ex antiquis, sed ita in mentem mihi uenit.* BRA. *Tu ergo absque ratione, aut alicuius uiri, qui oculis uiderit authoritate loqueris, nõ erat in his incertis nugis immorandum, sed ad maiora progrediẽdum erat, neque incertissime loqui oportebat, & quis unquã dixit festucas fructus habere? & certe fructus esset nobilior festucis, neq; Galenus festucas potius probasset, quàm fructus: propterea non debebas tam elato animo me reprehendere in re quam ignoras, sed id dicis quod tibi in mentem uenit, &*

absque

absque ratione aut sensu ab aliquibus scribitur, immo pro te possem ego rationes fingere, quoniam ex Syria Venetias cubebas afferunt, & Galenus. 7. de simplicium medicamentorum facultatibus de carpesio inquit uocari carpesium à montibus quibusdam Pamphyliæ in quibus nascitur, ingensq; eius prouentus est in Syria. at nos tam tenuibus argumentis non mouemur, sunt calidæ, & siccæ tẽperici ordine secundo intenso. SE. *Sebestem occurrit.*

BRA. *Nusquam apud Dioscoridem Sebestem reperire cõtingit, nisi in genere prunorũ contineri uideatur: est enim pruni simile. tamen apud posteriores Græcos sub hoc uocabulo myxa, & non sub uocabulo sebestẽ reperitur: Græci enim myxam appellant mucilaginem, unde & Galenus saliuam illam conchilium, quæ emanat dum actu punguntur, myxam uocari tradit, est autem mucor quidam, uel lentus mucor. eodem pacto in sebestem, quæ myxa uocatur, mucosus lentor inuenitur, ex quo in Syria uiscum parant, myxas enim, idest sebestem exprimẽtes internus mucor exprimitur, qui in uiscum ducitur. apud Athenienses autem* μύξακορυζα, *id est destillatio, est, ut Iulius pollux libro primo sui onomastici tradit dicitur autem sebestem Hermolao in corollario teste, ubi de uisco loquitur, ob honorem Augusti, unde sebastos uocatur, quod an uerum sit tu ipse iudica, nobis apud aliquem authorem hoc legere non licuit, unde apud antiquos sebestem incomperta uidentur: propterea Arabibus gratias agere debemus, qui adeo probos fructus ad extinguendam sitim, & bilem reprimendam nobis indicarunt, Venetijs emes, quoniam è Syria, & tota Iudea Alexandriam, Alexandria Venetias afferuntur, & etiam ex Cypro. à Gallis etiam sebeste uocantur, à Cretensibus uulgo myxassa, à Polonis sebe*

stem

ſtem. Auicenn. ferè temperatas iudicat,tamen ad frigidū & humidum inclinăt. SE. Coloquintida ſequitur. BRA. Colocynthis ab antiquis, à Romanis cucurbita ſylueſtris appellatur,quamuis & hoc nomine colocynthis cucurbitam eſculentam antiquiores intelligant. apud nos etiam naſcitur,ſed inefficacior, quàquam & noſtra ſoluat, hoc autem ægre fit. melius eſt Venetijs emere,quum ea efficacior ſit,quæ ex orientalibus partibus, utpote calidioribus inuehitur,notiſsima eſt apud omnes colocynthis, & peculiare antiquorum pharmacum. Colocynthis malæ indicia à Meſue ſcribuntur. ſi in ſolo forti naſcatur,in puluerulento,& ubi ſunt reptilia,uel in locis thermarum mala eſt,& addit alia,quibus ab excellent. Manardo reprehenditur ita argutăte,ſi hæc uera ſunt,nunquam erit tutus colocynthidis uſus:non enim ſcire poſſumus, quo ſolo genita,nec an una in una planta,uel in una regione unica planta. ſed frigide arguit, etenim in omne aliud,determinato loco naſcens argumentum reflectere poſſumus ignorari à nobis an eo loco ortum duxerit, præſertim ſi à noſtra patria diſtet,ideo non eſſe tutū eius uſum.tamen quantum in me ſit conſulerem,ne quiſpiam colocynthide uteretur,quamuis antiquiſsimi Græci ea uſi ſint:eſt enim res adeo uiolenta,ut magis turbet,quàm proſit. non deſunt alia ad eius uſum multo mitiora. hoc mihi uſu uenit dictu mirum colocynthidem tractabam,& manibus ſolum aperiebam ſorore,& matre præſentibus: ego ex ſolo tactu,illæ ex odore adeo ſoluti ſumus,ut nullus noſtrum fuerit,cui uenter decies magna perturbatione non eduxerit ex hoc uehementiſsimum pharmacum eſſe conſtat. SE. Nos id quotidie experimur cum pinſitur. BRA. Meſue præterea colocynthidem deſcenſui aquæ ad oculum uale-

re tradit, quem Manardus reprehendit, quia Paulus dicit ualere diuturnis oculorum fluctionibus, ac si Mesue in re tam uera uerum non dixerit. sed hæc omittamus, ne in rebus adeo puerilibus tempus conteratur. SE. Videris mihi morbo quodam animi in Manardũ inuehi, nam Manardus Mesuem non reprehendit, sed illius mentem Pauli authoritate confirmat. BRA. Iam iam noui animum tuum non esse addiscendi, sed Theonino morsu carpendi, & maximo detineris uitio, qui uti amicus, & domesticus, beneuolusq; loqui fingis, & habes sub palio tectum uenenũ, & sub mellitis uerbis gestas aconitũ. Manardo nõnunquam præceptore usus sum, & illius uerba semper probaui ubi res aliter non constabant, quæ quandoque non cõstare deprehẽdimus, neque enim omnia possumus omnes, illumq; non uulgari amore prosecutus sum. quid si quandoque aliud mihi uideatur quàm ipsi: hoc omnibus liberum est, præsertim ubi uerbotenus aliquibus de rebus cũ eo locuti sumus. tu is es qui contra nos animi morbo laboras, in nonnullis etenim dubitas, in quibus neque puerulus (nisi malignus sit) dubitare deberet. quod autem inquis Manardum Mesuem non reprehendere, sed eius mentem Pauli authoritate confirmare, ostendit te neque Manardi intentionem, neque quid hic sentiat intelligere, quippe Manardi intentio est supra Mesuem annotare, & ostẽdere ubi ab antiquioribus dissentiat, propterea hic Mesuem carpere uoluit, qui dixerit colocynthidem ualere descensui aquæ ad oculum, cum Paulus dixerit ualere diuturnis oculorum fluctionibus, non equidem confirmat Mesue sententiam, sed reprehendit, qui non dixerit diuturnis, at cum ualeat & ad non diuturnas, ideo non est culpandus Mesue, qui fluctionibus ualere simpliciter dixerit. quod

autem nos Manardum amemus id oſtendere poteſt, nempe in ſexcentis rebus Meſuem ab eius calumnijs defendere poſſemus, quem tamen (niſi ut cõtingit, & opus eſt) non defendimus. SE. *Colocynthidis qualitates edoceas.* BRA. *In tertio ordine intenſo calida eſt, & in ſecundo intenſo, uel in principio tertij ſicca, à Gallis etiam goloquintes, & à Germanis, ac Polonis latino nomine appellatur, à Cretẽſibus uulgo agriocolochinthi.* SE. *Piſtacea accedunt.* BRA. *Plinius: qui hanc nucem (etenim in nucis genere poni debet) in Italiam portauit, Lucius Vitellius Cẽſor fuit. nos Venetijs in ædibus magnificorum patritiorum Petri, ac Franciſci de Moreſinis, quas Murani habent, uidimus. illuc me duxit Reuerendiſſimus præſul Hieronymus Moreſinus, uir ingenti probitate inſignis. in Syria proprie naſcuntur, & ex Syria recentes ſurculos prædicti nobiles afferri curarunt, Alexãdriam feruntur, deinde Venetias, quãuis & recto curſu, è Syria Venetias quandoque nauigent. Venetijs & piſtacia emes, & ſupremum illud uiride corium, quo integuntur habere curabis, non intelligo lignoſum nuclei operimentum, ſed tenellum putamen ſupremum, quod lignoſum integit, hoc enim in re medica plurimum ualet, ut Paulus teſtatur, quin & apud Alexãdriam Aegypti naſcuntur. notiſſima ſunt piſtacia, fiſtica apud omnes gẽtes uulgo dicta, quorum apud nos maximus eſt in re uenerea uſus antiquitus plures decepti ſunt, Terebinthi fructum eſſe arbitrantes, ut Athenæus inquit, in marem & fœminam diſtinguunt, marem id appellant, quod ſub tenello corio, tanquam oſſeos teſticulos habet, nam illa pars infima utrinq; tuberoſa duos teſticulos repræſentat. Venetijs etiam parit, & maturat.* SE. *Miror cur Alexander Trallianus lib.*

tertio

tertio capite. 18. ea in parte qua de hepaticæ dysenteriæ curatione agit ex gelida iecoris intemperie facta dicat: pistacia uero, & amygdala in hepatica dysenteria obnixe uitanda sunt, eo quod promptissime non corruptionis solum & oleacea sunt, sed metamorphosis etiam in bilem ualde obnoxia, & quòd humorum tum superfluitatem, tũ asperitatem conciliant, adeo quidem ut inde uenter & inclementius, & frequentius irritetur. BRA. Equidem si Tralliani uerba sunt illa quæ adduxisti, & circunferũtur, non possum ab eo non dissentire, tamen quòd egregie uentriculo conficiantur experientia testis est, sicuti & amygdalæ, & nuclei uocati omnes, nam si quis his uescatur, frustula inter excrementa cernuntur, ut ingesta sunt. forte ob hoc in dysenteria damnanda, & iecoris frigiditate, quãuis Galenus. 8. de simplicium medicamentorum facultatibus dicat iecoris obstructionem sanare. experientiæ uero standum est, cum ipse Galenus secundo de alimẽtorum facultatibus dicat se ignorare an stomacho noxia sint uel utilia, nec aut aluum ducãt, an sistãt. nos uero dicimus aluum potius ducere quoniam oleaginea, & uentriculo conuenire sua qualitate calida, & amariuscula cum stypticitate, & aromaticitate (ut hoc nomine utar) quãuis non conficiatur, ut alia multa faciunt, propterea arbitrandum est dysenteriæ obesse ob id solum, quoniam non conficitur, & in integra frustula masticata descendit in reliquis ob naturam oleagineã, potius dysenteriæ conueniunt. SE. Quis dixit in uenerem ualere? quippe in uenerem illa faciunt, quæ egregie nutriũt, & in flatus dissoluuntur, uerum de pistachio oppositum dicitur. non multum nutrire. BRA. Galenus an in uenerem ualeat non expreßit, quoniam illi incompertum erat, sicuti &

an noxia,uel utilia uentriculo,tamen hoc à recentioribus receptum est,& caliditatem,ac humiditatem quãdam habent,quæ in flatus crassos dissoluitur,quibus urilia implentur,& infimæ partes,hinc in uenerem excitant,sed id efficacius faciunt,alijs cum rebus mixta hoc experiẽtia ostenditur, & quamuis recentes nonnulli in omnibus qualitatibus temperata esse fateãtur,tamen cum solo sensu & absque ratione constat esse calida pistachia:proptera erunt in secundo ordine,& forte intenso calida , & in eodem humida crassa quadam humiditate. SE. Anacardus sequitur. BRA. Anacardum apud Dioscoridem, aut alterum Græcum nunquam inueni,tamen Græco nomine insignitur,& à corde nomen sumpsit,cuius figuram imitatur. Arabibus etiam pro hoc semine debemus.in mõtibus Siciliæ nascitur,& copiose in Apulia. Balador ab Arabibus nominatur.hũc facillime habebis,quum in Apuliam pro oleo mittes,existimant calidum & siccum ordine quarto,tamen non possum induci,ut credam ad ordinem illum peruenire,quanuis calidißimus sit anacardus. SE. Nux indica offertur. BRA. Et hoc est Arabum munus,qui hanc nucem Græcis incognitam nobis aperuere, nisi ea sit,quam Galenus nucem regiam uocat . Serapio fructum ex quodam genere palmæ arbitratur . Venetijs habetur ex orientalibus partibus allata. eius oleum butyro etiam bonitate præferri dicunt. nos ut plurimũ in re uenerea utimur,quoniam ab Auicenna semen augere dictum sit.Genuæ magis recentes habentur,quæ in Hispaniam ex Lusitana nauigatione feruntur,& ex Hispania Genuam,ab Hispanis coco dicitur.hinc forte nostri pueri cum nucibus ludunt tribus suppositis , & superaddita quarta appellãt coco maiorem nucem,qua ad alias projiciendas

ijciendas

ijciendas utuntur, à Gallis nois de Inde uocatur, ab Hispanis nuoz della India, à Polonis orzach indyyski, hæc de ista nuce apud Græcos incognita satis sint. Calida est in principio secundi, sicca in primo. SE. Citrum sequitur. BRA. Citrum aliud est, aliud cedrus, ut in Epistola ad Illustrißimum Hippolytum Estensem docuimus, quam pro hac re legere ne pigeat. Cedrus arbor procera est, paruos fructus pariens, quos frequenter conditos edimus. Citrū id est, quod uulgo cedro appellamus, & arantium in eodem ferè genere ponitur, quod & malum medicum, et ab aliquibus pomum aureum nūcupatur. notißima sunt hæc, & in Liguria copiosißime pariunt, ut Genuæ, ac Sauonæ Hesperidum hortos uidere licuerit, in quibus hæ arbores topiario opere formis uarijs uisebātur. iam & Ferrariæ plantari cœpere, ex his folia, fructum, & semina seorsum habeto, quæ plurimum ægris conferunt, quin, & eius succum seruare oportunum erit: semina puerorū uermes interficere constat, ab Hispanis citra limones dicuntur, & nos citri genus limonem appellamus, quod succo potißimū abundat, & ualde acerbo, arantiū uero orāges à Gallis, & naranzas ab Hispanis, à Polonis poma rācze uocatur. SE. In calce fructuū sumus, id uero à te impetrari uelim, ut contradictionem à principe remoueas. BRA. A quo principe. Illustr. Alphonso Duce nostro? SE. Nō sed à medicorum principe. BRA. Quē appellas tu principem medicorum? ego Hippocratem. SE. Ego autem Auicennam. BRA. Ne Auicennam principem medicorū, sed medicum, & principem dicas. SE. Ergo medicorum principem. BRA. Vt arbitror dialectica cares, quippe à diuisis ad cōuincta consequentia non ualet, ut est bonus, & citharœdus, ergo bonus citharœdus, æque non ualet,

est princeps & medicus, ergo medicorum princeps, sed his sophistarum, & puerorum deliramentis omissis tuam illam contradictionem edisseras. SE. En in secundo libro canonum citri semen calidum esse fatetur, in libro autem de uiribus cordis, frigidum usque ad tertium ordinem facit. fuere qui contradictionem falso remouerent, ut in secundo libro de citro, in libro de uiribus cordis de arantio loqueretur. constat autem eiusdem ferè naturæ, & gustus arantij semina, cum citri seminibus esse. BRA. Optarem hac in re alterum Oedipum inuenisses, qui me hoc fasce leuaret. cui autem tu à me petieris, cui plurima debeo, non possum pro uiribus tibi non satisfacere. fuere qui ita soluerent, ut secundo libro de cortice circa semen, in libro de uiribus cordis de carne à cortice contenta loquerentur. quam sententiam Excellen. etiam Manardus sequitur. mihi autem semper mos fuit quoties cõtradictiones adeo manifestas in authoribus uideo multos libros consulere, & præsertim antiquissimos, non enim credere possum uirum aliquem probum, in re tam nota adeo stupide hallucinari. quamobrem omnes impressos Auicennæ codices uarijs in locis legi ita dicentes, & sibi ipsis hac in re oppositos, immo idem in plurimis manuscriptis etiã legebatur. denique contigit, me forte fortuna domi Pinamontis Bonacolli compatris carissimi, in antiquum Auicennam incidere, in quo caput illud de uiribus cordis aliter legebatur, quàm in uulgatis codicibus, eademq; penitus hic legebãtur, quæ in secundo libro scripta erãt. ideo non est opus in rebus tam fatuis, & crassis summos uiros errasse, aut sibi ipsis contradicere putare. en quod mihi elapsis annis euenit, quidam Scolasticus meus nostras interpretationes in Porphirij quinque uoces imprimi cura

uit, accidit autem cum impreſſoris, tum praui exemplaris uitio plura uideri errata, quàm uerba, ut deinceps cogar puerilia deliramēta corrigere, & id facere quod nunquā cogitaueramus, nugas noſtras impreſſoribus dare, ut errores illius impreßionis pinguißimi deprehendantur, ut peßimis, ac conſpurcatis linguis anſam maledicendi auferamus, quāquam inſtitutum ſit nobis à cunis uſque maledicos deſpicere, & ſi qui nos læſerint, uindictā deo cōmittere. nūc ad alia uertamur. SE. *Iam ſol inclinare cœpit.* HER. *Immo inclinauit, & nox cœlo præcipitat, cœnare opportunum erit, ut mox dormientes membra labore ſoluamus.* BRA. *Agite fiat, ut lubet.*

DE RADICIBVS, QVARVM APVD FERRA*rienſes pharmacopolas uſus eſt.*

SE. *Iam dudum illuceſcit ſurgamus, ne ſomno inerti cœptum opus impediatur.* BRA. *Et cur non ſurreximus prius, nunc ſola interula ueſtiar, ut ſuauem hāc matutinam auram aptius capeſcam. quum de ſeminibus, fructibus, ac floribus expeditum ſit, cui hodie incumbemus?* SE. *Rei incumbemus, quæ non placebit Herbario, nā radices ab imis terræ partibus auellere opus erit.* HER. *Promptas uires habeo ad hunc laborem, & floridam iuuentam.* BRA. *Cur ligna, & cortices non præceſſere?* SE. *Nihil impediebat eo ordine incedere, uerum ita ſcribere cœpi.* BRA. *A prima igitur incipias, quā tua charta ſcripſiſti.* SE. *Pœoniæ radix primum limen occupabit.* BRA. *Quum pœoniæ ſemina collegiſti, radices etiā in peram condere iußimus.* SE. *Recordor nunc.* BRA. *Quatuor aut ſex numera.* SE. *Radices aſparagi, petro-*

selini, fœniculi, apij, altheæ. BRA. De his omnibus in seminibus satis superq́; dictum est. SE. Ebuli, chelidoniæ. BRA. De ebulo in floribus, de chelidonia expreßimus in herbis. SE. Caryophyllatæ. BRA. In herbis etiam caryophyllatam ostendimus. SE. Nenufaris. BRA. In floribus nymphæam collegisti, & te Ferrariam remisimus, ubi huius herbæ radices præstant. SE. Rhabarbari & rhapontici radices sequuntur. BRA. Has radices statim à primo prandio edocuimus, & quomodo diuersæ essent, & quibus partibus petendæ, & quomodo rhaponticum, centaurium, & à nobis nunc uocatum rhaponticum differant. SE. Quod in his scire opto est rhabarbari dosis. BRA. Mesue à duabus drachmis & semis infusione tribuit. SE. Manardus eum reprehendit, addens cuidam Pănoni nobili ob hoc malum obtigisse. BRA. Id non fuit ratione rhabarbari, immo & quandoque scrupulus obesse uidetur. non uererer in homine robusto anni parte commoda decem drachmas in infusione tribuere, immo frequenter tres drachmas in substătia præter illam noxam dedimus, & deinceps dabimus quum opus erit, magno ægrorum commodo, qui ex hoc in natiuam sanitatem restituuntur. immo hi maiorĕ dosim propinare possunt, qui ubi nascitur rhabarbarum, ortum duxere, aut ei assueti sunt. Vidi ego Mauritanum qui scamonij semiunciam præter noxam comedit, quoniam ita à primis unguiculis assuetus erat. huius rei testis est Iacobus columna pharmacopola publicus, qui adhuc uitali aura fruitur, ne uidear sine teste in re tam magna loqui. adde & aliud scatizam quendam Illustrißimi Principis Alphonsi Ducis Ferrariæ equisonem, eo præsente, & Reuerendo præsule Thoma Musto, & Magnifico Augustino

eius

eius fratre, & Magnificis Hieronymo Guarnerio, & Giberto Cortilli, ac pluribus alijs, integrum aloes lotæ libram, præter noxam comedisse, omnes hi testes superuiuunt. medebar, & ego cuidam rustico, qui sancti Georgij fratribus inseruiebat, Gallica scabie correpto, iussi quatuor drachmas pilularum Alexādri Tralliani præparari, quas in capite de morbo comitiali describit, inquiens nullas esse fortiores istis. iusseram autem ut singulis diebus unam unius scrupuli pōdere deglutiret. hic autem omnes una uice uorauit, quæ equum interficere debuissent, tamē nec semel soluere. Arbitror naturam, tam magnam quantitatem aggredi non ausam esse, alijs tamen diebus ab una sola unius scrupuli mire soluebatur. Religiosi omnes illius sacratissimi loci testes sunt, & simul excellentissimi, ac doctissimi iuuenes Frācíscus Brusantinus, Maurelius sanctus, Ioānes Leo, & Ioannes Franciscus Rossus compater charissimus, qui tūc pro actu practico exercendo mecum uersabantur. sed quid opus est exempla exemplis exaggerare? quum certe constet mirū non esse, si decem rhabarbari drachmæ in infusione propinari poßint, præsertim in robustissimo uiro rhabarbaro etiam assueto, aliàs tamen Mesuem alio modo intelligebam, à drachmis duabus, & semis ad decem rhabarbari infusionem exhiberi, & non rhabarbarum infusum, sed tunc errabam, quia triginta etiā, & quadraginta infusionis rhabarbari drachmæ propinantur, non tamen rhabarbari infusi. in alio autem de hoc uiro miror, quia Mesue rhabarbarum purgare scriptum reliquit. at ille reprehendit, quoniam antiqui à suo rhabarbaro uim purgatiuam demunt, uerum antiqui de nostro uocato rhabarbaro, nusquam tractarunt, de quo Mesue loquitur. immo & hoc ipsum Manardus

fatetur,

fatetur, aliud esse nostrum rhabarbarũ, & antiquorum, soluere autem rhabarbarum adeo certũ est, ut nullus qui sumat ambigere poßit. id tamen comprimendo facit, propterea stypticas aluos reddit, sed hæc commodius, & per rationes suo loco disserẽtur. SE. *Dic prius si nihil in intestinis contineretur, quomodo rhabarbarum comprimendo educeret.* BRA. *Tunc nihil penitus educeret, sed hoc modo intellige, rhabarbarum prius à propinquis partibus attrahere postea exprimere, & ita siquid propinquũ sit attrahit, & quod in uijs est simul cum attracta materia ad intestina comprimendo eijcit.* SE. *Igitur & rhabarbarum attrahet?* BRA. *Quis ambigit, cur dicitur bilem educere crassam, & pituitam, nisi quia hos humores attrahit? nunc institutũ nostrum prosequamur.* SE. *Zinziberis radices sequuntur.* BRA. *In Arabia, & apud Trogloditas plurimum nascitur zinziber, Alexandriam Aegypti affertur, & Alexandria Venetias, putarunt multi radicem esse piperis. quos Dioscorides reprehendit. est autem repentis herbæ radix in morem graminis, folium arundinaceum habet. quum emere uolueris, ut melius teredines uidere poßis, ne zinziber boloarmeno, aut rubra quadam terra delibutum emas, nam eo foramina tegunt, & ponderi addũt. Arabes recens zinziber saccharo condiunt ad stomachi frigiditates præcipuum. Alexandriam portant, & Venetias recto cursu, tamen pharmacopolæ (ut pleraq; alia) adulterant, nam ueteres radices per multos dies aqua macerant, alij aqua calcis, ut tenellæ euadant, postea condiunt, sed facile deprehenduntur, quoniã ex recenti zinzibere conditum minus acre est, & gustu delectabile, ex ueteri autem mordicat, nec ita gustum satiat, & cum adulteratum masticatur in fine nonnihil ue*

luti

luti filamẽtum in ore relinquitur, à Lusitanis gengeure, à Gallis gimozembre, à Germanis inguuer, à Cretensibus uulgo zizauro, à Polonis uulgo ymbier appellatur. SE. Gingiberis qualitates edoceas. BRA. Dissident inter se authores, nam Auerrois. 5. collectionum, in tertio ordine calidum esse dicit cum stypticitate multa, & in primo humidum. Auicenna autem calidum esse in fine tertij ordinis censet, & siccum in secundo. Galenus ordinẽ, non exprimit, sed inquit calefacere non tamen primo occursu, hoc uero est, non quia calidum non sit ordine tertio, sed quoniam est crassarũ partium, docetq; Galenus humiditatem quandam habere, idq; deprehenditur, quoniam carie conficitur, sed ob illam humidum non dicitur, immo corperi applicatũ exiccare deprehenditur, unde in secundo erit exiccantium ordine, & non in primo, ut Auerrois testatus est. SE. Costi radix sequitur. BRA. À nostris pharmacopolis radix quædam pro costo uenditur, immo & ab omnibus per totam Italiam, quæ ita costum est, ut Musca elephantus. nã costus radix est candida, leuis, plurimo & eximio odore, quam uero ostendunt ipsi nec candida, nec leuis, nec odorata est. in Arabia nascitur. non multum difficile est Alexandriam uehi, si illuc mittantur qui nouerint, sed qui mittuntur ignari sunt alienis dictis credentes. miror non haberi saltem Indicum per Hispanorum nauigationes. est autem nigrum, speciosum, leue ut ferula, sed quod magis mirũ est, quum singulis annis Veneti in Syriam nauigent, Syriacũ non haberi, hoc est ponderosum colore buxi, odore sensum tẽtans. Spero Illustrissimi Alphonsi Ducis Ferrariæ opera breui uerum costum assecuturum. sola radix in re medica probatur, cæteræ partes, à nullo authore expetuntur. SE. Quibus nomini

bus

bus ab alijs gentibus nūcupatur costus? BRA. A` cōmuni nomine nulli dissentiunt. SE. Cuius est ergo qualitatis? BRA. Auicenna inquit esse calidum in tertio, siccum in secundo. Auerrois calidum, & siccum in secundo. apud Galenum uero. 7. de simplicium medicamentorum facultatibus colligitur esse in tertio ordine, & etiam intensò calido, quoniam habet plurimam acrem qualitatem adeo ut exulceret, nō it autem inficias aliquid habere humiditatis flatuosæ, at humano corpori applicatum id exiccat, uelut ea, quæ in secundo ordine existunt. SE. Valerianæ radix offertur. BRA. si phu Dioscoridis cum uocata à nobis Valeriana cōferamus, loquor autē de ea Valeriana, quæ in Italia nascitur eadem indicia habere certum erit, uno solum dempto, quia nostra Valeriana multo minor est, quàm à Dioscoride suum phu describatur, dicit etiam caulem habere cubitalem, & aliquando maiorem, tenerum, cui leuor sit, & color in purpura albicans, eundemq; geniculatum, & in medio concauum, flores figura ad Narcisum accedentes, maiores tātum tenerioresq;, colore in albido per medium purpureo, radix illi est in superiore sui parte minimi digiti crassitudine, habetq; adnascentes illi exiguas radices, alias quæ ex trāsuerso feruntur odorati rotundi iunci, aut nigri ueratri modo sibi ipsis implicitas, colore subrusso, & Nardi odore, cum uirosa grauitate aliqua odoratas. omnia hæc indicia in nostra ualeriana sunt magnitudine dempta, quoniam scimus apud alias nationes eandem ualerianam non sumi. quippe Germanorum ualeriana phu Dioscoridis esse non potest, sed apud ipsos herba est Theriacκsκraut dicta, quasi theriacaria, quæ nostræ ualerianæ simillima est. hanc pro Dioscoridis phu sumere oportet, non eam, quæ ab ip

sis

ſis Baldrean appellatur. quippe uerum phu folia oleriatro. aut cerui ocello. ſimillima habet, ut noſtra ualeriana, & theriacuſurat Germanorum, quanquam & nonnulli apud nos alia herba pro ualeriana utantur, quàm communis noſtra ſit, eam in his montibus collige, quamuis à Dioſcoride in Ponto naſci dicatur. uerum pro theriacei cõpoſitione Illuſtriſsimus Alphõſus Ferrariæ Dux in Pontum mittere ſpopõdit, ut phu ponti afferatur. Galli eodem modo, ut nos uocant ualerianæ. Poloni kozlek ualerianam nuncupant. SE. De ualerianæ qualitatibus diſſeras. BRA. Recentiores illam in tertio ordine calidam, & ſiccam eſſe arbitrantur, ex Galeno autem id colligitur, quòd eſt Nardo uiribus ſimilis. Nardus uero in primo ordine calefacit, in ſecundo exiccat iam completo unde & ualeriana in primo ordine calida erit, & in ſecundo ſicca, uerum cum idem Galenus ſtatim de Nardo Gallica agens dicat, eſſe imbecilliorem nardo Indica, & Syriaca præterquã ad prouocandam urinam, & rationẽ reddit, quoniã illis calidior eſt, propterea in ſecũdo ordine calida erit, & non in primo, immo arbitror eſſe in ſecundo completo, nempe idem Galenus dicit phu radicem habere Nardo ſimilem uiribus, ſed tamen ad pleraque infirmior, poſtea ſequitur urinas mouet pluſquam aut Indica, aut Syriaca nardus, perinde ut Gallica: igitur & phu caliditatem habebit Celticæ nardi, quæ eſt ſecundi ordinis completi caliditas, aliter urinam uehemẽtius non prouocaret, quàm nardus indica, uel Syriaca. Sola radice cõtentus ſis. SE. Cur Leonicenus, qui de hac diſſeruit id nõ cognouit? BRA. Quoniam non omnia poſſumus omnes, neque eius tempore phu copia Ferrariæ habebatur. Veneti ex Patauinis mõtibus illam habent. SE. Meu radices

appellatur.

accedunt. BRA. *Itali pharmacopolæ radicem quandam albicãtem pro Meo ostendunt, quam si masticaueris quodammodo pastinacæ gustum habet. ex hoc autem Meum non esse deprehenditur, quippe Meum radices graciles habet, odoratas, longas, & gustum feruidum habentes. quũ in Hispania, & Macedonia nascatur, miror admodum nõ haberi. ut habeatur Illustrißimi Ducis nostri opera curabimus, qui ad iuuandas bonas artes, adeo animum applicuit, ut nihil pro earum commodo, & amplitudine intentatũ relinquat. unum est Italiam tam diu uerũ Meum non uidisse, breui autem uidebit.* SE. *Quæ radix est ea, quam pro Meo sumebamus?* BRA. *Pastinacæ odorem habet. Veneti ex Creta aduehunt, ut facile cõiectari poßim daucum Creticum esse, præsertim quum Venetijs integrã plantam uiderim, quæ omnes dauci Cretensis notas habebat.* SE. *Interim pro Meo, qua re utar?* BRA. *Nulla. nam Illustrißimus Princeps in Hispaniam scribi iußit, ut habeatur, rei particeps eris. nunc radices quædam pro Meo ex Gargano mõte Ferrariam aduehunt, & ex Nursia. an uero sint, cum semina ieccrimus, quæ nunc recepimus aperiemus. Galenus. 7. de simplicium medicamentorum facultatibus. Mei radices tertio ordine calidas, & secundo siccas esse fatetur, à Polonis oleszniu, à Cretensiũ uulgo agre agnitho uocatur.* SE. *Igitur brusci radices colligamus.* BRA. *Per bruscum quid intelligis?* SE. *Frutex est grana quædã parua, rubraq; faciẽs. magnus usus est his, qui mingere nequeunt, & calculis infestantur.* BRA. *Quid sit accepi. Ruscus dicere oportebat. Barbari uocabulum corrupere, & bruscum pro rusco dicunt, uel non à rusco per corruptionem dicatur, sed à sapore quẽ habet: nos enim acerbum saporem uulgo bruscum appella*

mus,

mus,quo ruſci grana inſigniuntur,uel potius ſapor ille à frutice nomen accepit,agreſtis etiam myrtus à Dioſcoride nuncupatur.aberrant,qui cubebas à nobis uocatas(de quibus ſupra)agreſtis myrti fructus eſſe putarũt.qui præterea berberim ruſcum eſſe arbitrantur adhuc magis errant,quia inter colligenda ſemina Serapionis berberim apud Dioſcoridem oxyacantham eſſe docuimus . Ruſcus uero,uel myrſine agria,aliud eſt,herba aut frutex notus, quo Venetijs,& pluribus alijs Italiæ locis,ſcopas ad uerrendas domus parãt,eodem nomine uulgo appellatur bruſco.Leonicenus Pliniũ taxat,qui de oxymyrſine loquẽs, eam à ruſco diſtinctam fecit lib.23.tamen idem ſunt,immo & eaſdem uires bruſco attribuit,quas oxymyrſine attribuerat.at Plinius eo loco Caſtorem adducit authorem quendam,qui idem eſſe apud Latinos ruſcum, quod apud Græcos oxymyrſine putauit. noſter igitur bruſcus,eſt antiquorum ruſcus,& oxymyrſine,cuius non ſolum radices ſed & fructum,& folia ſeruato,& aquam per reſolutionem ui ignis exceptam habere ſtudeas. SE. Reperitur'ne apud Arabes ruſcus? BRA. Serapio magno errore, arborem ferentem cubebas eſſe apud Dioſcoridem oxymyrſine arbitratur,& recentes, ut Pandectarius , & alij cum Serapione carpeſium oxymyrſinem eſſe putant, ut ſupra edocuimus,quoniam de oxymyrſine nunquam Galenus,et Dioſcorides nunquam de cubebis tractauit : idem igitur hæc duo eſſe fatentur,ſed errorem ſupra in cubebis oſtendimus.Cubebe enim oxymyrſine eſſe non poteſt,ſi ambarum arbuſcularum formam,& fructum conſideres.Carpeſium uero(ſi Galeno credamus,ut dignum eſt , in primo de antidotis libro)eſt tenues feſtucæ ramuſculi cinnamomi ſimiles,quæ ſunt ſimiles ſecundum genus uocato phu,

&

& eius gustum habet, ut hinc Auicēnæ interpretis error deprehendi poßit, qui quum interpretari debuisset ulres phu habere, Rubeæ interpretatus est. quippe hic error Auicennæ attribuendus non est, sed peßimo interpreti, nam id uocabulum, quod ibi Auicēna scribit, phu sua lingua, & non rubeam significat. ad carpesium autem reuertentes, Quintus antiquus medicus, quem Galenus magnifacit, pro cinnamomo carpesiū sumebat, utpote quod ab optima caßia uiribus non dißideat. inuenit autem Galenus magnam carpesij copiam in sida pamphiliæ, ideo eo loco carpesij utilitas est, propterea laudant ex inde colligi, & seruari, cuius duas species facit à locis denominatas alteram Laercium, alteram Ponticum, hæcq; melior putatur, odorem, & gustum aromatis habet. alter carpesium ab antiquis inexplicatū est, tu cætera prosequaris. SE. Quibus nominibus apud uarias gentes insignitur ruscus? BRA. À Cretensium uulgo exacantha, uel xangathea uocatur. Recentes illam calidam, & siccam ordine secundo fatentur, alij temperati caloris esse uoluerūt, nos uero calidum cum primis authoribus potius esse iudicamus. SE. Cyclaminis radix occurrit. BRA. De hac in herbis expeditum est, uerum temperare non possum, quin Auicennæ errorem ostendam, nam ubi de Artamita loquitur, quæ cyclaminus est, & ipsi Arabes buthormariem uocant. quum primam speciem cyclamini Dioscoridis perperam etiam descripsisset, inquiens sibi & suo tempore ignotam, mox notam speciem suo tempore docet, inquiēs esse spinam spissam, breuem, quæ radicem habet, qua lana lauatur. si uero Dioscoridem in capite Struthij consideremus, quod ante caput cyclamini scriptū est, inquit eius radice lanas lauri, ut hinc arbitrari oporteat, Auicennam

nam

nam secundam quidem speciem cyclamini non posuisse, sed de struthio tractare, cuius rei causam arbitramur Auicennæ Dioscoridem fuisse, qui à pessimo librario scriptus struthium cum cyclamino consuderit. Serapio autem qui iustum codicem habuit, nullo errore ducitur in his speciebus assignandis. tamen de Plinio mirandum magis est uiro græca lingua, & latina disertissimo, qui (si Leoniceno credamus) cyclaminum cum aristolochia confuderit, ut rerum similitudine deceptus uideatur: nam utrunque à rotunditate nominatur, cyclaminus rapum terræ, aristolochia uero rotunda etiam dicitur, unde in hac rotunditate deceptus est, quia. 25. libro inquit aristolochiæ radice simul cum calce piscatores in Campania uti, ad quam aduolent pisces, qui statim exanimati fluitant. at Leonicenus Campaniæ piscatores audiuit, ad hoc negocium peragendum radice cyclamini uti, propterea aut duas radices necandis piscibus aptas assignare oportet, quod nusquam apud authores aliquos reperitur, aut cyclaminum speciem aristolochiæ dicendum: quod ei ex hoc repugnat, quoniam aristolochia ita appellatur, quia prægnantibus succurrat Plinio teste, & etiam puerperis secundum Dioscoridem. Cyclaminus uero non solum prægnantibus aduersatur, sed fertur si prægnans hanc radicem transcenderit, abortum pati. ego (ut ingenue fatear) Plinio potius, quàm Leoniceno consentirem, duas esse radices, quibus pisces capiantur, & aristolochiæ, & cyclamini, quod ab aliquo authore nobis incognito accepit Plinius, non enim opus est quæq; falsa arbitrari, quæ à summis uiris dicantur etiam si ab alijs scripta non sint. scimus etiam & ipsum tertiam quandam cyclamini speciē cognomine chamæcisson uno tantum folio, radice ramosa

posuisse, qua pisces necantur. hanc Hermolaus *ichthyoteram proprie uocari censuit, quamuis hoc nomen primæ speciei cyclamini à* Dioscoride *tribuatur, sed hæc aliàs. miror etiam de quodam excellētissimo uiro, qui* Mesuem *reprehendere conetur dicentem, & eleuantur super radices frondes, & parum infra sine eleuatione stipitis, hic* Mesuem *reprehendit ille, quia caulem fert quatuor digitorum, sed nudum,* Dioscoride, *& ipsa experientia testibus. sed potius errat ipse, quia per caulem, scapum intelligit à quo folia emanare debent, uerum omnes à radice fluunt tenui filo, unde scapum uere non habet, cui folia inhæreant, sed unumquodque ab radice suo proprio caule prouenit, tanquam pediculo cui folium inhæreat. addit etiam* Mesue *calidæ, & siccæ complexionis in tertio ordine esse. ab eodem reprehenditur,* Galenum, *&* Auicennam *huic gradum non assignasse, ac si longe errauerit* Mesue, *qui in hoc uoluit iuuare mortales in quo* Galenus, *&* Auicenna *non iuuere. adde ex* Galeno *colligi posse septimo de simplicium medicamentorum facultatibus. ad alia autem pertransire opportunum erit, ne his futilibus occupati bonas horas in colligendis herbis omittamus.* Germani *erdtzvviel uocant, ac si cæpam terræ exprimere uoluerint.* SE. *Aristolochiæ longæ & rotundæ radices sequuntur.* BRA. *Tria aristolochiæ genera apud* Dioscoridem *inueniuntur, rotunda, longa, & clematis, quæ sarmentosa dicitur ob radices in modum sarmenti complicatas.* Plinius *uero quatuor species adinuenit. longa mas existimatur, rotunda fœmina, ita appellatam uolunt, quoniam puerperis opitulatur, quamuis* Plinius *grauidis dicat. duo genera notissima sunt, quibus in officinis utimini.* SE. *Et hæc duo seruare statui.* BRA. *Longam*

Ferra

Ferrariæ habebis rotundam minime, nisi aliquo statuto loco uireat, id tamen laudo, ut ambas species in his montibus colligas, quoniam rotunda in uulneribus efficacior existet, magis enim exiccabit. Fructus autem & radices seruabis, quæ in rotunda ad rotundum, in longa ad longũ uergunt. si tertiam speciem habere placeat, quæ ramulos tenues habet, folijs modice rotundis, minori sedo similibus, plenos habet hæc rutæ flores, radices lõgissimas, tenues, crasso, & odorato cortice uestitas, tibi locum indicabo, quo mirum in modũ crescit. SE. Satis mihi est has colligere, quibus in nostra urbe medici utuntur. Clematidem unguentarij ad sua unguenta spissanda seruent. BRA. Germani quidam rotundã aristolochiam holuurtz appellant, alijs reclamantibus, quoniam holuurtz herba sit in Germania, quæ potius rutæ folia habeat, quàm hederæ, qualia Aristolochia rotunda habere debet, alij bibervvurtz, alij hinschkraut uocant, longam uero aristolochiam cum additione die lang, ut holuurtz die lang proferunt. SE. Quid per holuurtz intelligunt? BRA. Idem ac si radicem concauam dixerint. SE. Hoc meo iudicio aristolochiæ non quadrat. Sed aliarum gentium nomenclaturas edocere ne pigeat. BRA. A Cretensium uulgo tu lagu taucia. i. leporis auris, à Polonis kokorzin uocatur, alij kokornak dicunt, & ita aristolochiam rotundam nominant, longam uero poil lasozkt. SE. Cuius est qualitatis? BRA. Calidam in primo, & siccam in secundo esse contendunt. Auerrois quinto collectionum in secundo ordine calidas, & siccas facit utrasque aristolochias, rotunda tamen uehementior est. at Galenus oblongam calefactione fortiorem esse dicit rotunda. Auicenna arbitratus est omnes eius species ad tertium caliditatis

ordinē & ad secundū siccitatis peruenire,nos in secūdo ordine solū calidas esse cēsemus,rotunda tamen in intensiori parte est. SE. *Glycyrhiza sequitur.* BRA. *Notissima radix glycyrhiza, quæ pluribus locis Ferrariæ scatet,in Cappadocia tamen,& Ponto laudatissima , sed in Italia copiose uiret,radix tantū in usu medico est,à Græcis glycyrhiza,à latinis dulcis radix appellatur. Theophrasti tempore nondum erat in usu forte hoc nomen glycyrhiza,propterea Scythicam radicem appellauit nono de plantarum historia,quoniam in Scythia plurimum proueniat.duo ex ipsa seruanda,radix, & succus ex ipsa radice expressus , colorem buxeum habet, melior tamen est qui in nigrum uergit,deterior radix quæ fragilis,quàm quæ lenta.de hac tam nota herba,ac radice nihil amplius.* SE. *Si Ferrariæ glycyrhizam habere potero,sum'ne eius gratia ad alias partes profecturus?* BRA. *Non equidem,immo si tāta copia, quæ satis sit in nostra patria colligatur,quum humidior locus sit,hanc pro optima serua,nullibi enim crassiores radices , aut dulciores inueni,quàm quæ Ferrariensi solo nascuntur.tamē equinum fimum , aut bubulum mire odit, nos autem hoc fimo solum nostrum stercoramus;ideo Ferrariæ diu perdurare non potest,ab Hispanis alcanix,à Gallis reclisse,à Germanis sues holcz,ac si dixerint dulce lignum, à Venetis legno dolce,à Cretensibus uulgo glicorizi, à Polonis lacuritia , ab Hispanis regalitia uocatur.* SE. *Glychirizæ qualitates scire percupio .* BRA. *Auerrois primo collectionum illam in primo ordine humidam,in qualitatibus actiuis temperatam esse dicit . Galenus & ipse in sexto de simplicium medicamentorum facultatibus illam in caliditatem temperatam esse dicit,quia dulcis , tamen quia*

parum

parum adstringit, ob id esse tepidæ caliditatis. additq; esse temperamento humano familiarem, tamen frigidior est humana natura, & humida, propterea sitim sedat, ex his dici potest esse in primo ordine remisso calida, & humida in eodem primo intenso, SE. Gentianæ radix sequitur. BRA. Hac radice nostri chirurgici in strictis, & cauis ulceribus utuntur, ut latiora euadant, nec cæcas cauernas parturiant, premunt radicem ad ulceris quantitatem, & imponunt. notißima herba. in montibus, & montium crepidinibus altis nascitur, illuc ergo accedamus, & iugum præaltum ascendamus, ubi uides folia ferè plantagini similia. SE. Mihi potius nuci iuglandi aßimilari uidentur. BRA. Et illis quoque conferri possunt, immo Dioscorides ita confert. Radices legito, & ex radicibus hoc modo succum parato, radice tusa, & diebus quinque madefacta in aqua, postea decocta, quousque radices supersint, deinde aqua refrigeratur, & linteolo percolata iterum coquitur ad crassamentum mellis, demum in fictile conditur ad implenda ulcera, radix lenta est sine odore, aquosa, quæ in sese pressa constringitur, ideo apta ad stricta ulcera amplianda, huius herbæ inuentor fuit Gentius Illyriorum rex, qui in bello primus eius uires demonstrauit. calidam & siccam esse tertio ordine omnes ferè censent, quamuis Auicenna in secundo tantum exiccare prodiderit. amarißima autem est Galeno teste. à Germanis entiam appellatur, à Cretēsibus uulgo gendiegui, à Polonis goricza. SE. Radix irios occurrit. BRA. Quum de iride (ita enim dici debet iris non irios) sermo fit, cæteris semper illyrica præfertur, & ea, quæ mediterranea parte nascitur, & maxime quæ septentrionalibus exposita est. Decipiuntur pharmacopolæ plures, qui Fer

rariæ gladiolum pro iride accipiunt, quem corrupto uocabulo, giaciolo, quasi gladiolum nominant. unde iris Illyrica non est una species iridis ab alijs distincta, sed ob perfectionem regionis, in qua nascitur, integrioribus uiribus, propterea hoc nomen iris Illyrica sortita est, & præsertim quia ibi copiosissime uiret, & passim reperitur, ostendunt uero Ferrariæ florem quendam pulchrum, & odoratum ferè odore præmaturi pruni, aut persici, quod nucem uulgo dicimus, & uarijs coloribus pictum, quem irim Illyricam uocant, sed irim non esse ex hoc liquet, quoniam Dioscorides irim dicit gladioli folia habere, maiora duntaxat, latioraq́; atque pinguiora. uerum quam ipsi irim Illyricam appellant, minora folia, strictiora, & minus pinguia gladiolo habet. nolo ut in his montibus occuperis. singulis diebus Veneti in Illyrium nauigant, & ego fortassis hoc anno cum Illustriss. Alphonso illuc appellam, illinc iris asportabitur, quæ uere Illyrica erit, ex loco enim in quo perfectissima, & copiosissima nascitur, nomen sortita est. iris uero à multis coloribus nuncupatur, qui uel in tota specie, uel in uno flore sunt, quum uero annis elapsis cum Illustrissimo Alphonso Duce nostro in Illyrio essem, irim plures colores habentem quæsiui, & inueni, erant quidem in diuersis indiuiduis uarij, in aliquibus candidi, in alijs pallidi, in alijs lutei, in diuersis purpurei, ut plurimum uero cærulei uisebantur, erat autem unus, & idem flos uarijs coloribus insignitus, ut inde arbitratus sim, irim dici non ob diuersitatem colorum in specie, sed in indiuiduo, tamen species non ex floribus, sed ex radice distinguuntur, alia enim colorem russum, alia candicantem habet. Libyca est hæc, prima Illyrica. at colorum diuersitas non est in summitate floris,

ris, sed in infima parte, ut in his uidetur, quæ nunc Ferrariæ uirent. sunt enim alij flores, qui species distinctas per colores habent, ut eamet ratione irides nuncupari oporteret. in Illyrio duæ species nascuntur, rhaphanitis dicta ob similitudinem, quam cum rhaphanite habet, & melior est, & rizotomos, quæ subruffa uisitur, & minus bona, facillimum est ex Illyrio huc afferri, & sine ulla ferè expẽsa. SE. Egomet illuc accedam. Mesue etiam irim appellari dicit non ex uarietate colorum in uarijs indiuiduis, sed in uno tantum purpureo, in quo magis & minus in eodem folio uisitur. BRA. In iride finem fecissem, nisi cuiusdam excellentissimi uiri locus occurrisset, in quo Mesuem reprehendit, qui inquit melius tempus collectionis iridis esse uer. ille reprehendit, quoniam Dioscorides docet legendas radices quam incipit foliorum defluuium herbis, hoc non est in iride, sed est generale præceptum Dioscoridis in præfatione sui libri de radicibus omnibus. tamen Mesue defendi potest, ut de floribus loquatur, quos iubet colligi antequam defluãt. adde in radicibus euellendis Dioscoridis regulam intelligendam esse, quoties illarum herbarum, quarum radices sunt, folia autumno defluunt. uerum iridis folia continue uirent, & nunquam decidunt. à Polonis fiolkoui korzon, ab Hispanis lirio, à Neapolitanis giglio celeste uocatur. Auicenna calidum esse dicit, & siccum in fine tertij, an ita sit considerato, nos potius Mesuem sequeremur, qui frigidum, & siccum in tertio simpliciter dicit, nos in media intelligimus parte. SE. Vtriusq; cõsolidæ radix sequitur. BRA. Duo symphyti genera apud authores inueniũtur, Petreũ & quod Romani solidaginem dicunt. idem enim est symphyton dicere, & consolidam, ac si dicatur simul nasci fa

ciens. Secunda ſpecies Alo etiam dicitur Ferrariæ notiſsima quo loco abundat etiam plurima. noſtrum uulgus luganego appellat, quia ex Lucania fortaſsis aſportatum, uel ob ſimilitudinem, quam radices habent cum lucanicæ fruſtis. nos enim lucanicam appellamus farcimen quoddam ex ſuilla carne minutim pinſa ſale, ac pipere, in tenuius ſuis inteſtinum infarcta. Romani ſolidaginem à cõſolidandis carnibus appellant. primã uero ſymphyti ſpeciem nondum agnoui, nam hi decipiuntur, qui eam herbã eſſe putarunt, quam pharmacopolæ pro Eupatorio accipiunt, ſed longe aberrãt, quoniam falſum eupatorium origani ramulos non habet, nec capilamenta thymi, nec guſtu dulce eſt quemadmodũ ſymphytum petreum, nec iſtud eupatorium in ſaxis naſcitur, ut petreum dici mereatur, ſed in foueis potius, & inter uineta. Symphytum hoc petreum recentiores conſolidam minorẽ appellant. quid uero ſit ignorant, & ego adhuc nõ recordor me uidiſſe, quã quã radicem quandam pro eo oſtendant, & minus ſymphytum dicant, habẽt autem & præter has duas radices, alias quaſdam, quibus pro conſolidãdis utuntur hi agyrtæ, unam regalem conſolidã uocant, quæ à Germanis ritteſporem dicitur, alteram mediam conſolidam, ſed illas ipſis omittamus, quoniam uiri ſunt abſque ratione experimenta tentantes. Symphytum aliud apud nos uulgo luganigo dictum maiorem conſolidam uocant, quãquam & in alijs Italiæ locis Ala, quaſi Alo appelletur, Poloni conſolidam Koſzthiual, & Hiſpani ſuoldam, ac conſuoldam nuncupant. in Ferrarienſi agro copioſiſsime emergit, ibi colligere nihil impediet, immo ſtatuæ quædam uetulæ harũ radicum faſciculos gratia uendendi in forum portant, & mirus eſt apud noſtras mulierculas in contuſionibus præ

ſertim

ſertim intrinſecis, harum radicum in melle coctarum uſus & extrinſecus emplaſtri modo apponunt. tu autem radicem illam proijce quum domi eris, quam pro minori cō ſolida uendis, quæ ita conſolida eſt, ut tu es elephas, nam eſt radix lignoſa, ſuperuacua, quæ nullum odorem habet, nec dulcis eſt, aut ſaliuam cit, quæ conditiones in minori conſolida, id eſt ſymphyto petreo inuenire opus eſt. nomen cōmune habent Germani, quo conſolidam uocant. s. vvalvvrtz nomen à cruribus deductum, quamuis hi, qui in inferiori Germania habitant, & apud Saxones à loco in quo naſcitur, & ab eius qualitatibus ſchmer vvrtz appelletur, quod idem eſt, ac ſi dixerint nigra radix, unctuoſa, & in aggeribus naſcens, ab alijs bein vuel, ab alijs autem ſchartz uuurtz nuncupatur, Galli uero conſonde uocarunt. unum hic animaduerſione dignum eſt, & ſi Dioſcorides luteum florem, maiori ſymphyto faciat, tamē & album uidimus, & intenſiori colore, quàm luteum habere, quandoque animaduertimus, nec perpetuo caulem habet angulosum, uel leuem, ſed modo hoc, modo illud habere cernes. SE. Reperitur'ne apud Auicennam? BRA. Equidem reperitur, & id eſſe arbitror, quod ipſe ſecundo libro ſuccutum uocat, comparatis ſuccuti proprietatibus ad illas ſymphyti. tamen adeo confuſus eſt, ut quid dicat aperte deprehēdi non poſſit, præſertim quum eius interpres, ubi ſymphytū interpretari debebat ſemperuiua interpretatus ſit. calidam eſſe in ordine ſecundo, atque humidam arbitror, quamuis Auicēna frigidam dicat. Galenus uero illud diuerſarum partium, & contrariarum eſſe fatetur. SE. Serpentariæ radices occurrunt. BRA. Cuius ſerpentariæ? SE. Maioris: quum enim abſolute ſerpētaria dicitur, maior intelligitur, cuius radices conſueui=

mus

mus singulis annis pro officina colligere. BRA. Hoc anno minoris etiam radices seruato, quæ ad plura ualent, et Mesue maioris, ac minoris uires simul confundit, quippe earum uires describit nulla præfatione facta, quòd minoris, aut maioris sint, & adeo simul ambas miscet, ut qui non nouerit, maioris uires minori, & minoris maiori applicare necesse sit. apud authores plures huius herbæ species inueniuntur, quam Dioscorides sub hoc nomine Dracunculus tractet in maiorem, atque minorem distinguēs. post duo dracunculi capita aliam herbam pingit Aron uocatam, quamuis & nomen Aron maiori dracontio conueniat, tamen quicquid sit, quũ Aro eædem uires sint, quæ dracunculo, satis erit duas dracunculi species seruare, quas Ferrariæ, & notissimas habemus. Dracunlus ab Arabibus luph, à nostris mulieribus, qui maior est, absoluto uocabulo serpentaria nũcupatur, minor herba bissara, quoniam anguibus, quos uulgo bissas uocamus, placet, aut in locis nascantur, ubi angues uersantur, uel quia dracunculos bissas dicimus. maior in foueis frequentissima est, & minor etian, tamen peculiariter sepes, & senticeta, ac loca umbrosa amat. ex ambabus speciebus priuatim herbam, & radices serua, quas perforare opus est, inde fune ligatas in umbra suspendere, ut exiccentur. semina etiam habere studeas, & ex maiori succũ ex herba, & radice, ex minori uero ex seminibus exprimito, quæ in modũ uuæ collectæ sunt, ut inquit Dioscorides. Ferrariæ copiosæ, & efficaciores hæ herbæ profluunt. fuere tamen, qui à nobis uocatam serpentariam Aron proprio nomine appellarent, quoniam & Dioscorides à Syris lupha nominari censeat, ob id Arabes, qui Syris propinqui sunt, uocabulũ parum contrahentes luph dicũt. alij etiam bistortam esse

uolunt

uolunt, quam ſerpentariam dicimus. ſed longe decipiuntur, quoniam radicem biſtortam nō habet ſerpētaria, ſed ut Dioſcorides pingit in maiori dracūculo, ita reperitur in noſtra ſerpentaria, candida, rotunda, cortice tenui. uidetur tamen in Aro Plinius à Dioſcoride uarius, quippe ipſe lib. 24. cap. 16. Ari radicem nigram pingit, at Dioſcorides candidam, dracuntio ſimilem. SE. Soluit'ne ſerpentariæ radix? BRA. Soluit. SE. Meſue à celeberrimo uiro reprehenditur, nam Meſue ſoluere cenſet. ille reprehendit, quoniam ab antiquis inter purgantia non numeratur, quæ ipſi cathartica uocant. BRA. Galenus, & Paulus ſoluere omnino innuunt, & Plinius eius folia ſale, & aceto ſoluere innuit, & Dioſcorides inquit minoris ſemina toſta exceptaq; ficu ſicca, aut ſi edatur, aluū emolliet. Arabes autem, uel Arabum interpretes quum ſoluere dicunt uocabula confundunt, immo & Aetius, ita inquit primo libro dracunculi radix omnia uiſcera expurgat. denique experientia ipſa hanc radicem ſoluere oſtendit (nō dico autem cathartice) & ideo in re tam uera non eſt culpandus Meſue, minus culpa dignus eſſet, ſi nonnihil noui edoceret, ab antiquis indictū. Germani uaria nomina habent, ſed biſtortæ applicata potius, quæ tamen ex dracontio fiunt, ut drachenuurtz, alij notteruurtz, Aron, tamen magis peculiari nomine, & pfaffen pint nominant. SE. Ad ſerpentariæ qualitates accedamus. BRA. Te de maiore uerba facere arbitramur. Galenus. 6. de ſimplicium medicamentorum facultatibus, inquit dracuntium eſſe calidius Aro: Arum uero iudicauit calidum, & ſiccum ordine primo, & ideo dracuntium in ſecundo ordine calidum erit, quod & Meſue ex Galeno collegiſſe fatetur, ut fateri cogamur maius in ſecundo ordine calidum, & ſiccum

eſſe

esse, minus in primo. SE. *Enulæ radices sequuntur.* BRA. *Inulæ potius dicito, Helenium à Græcis & Dioscoride appellatur, quoniam ex Helenæ lachrymis in Helena insula genita sit, ut Homerus testatur, cuius radicẽ siquis comederit, omnium dolorum obliuiscitur.* SE. *Hanc radicẽ sexcenties comedi, at hoc percipere nunquam datum est.* BRA. *Poëtica illa sunt, à nostris mulieribus expetitur, et in quotidiano ferè usu hyeme habetur, pro conficiẽdis pastillis, quos Aiolos, quasi Inulos ab Inula uocat. radix est & herba apud Ferrarienses notißima, & frequentißima in his montibus quæras, locis opacis, & siticulosis, ubi efficacior existit. radices in assulas diuidere, & siccare debes, immo & ipsa herba seruanda, passo conditur, aut defruto, ut Dioscorides inquit, qui etiam bene odoratũ esse censet, quum eius odor omnibus non placeat. quippe multi sunt, qui pastillos edere nõ possunt ex Helenio factos: ut hinc conijcere liceat, quum antiqui rem odoratam & εὐώδη, id est bene odorata dicunt, non esse intelligendos in exquisito odore, ut multi sentiunt, quia in Inulæ odore, quid bonum odorem esse censebant, ostẽdunt. in odoribus enim usu uenit, ut aliquibus nõnulla bene oleant, quæ fetent alijs. à Gallis lione, à Germanis alant, à Venetis Ienola, à Polonis oman uocatur.* SE. *Helenij qualitates edoceto.* BRA. *Auerrois. 5. collectionum calidam, & siccam ordine secundo esse dicit. Recentes calidam in secundo, humidam in primo. Auicenna eandem cũ Auerroe sententiam habet. tamen si Galenum consideremus. 6. de simplicium medicamentorum facultatibus in tertio ordine calida, & sicca esse uidebitur, & etiam intenso, tũ quia partes ea affricata rubrificantur, tum quia illam nigro piperi, & albo comparat, quoniam non statim primo occursu excalfacit,*

excalfacit, ut ista: ut ferè hæc facere uideatur cum nigro pipere, & albo in caliditate concertare. SE. Rubeæ tinctorum radices sequuntur. BRA. Notissima est rubia, adeo ut etiam infantes Ferrariæ in promptu eam habeant qua singulis annis nostræ mulieres in festo pascæ resurrectionis oua tingant, duas habet species, syluestrem, & satiuam, satiua utilis est, syuestris nullius momenti. abundat Ferrariæ syluestris, satiua ob rusticorum ignauiam rara, nam magno quæstu per totam Aemyliam seminatur. Rauennæ ingens copia habetur. Erythrodanum à Dioscoride, & ab antiquioribus appellata est, à nobis rubia satiua quanquam in Dioscoridis textu passiua legatur, sed cum Marcello satiuam corrigendum puto. decepti sunt, qui herbam, quam uulgo pedochi de louo appellamus, syluestrem rubeam esse existimarunt, nam syluestris rubea, ea potius est, quæ uulgo stellaria dicitur. hos autem decepit quia & ipsa inhæret, immo & Dioscorides aparnie assimilat, quia inhæret, & rubea etiam inhæret. tota Italia hanc optime cognoscit, & pro tingendis lanis ea utitur, & aptãdis pellibus, tria seruare oportet, semina, radices, & folia, quæ priuatim aliquibus ægritudinibus conferũt, immo si foliorum simul & radicum succus seruetur, ab re non erit, in sepibus nascitur & umbrosis locis. quemadmodum apud nos à colore radicis rubea, ita apud Græcos erythrodanum à rubore appellatur, nam erythron ruborem dicunt. Curabo deinceps, ut Ferrariæ rusculo meo seminetur, tamen laudo, ut altioribus locis, atque umbrosis pro re medica colligas. à Germanis roet nuncupatur. Galli nostrum nomen imitantur, à Cretensium uulgo risari, à Venetis ruba, à Polonis czeruone norzenye. ab Hispanis rubeia, à Neapolitanis rugia uocatur. SE. Cuius

est

est qualitatis? BRA. Galenus ex his, quæ agit calidam, & siccam esse testatur, sed ordinem non exprimit, ab Auicenna. 5. collectionum, in secũdo ordine calida, & in. 3. sicca dicitur. SE. Peucedani radices sequuntur. BRA. Si peucedanum, quem Ferrarienses, & Veneti pharmacopolæ ostendunt, consideremus, idem cum antiquorum peucedano esse deprehẽdetur, nam radix est crassa, liquore plena, qui niger est, & quamuis nostra graui odore careat, nec multũ nigra sit, id ob seniũ accidisse arbitror: eo enim graueolentiam amisit, & succum. SE. Non uidetur simplex aliquod odoris grauitate præditum, ætate reddi iucũdum, adde quòd syncera peucedani radix, & succus ad nos referri possunt. BRA. Video te cauillis, & non rei ueritate delectari, quis unquam dixit iocundum reddi in odore peucedanum? est ne idem dicere graueolentiam amittere, & iocundo odore insigniri? profecto nõ, his qui hominum sermones intelligunt, immo non penitus abest odor grauis. Romæ uidimus, & euulsimus peucedanũ grauiter olẽtem, simul cum excellentissimo, & doctissimo Gilberto Germano, qui Romæ medicã artem fœliciter exercet, potestq; recens ad nos afferri, & facile curare possum ut afferatur, tunc quidem grauiter olet, quæ graueolentia ætate remittitur, ut in multis alijs, ætas odoris grauitatem remittit, ut in uocato zibetto uidere licet. uerũ facile est Genuã mittere Lyguriæ metropolim, inde singulis ferè diebus naues in Sardiniam soluunt, ut curetur recens peucedanum haberi. in opacis montibus nascitur. tria ex peucedano habere oportet, liquorem, succũ, & radices, liquor fit sectis cultro radicibus tenellis, quod ex his fluit liquor appellatur, postea expreßis radicibus succus colligitur, qui liquore ineptior est: ex caulibus etiam

succus

succus fit adhuc ineptior, ut cito efflatis uiribus ignauus reddatur. adde præterea inter peucedani radices, uel etiã caules, inhærentem lachrymam, in morem thuris inueniri, hanc quoque habere conueniet, sed omnia ex Sardinia petenda, aut Samothracia, nã peculiaria sunt hæc, & propinquiora, & ad quæ sit facilis aditus. quamuis Theophrastus, & Plinius laudatissimũ peucedanum in Arcadia nasci uoluerint. SE. Acori radix occurrit. BRA. Quũ frequenter pharmacopolarum radices perscrutatus sum, illud censere fuit opus: radicem eam, quam galangam appellatis acorum esse, quod sæpe ab excellentissimo Leoniceno dictum memini: habet enim folia Iridis, angustiora tantum, nec radices absimiles implicatas tamen, neque in rectum, altum'ue actas, gustu acres, odore non ingratas. si eam radicem consideres, quæ à nobis galanga dicitur omnes has conditiones habere deprehendes. SE. Id me ambigere facit acorum non esse galangam, quoniam à Dioscoride scriptum est acori radicem esse subalbidam, quãuis Plinius nigram esse censuerit, uerum galangæ radix est russa ad fuscum inclinans, adde acorum esse amarum, Galanga uero amara non est. BRA. Galanga, quæ antiqua non sit colorem habet ὑπολευκὸν, id est subalbidũ si recte consideres, nescioq; ubi inueneris acorum esse gustu amarum. Dioscorides inquit esse gustu acrem, & nulla fit amaritudinis mentio, à Galeno præterea dicitur gustu acri, & non amaro, sed inquit & modice amaro, si galangam gustabis percipies cum acredine nõ nihil inesse amaroris, sed adeo uincit acredo, ut id pauxillum amari uix persentiatur. SE. Ea autem radix, quam pro acoro uendimus, quid erit? BRA. Dicis'ne illam, quæ rubra est, ut coctus camarus quum recens est uideatur, cuius summa

ma copia Ferrariæ habetur, in agro Sammartina dicto? SE. Illam inquam. BRA. Quid esset diu consideraui, & quandoque animus inclinabat iridis speciem esse, postea quo nomine appellaretur inquirens in xiridem inclinabam, quam aliqui irim syluestrem dicunt, habet enim iridis folia, uerum latiora, & in cacumine cuspidata. caule intra folia cubitali admodum crasso, triquetras ualuulas ferente, in quibus flores purpurei emicant medio rubentes. semen in folliculis fabarum modo conditur, rotūdum, rubrum, acre. Radix prædēsa geniculis, rubicūda, longa, nostrā uocatam acori radicem aliàs arbitrabar, nunc anceps sum, alij iudicent, quippe acorus noster florem luteum habet, sed xiris purpureum, tamen quicquid sit, gladioli speciem nostrum acorum arbitror. quam uero galangam uos putatis, uerus Dioscoridis acorus est. SE. Ostende igitur mihi Serapionis galangā? BRA. Quid sit incertum est, nec à Dioscoride, aut altero antiquo Græco pertractatur. Soli Arabes suā galāgam pingunt. pro acoro Venetias mittes, ubi uocatā galangam loco eius emere studeas, quæ uerus acorus est, qui calore, & siccitate uiget, noster autem uocatus acorus frigiditate, & siccitate insignitur, & insipidum quendam saporem habet.

SE. Pro galanga quid emam? BRA. Nihil, quia galangam ad hoc usque tempus ignoro. & illi aberrant qui radicem calamum aromaticum apud nos dictam ueram galangam iudicant. nam hic communis odoratus calamus ruffus est, & frequens geniculis, & qui confractus in assulas multas dissiliat, fistulis plenis araneo, subalbidus, in commanducando glutinosus, adstringens linguam, gustu subacri. Hæc omnia in nostro aromatico calamo ad unguem inueniuntur, & præsertim de araneolo illo, qui in

uocata

uocata à nobis galanga esse non potest, qui uero galangam à nobis dictam calamum aromaticum arbitrantur, ex eo id uolunt, quod præcipua bonitas calami, est esse ruffum, geniculis frequẽtibus, ac si calamus aromaticus, quem habemus ruffus non sit, & geniculis careat. SE. *Quid ergo putas calamum aromaticum, quem habemus?* BRA. *Verum calamum odoratum arbitror, ex India per rubrum mare .i. sinum arabicum, postea terrestri itinere per camelorum garauanas (ut eorum more loquar)* Alexandriam Aegypti *magnum emporium, denique* Venetias *cõuehunt.* Acorus *uero in* Colchide *nascitur, ideo* Veneti *quandoque ex nauigatione in* Propontidem, Hellespontum, Euxinum *mare galangam aduehunt, quod acorum esse, iter testimonium esse potest, tamen facilius ex* Galatia *habetur, in qua etiam exuberat.* SE. *Venetijs ergo calamum aromaticum, & galangam .i. uerum acorum quæram, ueram autem galangam minime.* BRA. *Ita fiet, ego enim ueram galangam ab* Arabibus *tantum descriptam inueni. Scribit enim* Serapio *esse uenam in grossitudine casiæ ligneæ, & cortex eius est rubeus, & interius eius est puluerulentum.* Pandectarius *apud* Dioscoridem *inuenisse putant, quum tamen absit.* Germani *acorum schvverten, galangam uero galgent appellant. at* Galli *galangam galingal potius nuncupare uoluerũt, à* Polonis *acorus myeczin, & galanga gangal, & calamus aromaticus tatarskie ziele nuncupatur, ab* Hispanis *uero acorus spatagna, et à* Neapolitanis *spatella dicitur, at de uulgari acoro potius loquuntur.* SE. *Incertum uidetur quid* Dioscorides *describat, in aromatico calamo, an radicem .s. an calamum.* BRA. *De hac re quid ambigis? nomẽ hoc calamus de qua re sermo fiat ostendit. nẽ-*

pe de calamo. SE. Mihi potius radix uidetur, quàm calamus is qui paßim uenditur. BRA. Decimus agitur annus quòd Venetias uerus calamus aromaticus affertur, qui calamus est, & non radix, at communis aromaticus calamus, qui paßim uenditur radix est, & non calamus. id uero de quo in præsentiarum loquor calamus est non radix, qui & folia habet circumcirca in aliquibus calamis, quæ nostrorum calamorum folijs aßimilantur, et nisi putassem galangam esse acorum, non potuissem non arbitrari, uulgarem calamum aromaticum, qui paßim uenditur esse acorum. & forte radix hæc, quæ calamus aromaticus uocatur, est odorati calami radix, calamus autem uerus odoratus in officina campanæ Venetijs uendebatur, ubique autem radix illa uenditur, quæ calamus odoratus uocatur, unde & calamus odoratus calamum uerum significat, & radicem, quæ nunc uẽditur. SE. Quæ sunt acori, & calami aromatici qualitates? BRA. Per acorum galangam intelligo. Auerrois quinto collectionũ facit acorum calidum, & siccum ordine tertio, & Serapio in eodem ordine galangam ponit, arbitror Auicennæ contextum deprauatum esse, & ubi galãgam calidam, et siccam legit ordine secundo, legendum sit ordine tertio, cum Galenus primus omnium. 6. de simplicium medica. facultatibus ordine tertio calidum, & siccum esse acorũ fateatur, tamen arbitramur Auicennam de alia re loqui, quàm de hac radice, quæ galanga paßim uocatur, quippe ab illa facit distinctum acorum, deceptusq; est cum Galeni uerba adducit de acoro, quibus inquit calidum, & siccum esse in principio secundi usque ad medium, Galenus uero tertium ordinem nominat. at de aromatico calamo Galenus putat esse in secundo ordine calefacientium, &

exiccan

exiccantium, uerum magis exiccare, ut dici poßit in medio secundi ordinis calidus, & in fine secundi ordinis siccus, Auicenna uero calidum, & siccum esse usque ad secundum censuit, quae uerba innuere uidentur solum in principio secundi has qualitates habere. SE. Polypodiũ sequitur. BRA. Ex similitudine quam cum cirris polypi piscis habet, polypodium quasi paruus polypus appellatur, hanc herbam latini ex similitudine foliorum cum filice, filiculam nuncuparunt, non ut in Theophrasto Theodorus, qui fidiculam interpretatus est. recentes quoties ordinãt, dicere solent: Recipe polypodij quercini, ex hoc ne putes in alijs arboribus non nasci, sed in quercu efficacius, quippe arboribus inhaeret, & in muscosis locis nascitur, circa montanas quercus polypodium quaeras. SE. Quid de his sentis, quibus nonnulli Mesuem reprehendunt? BRA. Est id Auerroim Mesue comparare, quoniã Mesue polypodium in tertio ordine calidum facit, Auerrois autem in caliditate ferè temperatum esse dicit, quod eius genus ostendit, in gustu mihi uidetur caliditatẽ prae se ferre, & esse secundi ordinis, cum uero secundum Galenum sit facultatis admodum desiccantis, erit in tertio ordine siccum, tamen etsi à Galeno regulae horum ordinum inueniendorum tribuantur, non sunt bilances adeo exactae, quin si uir diligens non sit, errare non poßit. à Gallis polypode, ab Hispanis, ut nos polypodo, à Cretẽsibus uulgo polypodi, à Polonis paprotka, à Neapolitanis cerquegnuola nuncupatur. SE. Thapsiae radix sequitur. BRA. Radix, quam uos pro thapsia uenditis, thapsia esse ab effectu demonstratur, nam in puluerem redacta soluit, & praesertim corticis puluis, ut Dioscorides inquit. unũ tamen obstare uidetur, quòd à Dioscoride, & omnibus

alijs intus cãdida, extra nigra dicitur quibus notis thapsia nostra caret, nã extra nigra nõ est, tamen in nigrum uergit, uel subnigrum, intus uero alba est, ut putandum sit, quum ab authoribus herba aut radix nigra dicitur, non esse intelligendam perfectam nigredinem, modo in nigrũ inclinet, uerum Dioscorides solet parum nigrum subnigrum appellare, ideo arbitror illã, qua pro thapsia utuntur pharmacopolæ Ferrariæ, ueram thapsiam non esse, quia ruffa est, nec gustum eius habet. nos ueram thapsiam in Apennini alpibus uidimus, ubi uulgo dicitur craffegna ua, quæ pars ab Illustrißimo Alphõso Duce Ferrariæ, et nostro inclyto patrono poßidetur, est enim similis ferulæ in specie, folia fœniculo similia habet, umbellas in singulis germinibus in summo habens anetho similes, in quibus luteus flos est, semen modice latum habebat, ferulæ semini simile, ueruntamen minus. Radix grandis intus candida, foris nigra, craßiori cortice uestita, & acris, tamen & eam uidimus in officina Vincentij Celati compatris carißimi, Laurẽtij Augusti pharmacopolæ solertißimi opera. Thapsia dicitur, quoniam in thapso insula una ex Sporadibus potißimum prouenit. illam per Hispanorum nauigationem ad sporadas insulas habere poteris. interim in his montibus collige, & tria ex ipsa serua, liquorem, qui per abscißionem corticis emanat, succum ex expressa radice, quæ in picato fictili crasso in sole siccato, & ipsam radicem. errant qui ex folijs succum seruant, quoniam ut inquit Dioscorides nullius momenti est. cum ualenter calefaciat secundum Galenum erit in tertio ordine calida, & in secundo humida, quoniam larga humiditate plena est, ut inquit Galenus licet hoc referri non poßit ad ordinem humiditatis. Auerrois in primo solum ordine humidam

dam

dam esse dicit, à Cretesibus uulgo agriartichas dicitur. SE. Cyperus sequitur. BRA. Quo loco herbæ nascantur plurimum refert, immo & quo bruta, lapides, æra, & homines, quippe qui in mõtibus nascuntur rudes sunt, absq; moribus, non facile patientes à qualibet leui causa, econtrario qui in amplis urbibus ortum ducunt, morigerati, uafri, & facile patientes sunt, ita qui humido cœlo, albi & molles, nigri qui sicco, & præduri. in Cypero idẽ euenire sentimus, qui si in orientalibus partibus nascatur, odoratior euadit, & efficacior, in hæc pro rupi, quoniam Ferrariæ Cyperi ingens copia habetur, in cõuallibus præsertim, tamen intenso odore caret, ob hoc uero cyperum esse non dubitamus, quia omnes cyperi notas habet, quas illi attribuũt authores, quippe illi porri folia insunt, longiora tantum, gracilioraq́;, caulis cubitalis, & aliquando maior, angulosus, in cuius summo cacumine minuta folia se proferunt, inter quæ semen est, radices oblongas oliuis similes habet, & rotũdas aliquando, nigrasq́;, & cũ amaritudine aliqua odoratas, nascitur cultis, & aquosis locis. Si eam radicem, quam nostri pharmacopolæ pro cypero sumunt considerabis, omnes prædictas conditiones illi ad unguem quadrare percipies, & quãuis amaritudo illa nõ persentiatur, est ob nimiam locorum humiditatem, tamen in subamarum quodammodo inclinat. Cornelius Celsus libro 3. cap. 21. Iuncum quadratum, Plinius uero lib. 21. ca. 18. Iuncum triangularem appellat, sed in processu simpliciter angularem iuncum nuncupauit, re uera in nostro solo, ut plurimum triangularis est, quadrangularis raro, quãuis nonnunquam quadrangularem uiderim, & Thomas Lucensis pharmacopola egregius in officina habuerit. Dioscorides propterea cautius, nec triangularem, nec

quadrangularem sed angulosum appellauit. consueuimus autem res angulosas, in quocunque numero sint anguli, quadrangulares uocare. Triangularium iūcorum & odoratorum ingens copia in Ferrariensi agro habetur locis aquosis tam cultis, quàm non cultis. uerum tria hæc nomina apud authores plerunque inueniuntur, cyperus, cypirus, & cyperis, cyperus est iuncus de quo nunc sermo factus est, cyperus pro gladiolo in Theophrasto interpretatur Theodorus, quãuis cyperus, & non cypirus legatur, quod librariorum gratia factum arbitror, qui .i. in .e. transmutarunt, cyperis autem genitiuo cyperidis, & fœminini generis prædicti angulosi iunci radix. In Ferrariensi agro colligere nihil impediet, tamen in Cilicia, & Syria efficacior prouenit. at ab Alexandria Aegypti, Cilicia, & Syria non multum distant. ideo curandum, ut ex illis locis afferatur, immo recto cursu Veneti singulis annis in Syriam nauigãt. radices solum ab authoribus probantur, quãuis nec caulem prætermitterem, interim Ferrariensi cyperide utaris. SE. *In postrema parte capitis de cypero apud Dioscoridem habetur, in India alterã radicem nasci angulosi iunci, uel cyperi, quæ zinziberis similitudinem habet, nam commanducata amarescit, & luteum croci colorem reddit. Libenter hanc radicem noscerem.* BRA. *Suspicatus sum, & adhuc à suspitione nō dimoueor, radicem illam, quam uos curcumam appellatis hanc esse, de qua Dioscorides in cypero, nam similis zinziberi est, immo ipsam inter zinziberis radices Veneti pharmacopolæ inueniunt, quæ si mandatur, amaritudinē quãdam licet paruam præ se fert, & croci colorem reddit. unum tantum deest, quòd hæc radix statim applicata non depilat, sed in multis depilatorijs recentes ea utuntur,*

tur,tamen uideto inter recentes oppugnantiam, nam Serapio curcumam chelidonium esse putauit, immo ita esse certus sum.s.quòd hoc uocabulum curcuma apud Serapionem idem sit,quod apud Dioscoridem chelidoniũ , uel potius fuit interpres Serapionis,qui ubi Serapio sua lingua kaurach dicit,interpres curcuma exponit , at kaurach descriptione considerata.i.curcumæ secundum interpretẽ,idem est cũ chelidonio Dioscoridis,ut tibi uidere licebit.errat autem Pandectarius,qui summam curcumam chelidonium esse putauit,& duplici errore peccat, primo quia non magis chelidonium minus , quàm maius apud Serapionem curcuma est , præterea eam radicem, quam uos pro curcuma uenditis,curcumam esse arbitratur,quæ in zinzibere inuenitur,constat non esse chelidonium minus.unde non assero Serapionem errare,qui chelidonium curcumã appellat,sed fateor eam radicem, quã Venetijs,& Ferrariæ curcumam dicunt,Serapionis curcumam non esse,nam ipsa potius est indicus cyperus , si quid sit,errat & Pãdectarius,qui aperta fronte dicit Plinium his uerbis uti,minor chelidonia est memith,at multiplici errore deprehenditur,primo quia memith succus est,non herba,præterea Plinius loco à Pandectario citato.25.libro cap.8.in medio ferè nihil huius memith meminit,immo nec usquã alio in loco,uerum tamen est, Serapionem chelidonium minus secundum aliquos memithẽ appellare , ita eius interprete exponente, nam caput de memithe distinctũ facit à chelidonio minori,& apud ipsum idẽ ferè uidetur apud istos memithi,quod apud Dioscoridem is succus,quem othonnam uocat, quãuis Serapionis memithe apud Dioscoridem glaucium sit, & non othonna,de quo suo loco differetur . unum est Serapio=

nem, & ipsum de indo cypero loqui eodē modo quo Dioscorides, unde aliam curcumam non inuenio apud Serapionem. decepti uero sunt in chelidonij radice, quoniã & ipsa crocea existit, unde nisi cyperus indus ea radix sit, quam curcumam nuncupatis, nusquam apud Serapionem, aut Dioscoridem quid sit inueni, quia Serapionis curcuma chelidonium minus est. ob id etiam chelidonium minus curcumam esse multi putarunt, quia depilat sed decepti. certus enim sis, quam nos curcumam dicimus chelidonium non esse, ut eius figura, & proprietates ostendunt, quãuis hoc uocabulum curcuma apud Serapionis interpretem chelidonium significet. Galli cyperum sonchet uocant, Hispani raiz de iunca, Lusitani auelada, ab alijs Hispanis iuncia dicitur. SE. Cyperi qualitates edoceas. BRA. Galenus ordinem non exprimit, sed inquit calefacere, & exiccare absque mordicatione, Auerrois in secũdo ordine calidum, & siccum esse dicit. SE. Esulæ radix succedit. BRA. In hac herba tot ambiguitates sunt, ut Arabes inter se dissidentes uideantur, & bis de eadem re absque ratione loquentes. Hæc ab excellentissimo Leoniceno in Epistola ad Menochium diffuse pertractata sunt, nos concise expediemus, nec ea repetere uideamur, quæ à tanto uiro scripta sunt. SE. Audiui esulæ radicem turbit esse, immo apud Dioscoridem in capite pytiusæ legi, quia Dioscoridis pytiusa apud Arabes præsertim Serapionem esula est, quæ radicem habet, quam appellant turbet, albam, crassam, & madidam succo. BRA. Plura sunt quæ hoc loco ambiguitatem faciũt, esula inprimis apud Arabes & latinos diuersa, & deinde turbit, si esulæ Serapionis, ut pytiusæ Dioscoridis picturæ considerentur, idem penitus esse deprehendetur, sed quam Mesue Alse-

bram

bram uocat, & à recentibus esula interpretatur, non est Serapionis, aut Dioscoridis esula, quoniam ambo radicem candidam habere fatentur, sed Mesue suam alsebram rubram radicem habere, ut cassia. scribit Auicenna in capte sebram idem cum Mesue sentit ad rubedinem tendere. Leniceno autem uidetur Auicennam bis de eadem re loqui, semel in capite de sebram. & deinde in mezeberegi, sed re uera duo diuersa sunt, quoniam Mesue duplex sebram magnum, & paruum describit, ita Auicēna de paruo in de sebram, de magno in mezeberegi, arbitrorq́; sebram paruum apud Mesuem, & sebram absolute apud Auicennam, idem esse cum tithymalo paralios apud Dioscoridem, qui radices in summo rubētes habet, quales sebram insunt. Maior autē Mesue sebram, idē est cum Auicēnæ mezeberegi, et utrūq; idem est cū tithymalo platyphyllos Dioscoridis, qui tusus in aqua pisces necat, & ego quandoque suspicatus sum hunc tithymalum id semē parere quod nucem nomicam nuncupamus; at Auicenna non dicit pisces necare, sed potius inebriare. quod uero suspicatur Leonicenus istud Mezeberegi Dioscoridis Pytiusam esse, ego non suspicor, quamuis multos nodo soluere oportuisset, quos alijs relinquere statuimus, ne in re hac tam incerta tempus conteratur. certus tamen sum Serapionem bis de pityusa Dioscoridis tractasse. primus locus est post septem tithymali Dioscoridis species, nam ipse alteram addit, quam pthiam appellat, nomen corruptum est, legi debet pityusam quippe eodem loco scribitur, quo à Dioscoride. s. post tithymali species, & eadem effigie, atque eisdem proprietatibus. secundus locus est, quum de Esula tractat, quam Sebram uocauit, tunc pytiusæ Dioscoridis meminit, quippe eadem cū ipso dicit, forte

te

te ob lac statim post lacticinia pertractauit, deinde uoluit iterum per se loqui. uerum non arbitror hanc esse causam, quia sub alio nomine de ea tractat. quam ob rem Serapionem deceptum esse certus sum, nisi & ipse maiorē sebram, & minorem prosequatur. SE. Hæc nihil ad rem Serapionem, & alios Arabes in hac re nihili facio, id tantum noscere cupio, quid sit hæc radix, quam nūc esulam uocamus, idest an apud antiquos reperiatur, quicquid Arabes de ipsa loquantur. BRA. Radicem illam, quam uos pharmacopolæ loco esulæ utimini, ostendit mihi (sed tunc mentem non adhibebam) Genuæ quidam pharmacopola. hic eruit, & radices ostendit, quæ eandem omnino similitudinem habebant cum nostra uocata esula, quippe in superficie subrubræ erant, & folia stricta, oblongaq; habebat, circa maritima ortum ducebat, quam ob rem uestrā esulam apud Mesuem minorem sebrā esse arbitror, apud Auicennam absolute sebram, apud Dioscoridem illam tithymali speciem, quæ paralios quasi maritima nuncupatur eo quòd in locis maritimis, ut plurimum nascatur, apud Serapionem nostra esula est tertia tithymali species quam ipse corrupto uocabulo peralios pro paralios, sua autem lingua minghat uocat. quam uero ipse sebram nuncupauit, & eius interpres esula interpretatur, non est uestra esula. nec etiā tithymalus paralios, sed est Dioscoridis pityusa, quam tamē post species tithymali iterum tractat. Res ita confusa est apud hos Arabes, ut difficile sit omnia ad unguem perscrutari, nempe Arabicam linguam calere opus esset, si quis uellet omnia hæc probè distinguere, scio autem plures species herbarum lac ferentium me uidisse, quàm à Dioscoride pertractētur, quū uero de radice pityusæ dubitabas, quæ à Dioscoride turbet dicitur, nūc

quid

quid uerũ turbit sit: respondeo excellẽ. Leonicenũ eã particulã in Dioscoride ἣν καλοῦσιν τουρπὲτ, id est quam appellãt turpet, non esse à Dioscoride positam arbitrari. quia nomen barbarum est, sed potius tanquam glossema fuisse additum ab aliquo, ita putãte, nam plures Græci id credidere, & inter alios Actuarius, qui quum Arabum medicinas numerat, inquit turbit à Barbaris uocitatum esse radicem plantæ, quæ à Græcis pityusa uocatur. forte Actuarius per Barbaros alios, quàm Serapionẽ intelligit, nam constat Serapionis turbit, non esse pityusam Dioscoridis, ut mox ostendemus. Marcellus etiam cum Leoniceno illam particulam adiunctam esse suspicatur, Hermolaus nihil meminit, nec id caput cõmentatur. ego autem in omnibus Græcis exemplaribus (quæ ad manus meas peruenere) eã particulam inueni. sed forte ab uno exemplari ducta, & transcripta, in quo ita legebatur, idq; uanum est dictu, à Dioscoride scriptum non esse, quia nomen Barbarum, ac si Dioscorides Barbara nomina præteriret. constat tamen posteriores Græcos pityusæ radicẽ, Barbarorum turbit esse putasse, quod si in Serapione intellexerint, aberrant, si in aliquo altero, quem non uiderint, forte uerum est, tamẽ hic non est rei nodus, sed quid sit ea radix, quam uulgo turbit appellamus, discernere oportet, postea nunquid turbit ab Arabibus descriptum aliquo in loco à Dioscoride pertractetur. SE. Hoc est, quod peto, nam de hac re excellentissimum Leonicenum disserentem legi, sed ambigue, & timide proponentem, tu mihi in hac places, qui simpliciter quid sentis aperis. BRA. Nunc duæ radices Ferrariam comportantur, altera subrubra, uel subnigra, aut cineritia, altera alba, quæ ex mõte Gargano Apuliæ feruntur, & maritimis potissimum

locis,

locis, radix illa subrubra quandoque, aliàs cineritia, qua utimur gummosa, est Mesue turbit, ideo potißimũ in officinis turbit Mesue habetis, quod intus albũ, extra subrubrum, aut subnigrum, aut cineritium existit. uidi ego plãtam, quæ folia ferulæ nõ habebat, ut illi Mesue attribuit, sed myrti, maiora tamen. ideo Mesue codicem corruptũ esse arbitror, & myrti non ferulæ legi debere. Est autem apud Dioscoridem Myrsinite, id est secunda species tithymali, qui fœmina est, quoniam & ipse folia myrti, maiora tamen habet: quãuis in nostro antiquo Mesue in margine loco ferulæ scriptum sit aliàs fœniculi, quicquid tamen sit, pro constanti habeo Mesue turbit secundum speciem tithymali apud Dioscoridem, & Serapionem esse. Serapio autem de turbit alio modo pertractat, quippe inquit caricamon (legi debet canumaris, quia ita à Romanis appellatur) est planta, quæ nascitur in littoribus maris, in locis. s. quos mare cooperit quando crescit, quando uero est quietum, non tangit ea: non enim nascitur intra aquam maris, nec est multum longe ab ea, & nisi quando mare turbatur, & crescit non tangit ea, & habet folia similia plantæ, quæ dicitur arasatis. codex corruptus est, legi debet isatidis, ut Dioscorides inquit, nisi quia sũt grossiora, & dicunt quidam quòd flos eius mutat colorem ter in die, quia mane est albus, & in meridie declinat ad colorem purpureum, in uesperis uero fit rubeus, radix uero eius est odorifera, alba, quæ quando masticatur calefacit linguam, & reliqua. Tu modo Dioscoridem in capite tripolij legas eadem cum Serapione dicentem, nempe inquit Tripoliũ nascitur in maritimis, ubi allidit unda, iterumq; retro commeat, neque in mari, neque in sicco plane, folia isatis habet arẽtia, longioraq;, caulem palmo altũ, in Mu

croneq;

croneq; diuidentem se, huius in flore colorem tradunt mutari ter die, candidum mane, purpureum meridie, sanguineum sole occidente aspici, radice alba, odorata, calidi gustus. ex his uides, quòd Serapio turbit appellat Dioscoridem tripolium nuncupasse. uidetur tamen Mesue in uiribus cum Serapione, & tripolio Dioscoridis conuenire, quod tamen uniuersim nō est, sed in aliquibus. propterea contingere potest, ut radix illa Mesue easdē uires habeat quas serapio suo turbit attribuit, immo si secundam speciē tithymali Dioscoridis legamus, quæ est Mesue turbit, statim plures uires habere deprehendetur, quæ in idem se rè uergunt, ideo non mirum si Mesue turbit plures uires habeat, quæ Serapionis turbit insunt, hoc tamen Serapionis turbit, quod est Dioscoridis tripolium, nec in usu est, nec à nostris pharmacopolis cognoscitur. ea uero radix alba, crassa, quæ ex monte Gargano ad nos affertur est turbit Dioscoridis, idest pityusæ radix. est enim alba crassa, & succo madida, & ex herba habēte folia minuta ex acuta similia piceæ sumitur. multi uero putarunt esse turbit Serapionis, propter candorem, decepti tamē, quia turbit Serapionis odoratum est, sed hæc radix est inodora, præter id, quòd herbæ folia Dioscoridis pityusam esse ostēdunt. S B. *In summa collige, quicquid de turbit præcitatum constat.* B R A. *Lubentissime agam, Mesue turbit est secunda species tithymali apud Dioscoridem, & Serapionem: Auicennæ, & Serapionis turbit, Dioscoridis tripolium est. Dioscoridis turbit (nisi textus mendosus, aut superfluus sit in capite pityusæ) pityusa est, de qua bis Serapio, & in ultima specie tithymali post septem Dioscoridis, & in capite de sebram. unde uides quantum res occultate noscatur, & quomodo quæq; herba hoc modo fa*

cile

cile cognosci poßit, nam uocabulū turbit ad hæc tria æquiuocum est, ad Mesue. s. Dioscoridis, Serapionis, & Auicennæ simul turbit. Denique quòd Pandectarius duo capita fecerit, unum tripolij, aliud turbit etiam secūdum Serapionem, & Simon Genuensis an tripolium, Trifolium esset dubitauerit, & de errore Plinij in tripolio, & polio & quō Plinij causa Theodorus errauerit, qui in Theophrasto, ubi dicit polium, tripolium uerterit, plura dicta sunt ab excellllētißimo præceptore Nicolao Leoniceno, ideo opus non est, absque aliqua utilitate, hæc iterum repetere, quæ tu in illius uiri Epistolis facile intueri poteris. quam ob rem ad alia potius transire opportunū erit, si in primis te animaduertero, à Germanis plurimis esulā vvolffmilch appellari, quod uocabulū lac lupi significat, forte quia ineptum lac, aut excedit, ut animalium lupus uoracißimus est, susuxa à Polonis uocatur, & calida, ac sicca est ordine tertio. SE. Pyrethron sequitur. BRA. Herba apud nos in hortis frequentißima est, quā Rustici drago appellant, Dracontea latine dici potest, hanc grauißimi uiri pyrethrum esse arbitrati sunt, sed ita decepti, ut rari sint grauiores errores, quippe & folio, & sapore, & usu differunt, à Romanis pyrethrum herba saliuaris appellatur, quoniam saliuam excitet, & quum multa sint naturæ calidæ, & attrahentis, magis etiam, quàm pyrethron, nihil tamen æque bonum reperitur, ad saliuam excitandam, ut pyrethron, quam peculiarem proprietatem latini considerantes saliuarem herbam nuncuparunt, ob caliditatis feruorē à Græcis pyrethron dicitur. hæc herba in Apennini alpibus frequens habetur, folia pastinacæ syluestris, uel fœniculi habet, ut authores referunt, sed mihi etiam Apio comparari posse uidentur, feruet quidem,

quod ex his montibus affertur, & magis si aridũ, quàm uiride, tamẽ quod ex Græcia magis feruet, & crassiores sunt Græcæ radices nostris, à Gallis pie dalisandræ, à Germanis pertron, à Cretensibus uulgo pilatro, ab Hispanis piletro nuncupatur. causticam uim habet inquit Galenus, propterea calidum erit ordine quarto, tamen recentes calidum, & siccum in tertio iudicarũt. SE. Zedoaria occurrit. BRA. Et nomen, & res ipsa Barbara esse ostendunt: nusquam enim apud Græcos zedoariam inueni, nec quid esset illa radix, quam zedoariam dicimus, quæ Alexandria Aegypti Venetias portatur. scimus autem recẽtes, & Arabes in ipsa confusissimos esse, nam Serapio de zurumbet tractans zedoariam intelligit. Auicenna autem primo de zedoaria eodem modo, quo Serapio de zurũbet scribit, postea aliud caput de zurumbet facit, tanquam de re à zedoaria distincta, & Simon Genuensis se uidisse fatetur, & zurumbet radicem habet similem cypero, sed radix zedoariæ est similis Aristolochiæ rotundæ, tertio Auicenna capite de zeduar, à prædictis duobus distinctum facit: Simon uero per zeduar, zeduariam exponit, tamen Auicenna ueluti distinctã, scribit, & Dioscoridem in zeduar adducit, nos locum inuenire nequiuimus, immo Auicenna rem offuscat, propterea Auicennam, Dioscoridem nunquam uidisse arbitramur, præsertim in hoc loco, sed potius Paulũ Aeginetam, quem adeo imitatur, ut nonnũquam integrum caput, & integra remedia sumat. nonnulli uero etiam sunt, qui Auicennæ zarnabum, & zeduariã idem esse putarunt, à quibus dissentimus, nam zarnabum (si recte coniector) id est, quod apud Paulum. 7. libro, & Aëtium Arnabo nuncupatur, quod in odoramentorum cẽsu est, cuius rei gratia unguentis subinde inseritur, ab unguentarijs

guentarijs

guentarijs tertij calefacientium,& Arescentium ordinis, cassiæ,carpesioq; simile,quã ob rem in eius penuria Possidonius cinnamomũ in ipsius locum substituendũ esse censuit. Auicenna & ipse suum zanarbum,quasi arnabum inter odorata numerat, & pro cinnamomo poni fatetur, quamuis Paulus cinnamomum pro ipso poni fateatur. ad rem nostram redeuntes, Serapio etiam aliud caput facit de zurũbet,sed unum est, quod in his rebus errare facit, Arabicorum nominum inscitia, & præsertim orthographiæ,quoniam una dictio aspirate scribitur, altera non, quum autem ea lingua careamus recte iudicare non possumus,unde Arabes merito ægre ferre possẽt latinos suũ idioma omisisse. quum tamen summi in ipso scripserint uiri,qui si ita commode, & fideliter interpretati essent, ut Græci authores,multa præcipua nobis ostenderent,& in pluribus eos laudaremus,in quibus contemnimus: putare enim oportet zurumbet, de quo isti diuersis locis tractant uario modo scribi, quum res alia sit. nam zurumbet primo loco scriptum à Serapione.5.cap.172.ab eo diuersum est,quod capite.270.scriptum reperitur: primũ enim radix est uocata zedoaria, ut eius interpres exponit,& etiã Auicẽnæ interpres,aliud uero res altera est,et nos suspicamur esse Arnabo Græcorũ,nã Serapio eo cap. 271.de zurumbet tractans Galenum adducit,in traslatione Arabica secundum Tarich, uerum nihil est apud Galenum,quod huic zurumbet correspondeat,puto illum Tarich deceptum esse,& uoluisse adducere Paulum,non Galenum,nam Paulus in Arnabo eadem præcise dicit, quæ à Serapione adducuntur secundum Galenum in translatione Tarich,immo & ipse Serapio dicit Paulum eadem cũ Galeno scripsisse,ut nec una litera differant, propterea

arbitror

arbitror illum Tarich pro Paulo Galenum adduxisse, uel in Galeno suo addidisse hoc, quod à Paulo non à Galeno scriptum reperitur. quod autem idem sit præcise cum Arnabo Pauli zurumbet ducentesimi septuagesimi primi capitis Serapionis, manifestum est authorem authori comparando: inquit enim Serapio zurumbet est ex speciebus odoriferis, & propter hoc admiscetur confectionibus Aromaticis, & est calidum, & siccum propè tertium gradum, & est in uirtute sua simile casiæ ligneæ, & cubebis: si modo Paulum in Arnabo legeris eadem ferè dicentem inuenies. Arnabo in odoramentorum censu est, cuius rei gratia unguentis subinde inseritur ab unguentarijs, tertij calefacientium, & arescentium ordinis, caßiæ, carpesioq; simile. Hinc uides zurumbet istud Serapionis idem esse cũ Arnabo Pauli, & Serapionis zurumbet idem cum Zarnabum Auicennæ, si Auicennam legas, & compares ipsum Serapioni, in authoritate Isaach, Ebem, Abraham, & in authoritate Mescah, & Mesarugie, quod etiam à Serapione dicitur, & dixit Consodonius, si non habes cinnamomum pone pro eo zurumbet, à Paulo per oppositum refertur. arbitror Serapionis interpretem in causa fuisse erroris, ita enim Paulus inquit, quam ob rem in eius penuria Poßidonius (non Consodonius, ut in Serapione legitur) cinnamomum in ipsius locum constituendum esse censuit, nõ autem dicit quòd Arnabo pro cinnamomo ponatur, sed econtrario, unumq; animaduersione dignũ est, Paulus Arnabo carpesio comparat, & caßiæ, Serapio caßiæ ligneæ, & cubebis. hinc elicere oportet caßiam ligneam Serapionis esse Græcorum caßiam, & Serapionis cubebas esse antiquorum carpesium, tamen proprium caput facit serapio de cubebis, quæ idem facit cum myr

to syluestri Dioscoridis.unde errores arbitror ex interpretibus accidere,qui latina nomina Arabicis accommodare nesciuerint:nam si per cubebas hic intelligat myrtum syluestrem errat,quia carpesium est,si uero carpesium intellexit , cur deinde syluestrem myrtum cubebas nuncupauit?non possum non addiscere Arabicam linguã, ut tot dissidia in nostra arte conciliẽ,qui uero zedoaria, & zurũbet diuersa sint,illud testimoniũ esse potest,quia Mesue in descriptione Electuarij de gẽmis zeduariã primo sub uno pondere,postea zurũbet sub altero ponit, ut inde ad libellam deprehẽdatur zedoariam, quæ zurũbet dicitur,et zurumbet diuersa esse.nonnulli recentes radicem eam,quæ à nostris pharmacopolis ben album appellatur antiquorum zedoariam esse existimarunt,qui summe errant:nam zedoaria,ut Arabes referũt, radicem rotundam habet,ben album longam. Quid autem sit radix hæc apud antiquos,quam uos zedoariam nuncupatis nõdum mihi constat,sed breui inuenturos speramus,& iam coniecturas habemus.Galli zedoariam cretonart , Germani zuuitten,Poloni czikavvar appellant.Aben Mesuai apud Serapionem zedoariam in secundo ordine calidam,& siccam facit,recentes uero calidam in tertio & siccam in secundo esse fatentur. SE. Eringij radix sequitur. BRA. Nullus ferè est apud nos huius radicis in re medica usus,pharmacopolæ eas zuccharo condiunt, & ad uirile membrum erigendum,& hyeme,ut uentriculus calescat,utuntur.notissima herba est , quæ in maritimis Illustrissimi Ducis nostri locis ubertim nascitur,quãuis Dioscorides in asperis,& campestribus prodire censeat,nec Dioscorides alterius speciei meminit, quàm radicem extra nigram,intus candidam habentis,extat tamen

men & eryngium radicem extra albam habens, quam omnes Italiæ pharmacopolæ zuccharo, uel melle condiũt, uulgo rinzo dicitur, quasi eryngium, & conditum ex ipsis rinzata, quasi eryngiata.i.ex eryngio factum nuncupatur, Dioscorides unam tātum speciem nouisse uidetur. Plinius libro 22.capite.7.& octauo, & albam radicem extra habentem nouit, quam centum capita uocat, quod uocabulum Hispanum est, ut inquit Dioscorides, sed ipse absolute suo eryngio applicat, Plinius uero tantum albo. immo & satiuam facit Plinius, & quæ sponte nascatur in asperis, & saxosis, & in littoribus maris, in quo loco nos semper eam uidimus, unde centum capita eryngium est, præsertim album, tamen id nomen in nigro Dioscorides scribit. SE. Loquuntur'ne de eryngio Arabes? BA. Loquuntur quidem sed confuse, nam Serapio capite.89. de secacul tractat, quod recentes aliqui eryngium esse putant, quāuis ab alijs polygonatum.i.fraxinella à nobis dicta existimetur, sed hæc aliàs, postea capite.56.de astarico (ut eius nominibus utar) quod dicit esse centum capita, & iringi.i.eryngium tractat, quo in loco duo simul cōfundit Serapio, unum est asteraticum, alterum eryngium, appellatq; asteraticum centumcapita, quod nusquam ab antiquis factum apparet, corruptum uero nomē est apud Serapionem, quod ipse legit astaricon, asteriscum legi oportet, nam ita à Dioscoride etiam nūcupatur, & quod dicit Serapio ab aliquibus bionion dici, bubonium legere conuenit, ita Dioscoride appellante, ibi Serapione considerato certe deprehenditur astaricum suum, uel centumcapita esse aster atticū Dioscoridis, postea de iringo eodem capite tractat, quod centum capita album uocat. ex te ipso considera, quoniam simul eryngium, & asterati-

cum miscet, forte uitio interpretis hæc sequuntur, qui uocabulum hoc centumcapita asteratico, & eryngio attribuerit, quicquid tamen sit Dioscoridem adducit Serapio in centum capita radicem albam habente, de qua tamen nusquam à Dioscoride scriptum reperitur, & illi proprietates attribuit, quas suo centum capita nigro apponit. Dißidentes uidentur Germani in eryngio. sunt qui herbam putant, quam vvallen disteln appellãt eryngion arbitrantur, ac si dixerint cardu um aggerarium, alij aduersantur quoniam inodora sit eius radix, eryngij uero odorata, propterea alteram herbam esse existimarunt ab ipsis eber uurtz dictam, alij schvverten appellant. quicquid sit, hoc dißidium ipsis relinquatur, sat est apud nos circa maritima Illustrißimi Ducis nostri utranque speciẽ frequentem inueniri, quas simplici nomine rinzi, quasi eryngium uocamus. sed unum est, pro quo ualde doleo à nobis Arabicam linguam ignorari, immo coget nos quandoque addiscere, & breui, modo præceptorem enanciscí poßim. nã Serapio de eryngio tractans sub nomine asthaticon proponit, tamen aliud nomen, pro eryngio in capite nardi scribit, nam Dioscoridem adducit, qui nardum montanam eryngio comparat, ipse uero non eryngio, sed narsabane, uel secundum alium textum darsabane, unde opus est per hoc uocabulum narsabane eryngium intelligat, alioqui Dioscoridem non imitaretur, sed quod magis est, Auicenna comparat montanam nardum folijs croci hortulani, arbitror interpretum male fidorum uitio hæc omnia contingere, qui uocabulum pro uocabulo confuderit, & capita capitibus immiscuerint, ut apud Serapionẽ de asteratico, & eryngio dictum est, forte est unum nomen Arabicum centum capita significans, quod asteraticum,

cum,

cum, & eryngium complectitur. hæc aliàs discutiēda relinquamus, ut denique de eryngio expeditum sit. à Cretēsibus uulgo aphtaston eryngium uocatur, à Polonis minolaien, Galenus putat eryngium in actiuis qualitatibus tēperatum, & ualde siccum, unde in tertio ordine siccum erit. tu considera an potius in secundo ordine calidū sit. SE. *Hermodactyli ad lineam uenere.* BRA. *Plures in pentaphyllo errarunt hermodactylon esse arbitrantes. i. mercurij digitum, quoniam hoc nomine Dioscorides etiā pentaphyllon uocet, uerum pentaphylli radix, ita à nostri hermodactylis differt, ut nox à die.* SE. *Quid ergo sunt hermodactyli nostri apud antiquos?* BRA. *Arabes præsertim Serapio sub hoc nomine hermodactylus duo complectitur, Dioscoridis colchicon, & ephemeron, ut ex eo apparet, hæc describente. quāuis nomen corruperit, et ubi achimeron legitur, ephimeron scribēdum sit, nec mirum, quoniam & apud antiquos eodem nomine significatur, quippe apud ipsos per hoc uocabulum ephemeron inuenio, tam colchicum interficientem, quàm ephemeron non interficientem significari. hoc constat siquis Paulum Aeginetam de ephemero loquentem legat, ubi dicit, ephemeron, non quod lætale est, & noxium, sed quod iris syluestris appellatur, ut ostendat per ephemeron etiam id quod lætale est intelligi. adde in Alexipharmacis Nicandrum de ephemero loqui, quem in Colcho infestum censet, ut ferè hanc differentiam innuat ephemeron, aliud colchicum. i. ex Colcho esse, aliud alterius generis. Hoc præterea Paulus Aegineta libro. 5. cap. 48. clarius ostendit, in quo libro de uenenis agit dicens siquis ephemeron quod colchicum aliqui, & syluestrem bulbum appellant (Romani nanq; bulbum syluestrem nominant) his uerbis*

manifeste deprehenditur, per ephemerum etiam colchicum intelligi, immo & Dioscorides idem testatur, qui in capite colchici, ephemerum etiam nuncupat, ac si innuat duplex ephemeron inueniri, colchicũ. de quo prius tractat, & quod peculiariter ephemerum nuncupatur, unde etsi ephemeron colchicum significet, tamen præcipuo nomine id ephemeron est, quod ueneno caret, quãquam hoc nomen ephemeron à uenenoso deductum sit, uerum per excellentiam loci in quo nascitur, & ob facinora Medeæ ex Colcho, nomẽ ephemeron ad non uenenosum relictum est, & uenenoso, ea excellentia tributa est, ut colchicum dicatur, dictum uero est ephemerum, quoniam una die interficiat, eiusdem rei Galenus testis est, qui de ephemero loquens inquit se non de colchico, quod uenenum est, sed de eo, quod iris agrestis dicitur. unde ephemeron idem significat, quod apud Arabes surugem, & apud recentes hermodactylus. at sub ephemero colchicum comprehẽditur, quod uenenum est, ita peculiariter appellatum, ut Plinius libro. 28. capite decimo ipsum uocat, & in id, quod peculiari nomine ephemeron dicitur, de quo idem Plinius libro. 25. capite undecimo, ex his uides non esse damnandos Arabes, qui cum Græcis idem sentiunt, licet sub uarijs nominibus, nec etiam rem esse incertam, ut nonnulli arbitrantur. Serui eo antiquitus utebantur, quod colchicum dicitur, tanquam refugium in desperatione. SE. *Id, quo utimur quid est?* BRA. *Colchicum est, si Dioscoridis notas considerabimus.* SE. *Est ergo uenenum?* BRA. *Venenum penitus, propterea soluit usque ad sanguinẽ, quandoque natura non ferente.* SE. *Quare eo utimur?* BRA. *Ego nunquam utor, ne quempiam uolens interficiam. quum præsentaneum uenenum esse noscam opus esset nos*

ephemeron

ephemeron accipere, eo autem caremus, ideo usu uenit, ut ephemeri loco colchicum sumeretur, certus sum in quercetis me uidisse, & sexcenties ephemeron excauasse, quum essem Comachi apud Illustrißimum, & excellentißimum patronum meum Herculem Estensem, & satyrionis radices quærerem herbæ occurrebant, quæ lilij folia, tenertora tamen, & flores candidos, amarosq; habebât, uno autem moueor, ut præter ephemeron, & colchicum aliud esse hermodactylum putē, quoniam Paulus Aegineta libro septimo de hermodactylo scribit, quod dicit peculiariter, & priuatim articulorum doloribus ualere, tamen de colchico, & ephemero diuersa capita fecerat, ideo arbitror, & ita est, alium hermodactylum esse præter numeratos, quod articulorum morbos sanat, quoniam nec in ephemero, aut colchico Dioscorides, Plinius, Galenus, Paulus, Aëtius, quicquam de articulorum morbis loquuntur, nisi uelimus Paulum per hermodactylum, colchicum intelligere, quum de colchico tanquam de re simplici locutus non sit, sed ut res uenenosa est libro quinto, et tunc cum Arabibus conueniet præsertim Mesue, qui rotundum perfectiorem esse censuit, quod ad ea, ad quæ ualet intelligendum est, ut puta ad articulos. si uero altera res sit Pauli hermodactylus, mirum est cur non pinxerit, quum à nullo altero (quem uiderim) pictus sit, & quãuis Serapio Galenum adducat, apud ipsum nunquam inueni, arbitror à Paulo accepisse, ut multa alia, in quibus tamen Galenum adducit. at si res altera à colchico sit Arabes huius hermodactyli uires cum ephemero consuderũt. nos quandoque colchicum gustare tentauimus, castaneæ saporem habet, sed paulo post stricturam quandam circa asperam arteriam persensi, ac si manu stringeretur, mox uac

cinum lac bibentes, nihil incommodi sensimus, forte apud nos ita uenenosum non est, ut in Colcho, nam ex Gargano Apuliæ monte ad nos confertur, non sine noxa soluit, folia helleboro similia habet. à Gallis hermodantes, à Germanis zeitlos nuncupantur, quãquam & alij, alijs nominibus utantur, à Polonis czaytloss dicitur, omnes ferè calidum & siccum in secundo ordine hermodactylum faciunt, quãuis nonnulli apud Serapionem calidissimum esse dixerint. Mesue in principio solum ordinis secundi esse fatetur, quãuis in medio sit, & superflua abundat humiditate. SE. *Dictamni radices offeruntur.* BRA. *Herbam quãdam in Apennino propè Bononiam, aut in Veronensibus montibus pharmacopolæ eruunt, quam dictãnum uocãt, quæ nec ipsa est, nec etiam pseudodictamnus, quia ambo pulegij folia habent, quadam lana parum obducta, sed in pseudodictamno rami breuiores sunt, nascitur uera dictamnus solum in Creta, immo in asperis tantum, & montuosis Cretæ locis, alibi degenerat & pseudodictamnus efficitur, immo & in locis Cretæ non asperis habetur, sed in pseudodictamnum & ibi degenerauit, cognoscitur et gustu, quia gustu acris est. Vidi Murani Venetiarum plantam in ædibus pharmacopolæ campanæ quem fata impia nobis sustulere immerito, ut qui iuuandis mortalibus, plurima nulli parcens impensæ procurabat, & noua semper moliebatur. mirorq; de Hermolao, qui dicat Patauij dictamnum uidisse, ueram tamen non credidisse, quia in Creta solum nascatur. tamen hæc, quam uidi, erat uera dictamnus è Creta Venetias allata, quæ nondum degenerasse potuerat ob breue spacium. quam uero nostri pharmacopolæ uendunt, nec dictamnus est, nec pseudodictamnus, quia eorum inditijs caret, nec*

tertia

tertia dictamni species huic nostro accommodari potest. quid uero sit hæc nostra herba ignoramus, tamē pulchra est, & pulcherrimum florem, & odoratum fert. uerum ut Dioscorides de origano, pulegio, & dictamno successiue pertractat, quæ sunt ferè eiusdem uirtutis herbæ, ita Serapio uno capite de sandenagi eas comprehendit, de dictamno tanquam de specie pulegij pertractans, quod perperā exponens Pandectarius fecit, ut multi Serapionem eo capite confusum existimarent, quum tamen non sit. Dictamnū habere mihi ita facile uidetur, ut lactucam quum singulis annis Venetorum naues, & Illustrißimi Ducis nostri ad Cretæ littora appellēt, folia, & radices habere conuenit, nec flores, nec semina facit. immo procurabimus, ut tota planta habeatur, sed de Virgilio forte mirandum, quæ duodecimo Aeneidos flores habere in hunc modum cecinit.

Tum Venus indigno nati concussa dolore
Dictamnum genitrix Cretea carpit ab Ida.
Puberibus caulem folijs, & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina, quum tergo uolucres læsere sagittæ.

Putandum est summum poëtam non ueram dictamnum intellexisse, sed tertiam illam speciem, quæ à Theophrasto nono de plantarum historia, solo nomine dictamnus nuncupatur, quam Dioscorides florem, agresti origano similem habere dicit, nigrum. & folia suauißimū odorem spirare, quod nigrum scribit, in purpureum inclinātem accipias, quippe nullus flos niger penitus inuenitur, eandem tertiam speciem à Statio intelligi arbitror, quum flores habere, & ipse fateatur. tamen superioribus mensibus dictamnus uera è Creta ad nos allata est, quæ flores habet,

&

& illos seruamus, ut unicuique ostendere poßimus dictãni flores, qui nisi sint plantæ tenuia cacumina, Virgilio potius, quàm Dioscoridi credendum erit. SE. Ergo uera dictamno caremus. BRA. Caremus, sed facile erit e Creta singulis annis habere, à Cretensibus uulgo & diptamo, & calochimitea. pseudoditamnus, à Polonis diptam, nuncupatur, cum Galenus dictamnum Pulegij uires habere fateatur, & pulegium ualde excalfaciat, & extenuet, propterea in tertio ordine intẽso calidum erit, atque siccum. SE. Satyrionis radices quæramus. BRA. Non est opus in edocendo Satyrione multum immorari, quippe notißimæ sunt utræq; satyrionis species, & in Bononiensibus, ac Mutinensibus montibus ubertim & crassa radice nascuntur. Bulbus ferè uidetur, qui & in Ferrariensi solo apricis locis nascitur estq; unus tantũ Bulbus: hi.n. decipiũtur, qui orchim, uel orchim Serapiadem .i. testiculũ, uel testiculum Serapiadem pro Satyrione accipiunt. nam orchis duos bulbos habet, maiorem, & minorem, qui testiculi uidentur, unde nomen sortiti sunt. tamẽ si uel orchis radicem, aut Satyrionis acceperis, ad uenerem irritandam conueniẽt. at Satyrionis radix efficacior, utpote cui etiã nomen à Satyriasi, uel à Satyris animantibus procacibus inditum sit. mira naturæ diuersitas in coloribus florum harum herbarum: nunquam uidi naturam magis colludẽtem, quàm in istis. magis uarij sunt, quàm Irides, quãdoque uarietates spectans comach in sabulosis, tot erant, ut uix expedire possem contemplans. quin prandium amitterem, & ferè in meridiem perducerer. Theophrastus cuiusdam herbæ meminit ex India, cuius contactu homines ad septuagesimum coitum durare fatetur, quæ ex horum genere forte est. meminit Hermolaus in corollario radi-

cis cuiusdam herbæ, quæ nunc Bucheidem nominatur ad illum usum, quid uero bucheidem sit non exponit, nos sedulo perquirentes inuenimus esse genus orchis habens similitudinem in radice, cum humana palma, propterea ab herbarijs palma Christi nuncupatur, à qua palma modo quinque, modo quatuor, modo sex radices prodeunt, ut digitos ferè imitari uideatur. de hoc autem orchi palmam imitante nusquam Græci, aut Plinius. folia habet satyrionis similia, præsertim primæ speciei, tamen nõ adeo crassa sunt, & punctis quibusdam ueluti stygmatibus decoratur, de ipsa Auicenna secundo canone pertractat, capite ducentesimo octauo, sub hoc nomine digiti citrini. nos plerunque excauauimus in sabulosis, circa maritima, sed mirum est de Serapione, qui id attribuat Italis mulieribus, quod Dioscorides Thessalicis, & demum omnes Serapionem imitari uideantur, quum tamẽ Italæ mulieres huius radicis uires ignorent, quamuis frequentißimam habeãt, in prima enim orchis specie inquit in Thessalia ad incitandam Venerem mulieres ex lacte caprino radice illa uti, hoc autem Italis mulieribus Serapio, & eius assectæ attribuunt. à Gallis saterion, à Germanis uario modo orchim cum satyrione confundentibus, quippe hæc nomina habent, quibus orchis species significant, stendelvvurtz, raguuurtz, creutzblumen, tamen satyrioni magis conuenit stendelvvurtz, quàm aliquod alterum, à Venetis testiculi di uolpe, à Polonis popit iayka, à Neapolitanis coioni de uolpe nuncupatur. Galenus inquit humidum, & calidum temperatura esse, & ideo gustu dulce est, & quoniam recrementitiã habet humiditatẽ, propterea ad coitum excitat, est uero in secundo ordine calidum, & humidum. SE. Vitis albæ radices prodeunt. BRA. Vtinam,

&

& in hoc loco prodirēt,ne quærere cogeremur:hic enim efficaciores ſunt,quàm Ferrariæ,quanquā Ferrariæ non deſint.Græci ampeloleucem & bryoniam,latini albā uitem appellant,non quòd uitis ſit, ſed quia ſimilitudinem cum uite habet,à latinis etiam pſilothrum nuncupatur, quia ex ipſius acinis pelles confici poßint , & depilari, uel etiam quia depilatoria unguenta ingreditur,immo ipſa per ſe ſola,& ſapone(ægre autem) depilat,in noſtris ſepibus,& ſenticetis,ita creſcit,ut nonnunquam alicuius foueæ ſpinas uniuerſas tegat,& arbores ſcādet,& ſepes tanquam ſtragula ueſtis exornet,duæ ſunt huius uitis ſpecies:alba,quam nunc colligis, & nigra,quæ & ipſa priuatim ad multa ualet,nigra in Ferrarienſi agro frequens non eſt,quum alba nullo non in loco ſit, & noſtrum uulgus bryoniam appellat,quamuis frequentius hoc nomine zucha ſaluatica utatur,ob ſimilitudinem, quam cū cucurbita habet rependi. alij uiticellam,ob ſimilitudinem quā cum uite habet,uel ob nomē dixerūt,ex ipſa aſparagos, folia,radicem,& fructum ſeruato . nec uitem nigram omitterem,quæ proprie bryonia eſt,& uua taminia.Differunt hæ uites,quoniam alba radicem albam,fructum racemoſum,rubentem,& folia ſimilia uitibus habet , nigra uero hederæ folijs proprie ſmilacis , fructu racemoſo in principio uiridi,poſtea nigro,radice foris nigra,intus buxei coloris inſignitur,in officina tua, & hanc nigram habere nihil impediet,tamen ne albam deſeras. SE. Nunc albam ſeruabo,de nigra aliàs loquemur,id autē ſcire uoluerim quid de hac uite Arabes ſentiant. BRA. Quū Galenus uitem nigram albæ uires habere, inefficaciores tamē fateatur,ea carere nihil erit incommodi.de Arabibus modo quid ſentiam enucleabimus. Serapio has duas uites

optime

optime distinxit, & edocuit, quamuis à Barbaro interprete expositus sit. Auicenna quoque de fesira, idest uite alba prius, postea de fesiresim, idest uite nigra pertractat, & egregie nisi essent plures corruptiones in codice, nam principio calidam in tertio dicit, postea temperate calefacere censet, quod apte calefacere legendũ arbitror, nisi dicamus tunc sequi Galenum, qui eius radicem moderate calidam esse dicit. Mesue etiam (si fidum interpretem habuisset) rem optime pertractasset. SE. *Propter quid Manardus illum reprehendit?* BRA. *Quoniam ita sibi instituit, ne quis in Mesue decipiatur, qui uno capite de alba, & nigra uite pertractat, ideo non mirum si modo albam modo nigram edoceat, præsertim quum eisdem uiribus insigniantur, quæ tamen in nigra hebetiores sunt.* SE. *Ellebori albi, & nigri radices sequuntur.* BRA. *Veratrum album hoc, & illud nigrum dicitur, quoniam radices illis coloribus insignitæ sunt. qui radice tantum differre arbitrantur, aberrant. quoniam & folijs etiam differunt, ut picturæ ostendunt, & ipsæmet herbæ. Ferrariæ in pluribus hortis utrunque ueratrum habetur, non tamen ita efficax sicut alibi, tamen uehemẽtißime etiam soluit Ferrariense, ut experiẽtia rerum magistra edocuit. Herbæ sunt apud multos poëtas decantatæ, & quæ in prouerbium apud antiquos iuerint, quoniam fatuis, & insanis medentur. Nostri pharmacopolæ utrunque genus ex Mutinensibus montibus, Bononiensibus, & nonnunquam Veronensibus petunt. olim ueratrum album in usu erat frequentißimum apud Hippocratem, & Galenum, quia moleste educit, relictum est, & nigro sólum utimur: nunc iterum album in usum uenit. correctum enim mire educit, ego drachmam albi sumens, nũquam minus molestam euacuationem*

tionem habui, & quibusdam insanis non correctum exhibui, & mire profecit : ex albo radices, ex nigro radices, & semina seruato. Nigrum peculiariter in Anticyra, album in Cyrenaica, & Sicilia apud Aetnam mõtem nascitur. arida loca amat , tamen nec quod apud nos nascitur Italum spernerem. SE. *Mesue dicit album ueratrum corporibus nostri temporis esse molestum, immo eis esse uti uenenum. Manardus eum reprehendit, quoniam Pauli tẽpore elleborismo per album utebantur, & hoc etiam tempore bonum non puto uenenosum.* BRA. *Nos autem aliter sentimus & bonum, & malum esse uenenosum, quoniã Dioscorides uenenum esse testatur, quia strangulare dicit forte de malo intelligere monebit, nos autem, & de bono loqui probamus . quippe primum locum Cyrenaico elargitur, addit postea, quod in Galatia, & Cappadocia est, cãdidius, pulucrulentum, & maiore strangulandi ui est. ac si dicat, omne album ueratrum strangulat, sed Galatum, & Cappadocum præcipue, nec Plinius hoc inficiatur. immo 6. lib. Dioscorides, cap. 23. de eo tanquam de ueneno tractat, nec putes albus dici, quia candorem habeat, sed quia quodammodo in album inclinat, & illud iunceũ habet (de quo Dioscorides) album : albo elleboro uti cœpimus , qui mitior redditus arte. atrabile laborantes, & scabie Gallica affectos mire sanat, ut quotidiana experientia demonstrat, sed optime corrigendus est.* SE. *Cur dedisti etiam absq; correctione nonnullis?* BRA. *Quoniam ita antiqui utebantur, tamen correctum tutius educit.* SE. *Mihi potius uideretur ab his abstinendum, quæ uenena sunt, cum alia habeantur.* BRA. *Nulla habentur tam efficacia præsertim cum medicamenti copiam cuipiam fatuo exhibere non poteris, hoc in modica copia. id efficit, quod aliud in*

maiori efficere non potest, à Galeno. 6. de simplicium medicamentorum facultatibus, in tertio ordine calefacientiũ & exiccantium existimatur, & niger gustu est calidior, albus amarior. Auerrois deceptus est, qui album in quarto ordine calidum esse dicit, atque siccum, tamen superius in tertio ordine utrunque calidum, & siccum fecerat. forte fuit interpretis error, qui interpretatus est condisi, id est albus helleborus. SE. *Quibus medijs corrigitur?* BRA. *Ferrariæ te docebo. Germanis nies vvurtz dicitur, id est radix sternutationis, à Polonis helleborus uocatur czicmyerzicza, & cum album significare uolunt biala addũt cum uero nigrum czarna.* SE. *Interim agaricum quæramus.* BRA. *Cur agaricum inter radices numerasti?* SE. *Quoniam & Dioscorides numerat.* BRA. *Non dicit radicem esse, sed ita ferri, nam & Galenus radicẽ autumat, quæ in Ilice sit. Plinius uero melius sentit fungum esse, candidum, odoratum, nocte relucentem, ideo noctu colligitur. Dioscorides incertus uidetur, quippe qui modo secundum aliquos radicem, secundum alios fungum in arboribus fateatur, sed uere fungum esse docet Plinius, in glandiferis arboribus præsertim innascentem. Ilignam syluam habet Illustrißimus Dux noster Alphonsus prope Comachum, sæpius illac spatiãs circa Ilicum radices ueluti fungos inueni, pro agarico accepi, sed uti nõ audebam, quoniam nigrescebant, & subrussi erant, tandem uno albo inuento, eo usus sum, & pituitosam materiam educere uidi. quã ob rem & in Italia nascitur, & apud nos, & in Gallia frequenter per syluas equitantes, circa quercuũ radices uidimus. uerum ex Sarmatia per illyrium Venetias affertur, etiam ex Galatia, & Cilicia Alexandriam, & Alexandria Venetias. nostri pharmacopolæ unum boni=*

tatis

tatis indicium, esse friabile censent, Dioscorides negat, utpote qui Galatum, & ex Cilicia infirmū dicat, quia friabile. in mare, & fœmina aßignandis Mesue, & Dioscorides conueniunt. quippe Dioscorides masculum in se ipsum conuolutum, rotundumq́;, & undique concretum fatetur. Fœmina rectas habet intus, pectinum modo, uenas, & diuisiones, Masculumq́; non laudatum, fœminam bonitate antecedere. eodē modo Mesue fœminam masculo præfert. SE. Vnde sortitum est hoc nomen agaricus? BRA. quid hoc ad rem? emes tu Venetijs hunc fungum, tamen ne huius nominis rationem subterfugere uidear, Ptolemæus Agarum urbem, & Amnem in Sarmatia scribit, in Sarmatia uero optimus agaricus nascitur, eo præsertim loco qui Agarus appellatur, ideo agaricus à loco nomen sumpsit. prius zizibere præparare solebant, nunc etiam absque noxa eius puluis cum saccharo sumitur. medicina familiæ ab antiquis dicebatur, uel quia omnibus mēbris ualeat, uel ita salubris est, ut cuicunque ex familia non seruata ætate, sine delectu dari poßit. uentriculum offendere dicitur, & caput optime iuuare, à Gallis agaric, ab Hispanis nostro nomine agarico, à Germanis danschvvun, à Polonis modrzeuyoua gamlonka nuncupatur. Auerrois agaricum in primo ordine calidum esse iudicauit, & siccum in fine secundi, notatq́; à Galeno nō esse positum Agarici ordinem. Auicenna præterea, Mesue, Serapio, & recētiores omnes agaricum in primo ordine calidum posuere, & in secundo siccum, tamen cum secundo ordine calidus esse deprehendatur, erit in secundo ordine calidum, & in principio tertij siccum, neq; in his qualitatibus esse dubito. SE. Dic ni refugis, Dioscorides friabile agaricum damnare uidetur: Paulus autem illud probat. BRA. Neque

que friabile damnat Dioſcorides, neq; Paulus probat, ſed Dioſcorides illud damnat, quod in Galatia Aſiæ, & Cilicia ἀπὸ τῶν κέδρων, ideſt in cedris, uel arboribus naſcitur, quod tamen friabile eſt, ſed illi abſunt aliæ perfectiones. Paulus uero inquit eſſe radicẽ laxi corporis, & friabilem. SE. Affodili radices ſequuntur. BRA. Aſphodeli proferre oportet. SE. Nomina negligo, modo rem ipſam nouerim. BRA. Immo ne quibuſq; ruſticis, & male feriatis uiris ſimiles ſimus, nomina negligenda non ſunt, præſertim quum in promptu habeantur noſtro hoc tempore idiomata, & candidiores literæ floruerint & perſeuerẽt. latinis haſtula regia dicitur. antiquitus hac radice ueſcebantur. Romani etiam albucum nominãt. Radices illi aſſignat Dioſcorides plures, oblongas, teretes, glandibus ſimiles, mihi uidetur radicem unam habere, à qua plures prodeunt, quarum quælibet pœoniæ radicem imitari uidetur, ſunt enim longæ, & rotundæ, ſed ſi tractentur molles, iam cœpit paſsim haberi in hortis Ferrariæ, ut nullus ſit, qui Aſphodelum ignoret. ex Bononienſibus montibus, & Veronenſibus Ferrariam portatur, quandoque digitales radiculas, uel balbos, qui ex craſsiore radice prodeunt ſexagenarium numerum excedere uidimus. Plinius fatetur quandoque autumno colligi aſphodelum, à cuius radice octuaginta adnati bulbuli in aceruum uiſi ſunt. ex hoc in his montibus ſemina, & radices habeto. nec id te lateat, quãuis albucus appelletur. Plinius tamẽ eius caulem albucum, ipſum uero totum haſtulam regiam dici mauult. fuere tamẽ qui duo genera facerent per albucum candidum intelligentes ſcapum paulo ampliorem habens purum & leuem, aſphodelus uero, aut haſtula regia acinoſum caulem habet. nec defuere qui in marem, et

fœminam partirentur. unum animaduersione dignum est, in Gallia me uidisse pro asphodelo alteram herbam uendi, quæ bulbos quidem habet, sed breuis est herba. quum asphodelus inter bulbosas herbas maximus sit, propterea id nomen hastula regia sortitus est, immo & hunc errorem quidam pharmacopola noster fecit, sed admonitus, uerum asphodelum habere curauit, eius enim bulbosæ herbæ radices copiose in Ferrariensi agro habentur, loco qui Sammartina nuncupatur. Galli afrondiles, Hispani gamones, aut gamonites, Cretenses uulgo asphediglia, Poloni zlotogloro, Neapolitani porastro uocant. SE. *Quæ sunt asphodeli qualitates?* BRA. *Est calidus in secundo ordine atque siccus, tamen ut à Galeno notatur sexto de simplicium medicamentorum facult. Cinis radicis usti calidior est, propterea in secundo ordine intenso calidior erit, & siccior, uel in principio tertij.* SE. *Tormentillæ radices sequuntur.* BRA. *Nisi hæc herba pentaphyllon sit, nusquam apud antiquos, uel iota unũ inuenire potui, ut plurimum in Italia septẽ folia habet, tamẽ & quãdoq; quinque, ut duo parua foliola pro folijs cõputanda nõ sint. nostri pharmacopolæ in Bononiensibus montibus eam inuenerunt, sed iam cœpit in hortis Ferrariæ passim plantari. herba cubitalis est, florem purpureum habens, paruum cespitem quodammodo facit, à quo cauliculi emanãt, supra quos folia in septem partes diuisa, aut quinque uisuntur. nonnulli apud Dioscoridem saxifragam esse censuerunt. decepti tamen, quoniam nec eius uires habet, nec illi pictura conuenit. Pandectarius bistortam uocat, quum bistorta altera radix sit, nisi ita in suo natali sõlo uocetur. Rubeam præterea ex colore, quẽ radix habet, nuncupat, cui Genuensis assentire uidetur, & re uera, præsertim in*

summa

summa parte, radix eo colore insignitur, nos radicem domi habemus, quæ uidetur serpens cõuolutus. Veneti pharmacopolæ nonnulli, ex hac herba trociscos theriacos pro uiperarum carne faciunt, quod & Hermolaus in pentaphyllo fatetur, rationem addens, quoniam uiperæ modo (ut ipsi putant) nunquam uisuntur, qui quantum aberrẽt tu ipse iudex esto. in his mõtibus radices solum colliges, nisi pentaphyllon sit, herba noua erit. i. antiquis incognita. nonnulli apud Germanos tormentill, alij rotvvurtz, blutvvurtz alij nuncupant, à Polonis pyanczlistovv dicitur, sicca est ordine tertio hæc radix secundum Galenum, & minimum habet euidentis caliditatis, propterea in primo ordine intenso, uel in secundo remisso calida erit. SE. *Ad saxifragæ radices ueniamus.* BRA. *In hac etiam herba uariæ ambages sunt, quoniam multæ sunt herbæ, quas nostrum uulgus saxifragas nuncupat, fuere qui uocatam pimpinellam pro saxifragia sumerent, alij herbam alteram pimpinellæ similem, alij similem tritico alij nostro uocato caryophyllo, alij tormẽtillam accipiũt, alij herbam tormentillæ similem dicunt, alij quam uocamus euphragiam sumunt, alij Cretano marino similem, alij Cretanum ipsum, alij à nobis uocatam sancti Petri herbam, uerum nullam harum saxifragiam esse ex hoc apparet, quia Dioscorides epithymo similẽ esse dicit, sed harum nulla cum epithymo similitudinem habet, nec surculosa est aliqua prædictarum, ut saxifraga pingitur, quam uero uos pharmacopolæ in officinis habetis, quæ est radix subrubra, cuius herbæ folia pimpinellæ assimilantur, non modo hæc non esse illam ostendunt, sed nec sapor, qui omnino adstringens est, si mandatur. nos saxifragã Dioscoridis nunquã uidimus, quòd meminerimus,*

empetron uera frequenter in Liguriæ mõtibus, mare uersus. Dioscorides duo capita facit unum de saxifraga, quã tamen empetron appellari dicit. aliud de empetro, quod etiam phacois uocat, sed aliàs uires empetro, aliàs saxifragæ tribuit; unde Marcellus capud de saxifrago superfluum esse suspicatur, tum quia Dioscorides non incepisset suum caput à latino nomine. tum quia empetron ipsam uocat, tum quia à Paulo, qui breuibus omnia pertractat, quæ à Dioscoride scribuntur, de saxifraga sermo nõ fit, sed tantum de empetro. Quicquid sit, quum diuersam figuram, & diuersas uires saxifragæ, et empetro tribuat diuersas herbas esse arbitror, nec caput superfluum esse, non moueor autem quòd latino nomine incipiat, quia ita appellari audiuit, etsi Paulus tamen omiserit, non mirum quia pauciora scribit, quàm Dioscorides fecerit, immo & nonnulla, de quibus nunquã Dioscorides tractat, ut de Arnabo supra dictũ est. at quũ saxifragia ab effectu appelletur, quia saxa frangit intra quæ nascitur, & eodem modo empetron, propterea herbam in montibus quærerem, quæ dum oritur saxa scinderet, & per scissuras exiret, & epithymi figuram haberet. Hermolaus in suo Dioscoride herbæ figuram deesse tradit Marcellus in antiquissimo suo reperiri inquit ἐπιθύμω ἐμφερῆ. i. epithymo similis, quum tamen epithymus herbæ figuram nõ habeat. quicquid sit, si huius communis saxifragiæ radices, & herbam colligere placeat, colligito. sin minus eam relinquere poteris, utpote antiquis, & recentibus ignotam. nam Simon Genuẽsis inter recentes quosdam refert unã herbam accipientes, alios alteram pro saxifraga. idem etiam Pandectarius, & nostri recentes in hortis uarias herbas ostendunt, ac seminant, quas omnes saxifragas nuncupant,

nuncupant, & pro frangendo lapide impendunt. aliàs determinate omnes recentiorum species aßignare statuimus, & quid sint ostendere. nunc satis habeas illam radicem, quã in Bononiensibus montibus, & Veronensibus colligitis non esse Dioscoridis saxifragam, aut empetron didicisse, immo & recentes in ea dubitant. SE. Quum hic nostræ saxifragæ radices præsto sint, colligere non desinam, ne quandoque ab aliquo imperio medico expeterentur. ego autem carerẽ. BRA. A Germanis steinbrech appellatur, quod nomen saxifragis impositum est, nam et alia quædam peculiaria nomina habent speciebus saxifragæ recentiorum, ut kryenkraut, quia ischiadicis potißimum medeatur, & meerhyrs, & schlutren, quorum differentiam ipsis relinquere statuimus, à Polonis fra'od dicitur, calida & sicca ordine tertio existimatur, uel est in secundo intenso. SE. Ideo ad spodium ex cannis secundũ Auicennam descẽdamus. BRA. Non ab re secundũ Auicennæ sententiam addidisti, nam ipse tali spodio utitur, quum uerum spodium forte non habuerit, nos uerum spodium habemus, ideo ex cannis, & fictiliũ despicere oportet. non defuere tamen recentes, qui non solum Auicennam reprehendunt, uerum ex nulla altera re spodium fieri posse censent, quàm in fornacibus mineralibus. Hi autem maxime decipiuntur, quoniam Dioscorides. 5. libro, & Galenus ubi de spodio, & Plinius multa, quæ pro spodio poni possunt, & quibus modis cinis fiat, qui antispodium uocatur edocent. fit enim ex oleastro, ut. 5. libro, & ubi de oleastro tractat Dioscorides monet, sumitur autẽ oleastri, aut oleæ coliculus, fit ex malis cotoneis exossatis, ex cauis, ex linteorum lacinijs, ex candidis moris immaturis, ex lentisco, ex terebintho, ex floribus labruscæ,

ex floribus tenerioribus rubi, ex coma buxi, ex pseudocypero .i. falso quadrato iuncum cum suis floribus. ex germine fici in sole siccati. ex glutino taurino, quod nos collam garauellam uocamus. ex lana aspera succida, pice, aut melle madida: Deficiente spodio, omnibus his uti possumus loco eius, & ideo antispodia, ac si dictum sit pro spodio nuncupantur. & ideo Auicenna reprehendi non debet, si canarum radices adustas, & ante ipsum Serapio, spodium dixerint: Nempe certũ est, de minerali spodio .i. fornacibus inuento, non loqui, sed de antispodio .i. de eo quo loco spodij uti possumus: Constat autem, & ipsum radicum cannarum cinerem pro antispodio poni posse: Quod autem Auicenna & Serapio Dioscoridis antispodium nouerint, caput de tutia apud ipsos leges. Nam eo de uero antiquorum spodio loqui à caminis accepto percipis. quamobrem malus interpres in causa fuit, qui commode uocabula non reddidit. Et ideo hi authores nõ erant ita temere explodendi, ut quidam recentes explodunt, sed potius corrigendi. ut in eo lemmate quo de spodio scriptum est, de antispodio legatur. fuit error interpretis Spodium pro antispodio interpretantis. ubi postea de tutia in inscriptione posuit: De pompholige & spodio legendum erat. SE. Ne ulterius procedas, sed ad interrogata respondeto, Auicenna, non antispodium, sed spodium ipsum describere tẽtabat, Nempe si dixeris ibi pro spodio antispodium legendum, aberras quoniam Auicenna de simplicibus alphabetico more procedit. unde in litera .s. in qua de spodio agit. simplex aliquod poni non debet. quod per .a. incipiat. BRA. Equidem etiam ingeniose satis locutus es. tamen non aduertis Auicennam non posuisse spodium in litera .s. quoniam ipse lingua sua po

suit

fuit in litera .a. quippe sua lingua Abaisir uocat. Et id uocabulum tam uerum spodium quàm antispodium significat. Interpres uero, qui in latinũ uertit spodium interpretatus est. & ad .s. literã posuit. Cum interpretari debuisset antispodium, & in litera .a. cum reliquis ordinare, unde fuit Auicennæ interpres. qui secũdum latina, uel tunc usitata nomina simplicia ordinauit. Cum alter sit apud Auicennam in literis ordo. SE. *Ambigo præterea quare in antispodij descriptione, Dioscorides non dixit illud fieri ex cannarum radicibus combustis, sed ex multis adstringentibus rebus. quæ in hoc capite ab Auicenna numerate non sunt.* BRA. *Miror profecto de tua hac sapiẽtia, optime senex, qui adeo argute hac de re disseras: At quid opus erat Auicennã omnia recensere ex quibus antispodia fieri possunt, cum id tãtum enumeret quod apud ipsum in usu erat, & apud suos? Neque sequitur Auicennam aberrare. quare à Dioscoride non est hoc antispodiũ numeratum. Quippe multa sunt alia quæ à Dioscoride non scribũtur. tamẽ exusta pro antispodio poni possunt: neque omnia usta antispodia nuncupanda sunt, sed illa solum quæ spodij loco poni conuenit. Multaq́; adstringentia Dioscorides numerat, sed plura sunt alia quæ non numerat.* SE. *Non uideo quomodo poterit esse tutus antispodij ex cannis usus. Nam Auicenna ad cor instaurandum frequentissime spodio utitur. Cannis autem nullæ huius generis uires ab optimis authoribus attributæ sũt, immo potius cordi aduersæ sunt.* BRA. *Nescio unde colligere possis cordi aduersas esse cannas. frigidas tamen esse constat, propterea supercalefacto cordi conueniunt. & quãuis ab authoribus hoc expressum non sit quòd cordi conferant cannæ, tamen neque oppositum exprimitur,*

sed primas qualitates habet quæ cõferre possunt. Et forte Auicenna de genere quodam cãnæ intelligit. quod sua in patria huic rei aptum nascebatur. Propterea certus esto speciem unam antispodij annumerasse Auicennam. quæ apud uiros suæ nationis in usu erat, neque amplius rixari uelis. sed negotijs tuis attende, si quæ habes. Nam spodium apud Dioscoridem, Plinium, Galenum, Paulum, Serapionem, & Auicennam, & cæteros omnes fidos authores tale est, quoties æs purificare contendunt, in fornaces imponentes. fumus eleuatur subtilior, et leuior, qui fornacis culmini inhæret. Hic pompholyx dicitur, à nostris recentibus, & ab Arabibus tutia nuncupatur: unde pompholyx est æris, & cadmiæ fauilla, uel bulla (ut nomen ipsum indicat) spodium uero est pars fumi ponderosa, & nigrior. quæ fauillas simul mixtas habet, & quandoque carbones. hoc est uerum spodium, quo in officinis uti deberemus. Tamen quum opus sit spodio uti, pompholygem semper, idest tutiam accipito. Nam hoc edocet Galenus, qui nunquam spodio usus est, quia pompholygem habebat, ideo & nos spodium dimittamus, quia pompholygem habemus. Si põpholyge caremus, spodio uti oporteret. Quod si haberi non posset ex ære spodium, aut ex argento, uel auro (nam & spodium argenti, & auri fit, quod Plinius lauritim appellat, & oculis aptius est) ex plumbo accipi iubet Plinius, si ex nullo metallo haberi posset, ex rebus præcitatis fieri oporteret. Et hoc antispodium esset. nec illud Auicennæ ex cãnarum radicibus despicerem, aut ex animalium ossibus, ut quidam ex elephantum dentibus, alij ex collo parant: Quum ergo spodio indigemus, pompholyge utamur, si pompholyx idest tutia desit. spodium sumatur. Deficiente spodio, inprimis

aureo,

aureo, argenteo, æreo, denique plumbeo antiſpodio utamur. quod uel ex rebus à Dioſcoride dictis, uel ex cannarum radicibus fiat. Verum pompholyge carere nõ poſſumus. quum in Italia, & in propinquiſsima Germaniæ parte, plures metallorum fodinæ non deſint. ubi & uili precio emitur. Multi uero ſpodium. & pompholygem cõfundunt, quum manifeſtiſsimis indicijs diſtingui deprehẽdantur: at ex radicibus ad metalla tranſiuiſſe uidemur. SE. Non equidem tranſiuimus, quia de ſpodio cannarum quod radix eſt loquebamur. Tu uero ad ampliorem doctrinam de ſpodio ex metallis tractaſti. præſertim quia immerito Auicenna in antiſpodio ſuo ex cannarum radicibus, uel aduſtarum confrictione, aut data opera igne taxabatur. Verum hæc aliàs, ut ad rem noſtram reuertamur. BRA. Frigidum & ſiccum in tertio ordine exiſtimatur à Serapione, & recentioribus. tamen cum Auicenna potius ſentio in ſecũdo ordine frigidum eſſe. & in tertio ſiccum: Nonnulli Germani tutiam, uel ſpodium nix uocant, alij nil, quod & latinum nomen eſt, ideo cauillari ſolent æquiuoco argumento, dicentes. Si nil ualet oculis, non ſanabuntur, ſed nil ualet oculis, igitur non ſanabuntur. uides equiuocationem eſſe in uerbo nil. Cauſa autem apparentiæ in paralogiſmo identitas nominis eſt. SE. Hæc dialecticis omittantur, & ad biſtortæ radicem ueniamus. BRA. Immo ſophiſtarum munus eſt, hæc tractare. Ad tuam biſtortam accedentes. plures herbarij hanc herbam, quam uos ob radicem biſtortam dicitis, apud Dioſcridem Catanance eſſe cenſuere. præſertim ſecundam ſpeciem, quod & Hermolaus teſtatur. At eam non eſſe facile deprehendi poteſt, quoniam Dioſcoridis catanance radicem paruam ceu oliuam habet: & folia

lia

lia oleæ figura, & colore. uestra autem bistorta non habet radicem, ut oliua, sed multo maiorem, & nigram, et geniculatam, nec folia bistorta, oleæ folia, figura, & colore imitantur, sed potius figuram lapathi acuti habent, ut quandoque speciem lapathi esse suspicatus sim, tamen in nulla quatuor specierum reperitur. equidem folia acuti lapathi habet, quæ ex uno latere quodammodo cœrulea sunt, ex altero herbacea. Radicem habet extra nigram, intus rubram, uel in quendam ruborem tendentem. Radicem adstringentem esse constat, propterea ab his recētibus in menstruorum abundantia accipitur. In his montibus eam collige. Herbarij nostri ex Bononiensibus montibus petunt, & radicem solam seruant. SE. Habet ne aliud nomen, quàm bistorta, uel bitorta? BRA. À radice bistorta dicitur. Aliqui minorem lappam appellant: alij bardanam minorem. sed nomina sunt potius ad placitum quàm aliqua ratione imposita. Illos tamen deceptos esse cōstat, qui bistortæ radicem, been rubrum esse putarunt. quippe rubrum been, & folijs, & uiribus, & radice aliud est à uocata bistorta. Nihil denique de his loqui oportet, qui bistortam tormentillam faciūt, adeo fatue, & absque sensu loquuntur, quum bistorta rumicis folia habeat. Tormētilla in septem partes distincta. SE. Nihil habes apud antiquos certi de bistorta? BRA. Quandoque Britannicam Dioscoridis Bistortam esse suspicatus sum, quia foliū habet rumici syluestri simile. postea alia non respondebant. Quippe britannica folium habet nigrius, pilosiusq; rumice, & radicem breuem, & tenuem. At bistorta rumicis quidem folium habet. sed nec nigrum, nec pilosum. immo ualde leuigatum, & radicem magnam. rationeq; herbæ crassam continet: Illi præterea decipiuntur, qui bistortam

ſtortam Aſtragalum eſſe arbitrãtur. quoniam, & ſi aſtralagus radicem rotundam habeat. Raphani modo prælongam, nigris alijs agnaſcentibus præduris, & implicatis, ut cornua. guſtu ſpiſſante. Tamen biſtortæ radix alia forma uiſitur, nec habet ramos, & folia ciceris biſtorta, ut aſtralagus. Propterea hanc biſtortam antiquis incognitã cenſeo, quam & Galli biſtortæ uocant. À Germanis uero pro ſerpentaria ſumitur magno errore, ut qui frigidum pro calido ponant. Immo & biſtortam herbam nonnulli in Germania drachenuurtz, & notteruurtz (nomina à ſerpentibus ducta) appellant. quanquam non deſint, & qui biſtortam, ſchlipent uocent. à Polonis pſzia lobada dicitur frigida in ſecundo eſt, & ſicca in tertio, quamuis nonnulli frigidam & ipſam in tertio iudicauerint. SE. Carlinæ radices ſequuntur. BRA. In Bononienſibus montibus chamæleonta duplicem inueni, album, & nigrum. Idẽ in Mutinenſibus plerunque me uidiſſe accidit, ſed præter hos duos, quidam papus aderat, tanquam cardui echinus latus, purpureus in ſummo, aculeatus undique: qui ſine folijs è radice ſupra caulem exibat. hunc illi herbarij carlinam uocabant, & locorum accolæ. Tunc carlinam chamæleonem album non eſſe ſuſpicatus ſum, nempe antea continuo carlinam, & chamæleontem idem eſſe putaueram, & nomen corruptum eſſe, ut carlina, quaſi chamæleon diceretur. unde herba noua carlina erit, de qua nuſquam antiqui: neſcio an folia duabus, uel tribus carlinis, quas uideram, arrepta eſſent. Id tamen ſcio uos pro carlina chamæleontis albi radices ſumere: ubique naſcuntur chamæleõ albus, & niger, & omnibus notiſſimæ ſunt herbæ: Vnde carlina à chamæleonte altera erit, fingũtq; herbarij, quia in medio tanquam ſagittæ uulnus habere uide

tur,

tur. Angelum de cœlo missum id fecisse sagitta tangens, ut Carolo Magno eam ostenderet, qua eius exercitum à pestilenti morbo liberaret. hæc puerilia sunt, tamē quousque rem tibi oculata fide ostendam. pro carlina huius chamæleontis radices, & in his montibus, potiusquam alibi colliges. Chamæleō dicitur ex similitudine, quam cum chamæleonte animali in serpendo, & in mutatione colorum, penes uarios terræ affectus habet. À Germanis uiedistel, & mariendistel chamæleones appellātur. Sed quæ ita à Germanis dicūtur, potius cardui species sunt, quàm chamæleones. Ideo pro chamæleone carduum sumunt, uulgus Cretensium hunc uocat collam, quoniam ex eo glutini genus fit, in secundo ordine calefacit, & in tertio siccat. SE. *sigilli sanctæ Mariæ radices sequuntur.* BRA. *Nunquam legi gloriosam uirginem sigillum habuisse, aut literas misisse. minus imaginari possum, sigillum radices habere.* SE. *Est herba, quæ ita nuncupatur.* BRA. *Non habet aliud nomen? quomodo appellabatur, antequam uirgo Maria in lucem prodijsset?* SE. *Id ignoro, tamē alijs etiam nominibus appellatur, ut à geniculo radicis genicularis, & fraxinella.* BRA. *Optimum est plura nomina nouisse, iam intelligere cœpi, quid per sigillum sanctæ Mariæ uelis. Ea herba est, qua mulieres sibi faciem extergunt, & fucant, etiam sigillum Salomonis dicitur.*

SE. *Ea inquam, sed & radix ad rem ueneream sacchаro conditur.* BRA. *Hæc apud Dioscoridem, & antiquos polygonatum est: quæ candidam radicem habet, pluribus geniculis plenam. cuius saporem Galenus, & Paulus explicare nescierunt. Recentes nōnulli craßißimo errore detinentur. putantes apud Serapionem secacul polygonatum esse, quum secacul non eryngium (ut interpres dicit)*

sed

sed altera radix sit, recte ab aliquibus genicularis dicitur nomen Græcum polygonatum. s. exprimentes, à polygonio mare, & fœmina differt, quod nos uulgo corrigiolam uocamus. A` Gallis sean nostræ Damæ, à Germanis ex colore uueisuortz, idest radix alba nuncupatur, à Venetis zenochielli, à Polonis yszionna uocatur. Ventriculum roborat melle condita, sed saccharo gustu perfectior, & suauior reditur. Calida est ordine tertio, atque sicca, & ob quandam superfluam humiditatem Venerem accēdit. SE. Cynoglossæ radices prodeunt. BRA. Quam pharmacopolarum turba caninam linguam putauit, è solo eleuatam, canina lingua non est: quia per terram sternitur canina lingua, & plantaginem in folijs imitatur. sed ob scabritiem, caninæ linguæ aßimilatur: Ferrariæ habetur, in sabulosis locis abundat. Ibi eam colligerem, utpote efficaciorē. herbamq; & radices seruarē: ab Hispanis lēgua de pero. A` Germanis hundtszung nuncupatur, quamuis Germani herbam à terra eleuatam, surculosamq; pro cynoglossa sumant. Alteram tamen ab ea, quam nostri herbarij sumunt, nostrum uulgus eam nullo nomine insigniuit. Immo tacet despecta, & sine ratione calcata. A` Polonis psziciaziczni nuncupatur: amœnißimum locum habet Illustriß. Princeps noster, & alterum tempe Pado circundatum, quem Beluedere, idest caliostiam uocat, ibi cynoglossa pulchrior, quàm alibi uiderim, mire uiret est frigida, & sicca ordine secundo. SE. Duronoci sequuntur. BRA. Doronicum à Græco nomen est, tamen apud Græcos nunquam doronicum repperi (nisi tu Barbare duronigo, uel durungo proferre malueris, ne à Græco desumas) minus à Latinis pertractatur. Arabes soli nobis hæc dora, idest dona tribuere, quibus in uarijs simplicibus debemus:

mus:Serapio de his pertractat. sunt enim radices paruæ dulces in formam(ut inquiunt)calami aromatici,quæ plures medicinarum compositiones ingrediuntur,ut electuarium de aromatibus. Aliàs quod sint apud antiquos explicare conabimur. nondum compertum nobis est ad hoc usque tempus doronicum. Audiuimus folium habere in morem uiolarum,calidum, & siccum esse ordine tertio testãtur Serapio,& Auicenna,& ita esse constat, ex Apulia Venetias feruntur. SE. Been albi,& rubri radices occurrunt. BRA. Recentes inter ben simplici e scriptum, & been duplici e differentiã faciunt.primum est fructus quidam,secundum radix.Re uera hæc nomina barbara sunt ben,been,uel behem,suo modo tractent illi,& scribant.nã ut in rebus recẽtes:ita in orthographia cõfusi sunt. Quicquid tamen sit apud Arabes ben,uel been,granum est angulosum magnum,ut auellana,à Dioscoride.4.lib.Balanum myrepsicem, à Latinis Glandem unguentariam appellatum.Plinius uno nomine myrobalanus uocat. Apud nobiles mulieres Ferrarienses notissima est, hæc glans. qua oleum inodorum,idest omni odore carens exprimũt. tamen ad omnes suscipiendos aptũ. Authores in folio dissident:nam Plinius heliotropij folium habere cẽset. Theophrastus.4.de plantarũ historia,myrti:Dioscorides, Myricæ:Theophrastus etiam,fructum capari. Dioscorides auellanæ comparat,nec mirum, quia res eadem mihi sub una forma illi sub altera præsentatur, præsertim si non multum differant formæ. Et licet Plinij folium longe ab alijs distare uideatur. propterea nõ integrum forte intellexit,sed partem unam ex folio.Hoc been,idest myrobalanum in tua officina habeas,non solum ad odores.sed ad rẽ medicã. Venetijs emito. ex Aethiopia,Aegypto, A=

rabia, & Iudea Alexādriam fertur. postea Venetias, sed istud been, potius inter semina numerandum erat. Quicquid autem sit, non pauci recentes decipiuntur. qui pro been Baccas cici, idest herbæ, uulgo dictæ mirasole accipiunt, & ex eis oleum parant, quod pro oleo de been uendunt. Quum tamen à Dioscoride primo lib. oleum cicinū, & ab Arabibus oleum de cherua dictum sit, quod ab oleo balanino, idest (ut more ipsorum loquar) oleo de been separat: immo si nunquam de his Dioscorides tractasset, constat aliud esse, myrobalanum, aliud cicum. At ad rem nostram redeūtes. uos duas radices in officinis seruatis, quarum altera ben album, altera ben rubrum appellatis: ben album in Bononiensibus, & Veronensibus montibus frequens est. folium habet magnitudine foliorum oleæ. sed in acutum tendit. Radix ferè per terram serpit, è qua multi ramuli hinc inde crescunt, ut in glycyriza fit. florem ueluti stellam albam habet: Been uero rubrum circa maritima nascitur. Ad nos ex monte Gargano, idest sancti Angeli defertur, ut coniectari possim, apud Arabes non ben: sed behem, proferendum est. de quibus Serapio cap. 225. Quid uero sint non possumus, uel ex Serapione, aut Auicenna colligere. qui eorum colorem tantum edocent. Ideo an sint istæ radices, quæ ad nos afferūtur, incerti sumus. Græci (quod sciuerim) hæc nunquam scripsere: at quia hominum animis ita receptum est. ideo & tu behem album hic collige. Rubrū ex alijs locis habebis. Balanum myrepsicam calidam ordine tertio, & siccam in secundo Auicenna indicauit, tamen & humiditatem habere constat, et oleaginosa est. Radices uero quæ been nuncupantur, calidæ, & siccæ sunt ordine secundo. Serapio uero secūdum Abē Mesuai inquit radices has esse calidas, & humidas:

uerum

uerum in hac re Auicennæ potius consentiendum est, & si radices hæ uirides aliquã habeant humiditatem. A Polonis been dicitur, sed addunt biali, & czeruoni, idest album, & rubrum. S E. Corallina sequitur. B R A. Inter radices corallinam numeras? S E. Radix non est, sed quia terræ inhæret, propterea in radicũ loco ipsam disposui. dubitabam, an inter herbas numerarem. Verum nihil cũ herba commune habere uidebatur, nec cum radice. De his autem nihil ad nos, modo ipsius copiam in officinam portem. B R A. Hic non habetur, sed circa mare in lapidibus, & ostrearum testis. Græce βρύον θαλάσσιον, Latine muscus marinus dicitur. de eo Dioscorides lib. 4. pertractat Pãdectarius, & Genuẽsis, lichenem herbã cum musco marino cõfundere uidẽtur. sed grauius Pandectarius, quàm Genuẽsis. quippe qui omnia absque ordine simul misceat, quæ bryon nũcupãtur, & præsertim in hoc marino bryo & lichene. sed de his uiris nihil ad nos, qui muscum falso & usnem comparant, & Dioscoridem pessime adducunt. quod si apud ipsos uidere lubeat. caput de aijnech legito. Vnde breuibus, quam corallinam uocamus, & in frequenti usu pro puerorum uermibus est. à Dioscoride, Galeno, & alijs muscus marinus nuncupatur. sed hanc uim ignorarunt antiquiores, quòd uermes interficiat, quam posteriores, ita esse comprobarunt, & amara est, & nunc tota Græcia, eo pro uermibus utitur. Immo sunt qui per plateas, & uicos attritam corallinam uendant: ita ferè clamãtes σχολιτοβότανον, σχολιτοβότανον, ac si dixerunt uermes interficiẽs, uermes interficiens., quamuis suo uulgari idiomate uerba in, i, potius finiant dicentes, σχολιτοβότανι. Mulieres pro uermibus puerorum uili precio emunt, herba est omnino, & herba à Dioscoride dici-

tur,

tur, uno tantum perturbor, Plinium eadem ferè de musco marino scripsisse, quæ Dioscorides, uno dempto: quia Plinius lactucæ folium habere dicit, sed crispius. Constat autem nostram uocatam corallinam, lactucæ folio carere. immo similis est musco, immo muscus. unde Hermolaus, qui Dioscoridem per Plinium interpretatur, Lactucæ folium habere dicit, quoniam & Plinius cap. 8. libri. 27. ita scriptũ reliquerat. Marcellus uero Capillata herba interpretatur. nam codex Dioscoridis Græcus τριχῶδες legit, quasi in modum tricharum, & capillorum. Hermolaus autem interpretatur, ac si scripserit θριδακῶδες, idest in morem lactucæ. non autem τριχῶδες. uterque uerũ dicere potest. Plinius folia quædam serpentia latiora considerans, quæ formam lactucæ habent, & ferè muscum cõcomitantur: Dioscorides capillamenta illa, quæ propriè muscus sũt. ut de una re Plinius, de altera Dioscorides loquatur, sed eodem loco nascantur. Nobiscum Marcellus est, aut nos potius cum Marcello. Nec moueor quòd eisdẽ uiribus Plinij Bryon, & Dioscoridis insigniantur. quoniam non ab re est, duas herbas eodem præcise loco natas easdem uires habere. Hæ autẽ circa mare, inter lapides, atque saxa nascuntur. SE. Mirum est Plinium de corallina nunquam pertractasse, si hæc non sit. BRA. Quid hoc ad rem facit? multa præterijt Plinius in re herbaria longe potiora. SE. Est'ne aliquis ex antiquioribus qui ad puerorum uermes corallinam ualere scribat? BRA. Nullus (quem sciuerim) sed non est opus omnia ab antiquis scribi, & nos ab eisdem omnia petere. nuper inuentum est hoc, & ita esse nemo non scit, immo corallina soluit, ut experientia oculata fide demonstrat, quam tamen inter constringentes res antiquiores enumerant. SE. Nõ

C nulli

nulli tamen reperiuntur, qui solum antiquos sectari nolunt, nullis alijs credentes. BRA. Hi eorum ingenia abiecta, uilia, & absque iudicio existimant, quæ noua quædam inuenire non poßint. Id nescientes facillimum esse inuentis addere, et duce experientia multa inuenire, nam & antiqui homines fuere, & in multis plurimi errarunt. Nos multa in dies uia regia inuenimus, & experientia, quæ forte ab alijs inuenta fuere, sed à nullo scripta, quē nouerim. nihil enim est, quod non efficiat humanus animus, modo uelit. SE. Vnde sumptum est hoc nomen corallina? BRA. Quia ut corallus in aqua nascitur, & ubi coralli nascuntur, etiam inuenitur, propterea non pauci decepti sunt, corallorum folia esse putantes, & hi peius sentiunt, qui corallinam, & corallum idem fecere, quanquam & corallium puerorum uermes necet, & eorum comitialem morbum, quem brutam uocamus tollat. à Neapolitanis herba de mare nuncupatur, à Gallis barboncina. A Galeno sexto de simplicibus frigida & sicca existimatur: uerum tu id recte considera, quoniam & amara est, & acredinem quādam habet, & deijcere facit, ut secundi ordinis saltem caliditatē habere uideatur. SE. Zenestræ radices occurrunt, tamen non sunt in magno usu. BRA. Non zenestram, sed genistam proferre debes, à Dioscoride σπάρτιον, & à Galeno σπάρτον appellatur flores, radicem atque herbam seruato. Mesue inquit genistam siliquas facere in modum lengibi. interpres pro lengibi, orobum uertit, quum fasellum significet, ideo interpres dedit ansam Manardo reprehendendi Mesuem, non ipse Mesue qui siliquas genistæ fasello comparat, quāuis non sit ingens differentia ab orobi siliquis. Genista calida, & sicca ordine secundo existimatur. SE. Im-

peratoriæ

peratoriæ radix, & endiuiæ sequuntur, sed endiuiam in Ferrariensi agro habere studebimus. BRA. Cur in tua officina imperatoriam habere studes? ingreditur'ne compositiones aliquas? SE. Nõ equidem, sed ethologis, & pseudomedicis nonnullis eam uendo. BRA. Quam herbam imperatoriam putas? Quippe Leoniceno uisum est, Lygurum imperatoriam, uerum Lygusticum esse. tamen multæ herbæ uarijs in locis imperatoriæ dicuntur. SE. De illa nunc loquor, quam ita Ferrariæ appellamus, tria folia habente, quorum medium in tres partes distinctum est, quæ è lateribus sunt in duas, ut medium folium corona ferè imitari uideatur. BRA. Herbam noui, sed nusquam apud antiquos (quod sciuerim) eam repperi. Contra quartanas ualere certum est, & ad eruendos partus, ac faciles reddendos experta, cerebrum expurgat, & ab superflua humiditate liberat. SE. Quam qualitatem habere putas? BRA. Experimẽto, & uia regia Galeni, calidam & siccam esse deprehenditur, & ordine secundo. In montibus Bononiensibus copiose prouenit, reliqua prosequaris. SE. In calce radicum sumus, cortices sequuntur, quos prosequi incipiemus, si dulci quiete, & gratis obsonijs uentriculum, & membra donauerimus. BRA. Vt lubet agatur.

DE CORTICIBVS, QVORVM IN FERRARIENSIBUS pharmacopolarum officinis usus est.

BRA. Eia expediamus, cortices numera, quos herbarius in hunc sacculum colligens seruabit. HER. Operi accinctus sum. SE. Granatorum cortices alijs corticibus ianuam recludunt. HER. Diebus elapsis sacculum bo-

rum corticum collegi. BRA. Verum est, ubi de floribus sermo incidit, malicorium ab antiquis dici ostendimus. SE. Citri cortex sequitur. BRA. Et hũc corticem in fructibus tractauimus, quem nunc saccharo condientes uentriculo roborando paramus, & ars in summo est, ut nihil addi poßit. SE. Ergo ad sambuci cortices accedamus. BRA. Et de sambuco in herbis expeditum reliquimus. SE. Cinnamomi cortex consequitur. BRA. Cinnamomũ nostri pharmacopolæ non habent, sed loco eius caßia syringe utuntur. A Dioscoride mosylicum (ex Mosylo Aethiopiæ promõtorio, in quo est harum rerum emporium) collaudatur. id etiam probat Dioscorides, quod nigrum colorem habeat, & quod cum uino diluitur, in cineritium colorem transit, quod habet uirgulta tenuia cum leuore, quod habet nodos per totum continuos, & quod odoratißimum est: quod autem animaduersione dignum est, id est quod inquit, colorẽ nigrum habere, & quod quum uino diluitur, in cineritiũ colorẽ trãsit, nam hoc mõ interpretatus est Marcellus, Hermolaus aliter exponit. s. aritudine cineris fuluum. Serapio autem Dioscoridem hoc loco refert, ac si dicat, cineritium colorem habere cum rubore: re uera à Serapione dissentire non possum, quum hæc sint Dioscoridis uerba: τῇ χροίᾳ μέλαιν, τεφρίζον ἐν τῷ οἰνώδει colore nigrum, uerum quia nigrum exquisite non est, addit tanquam cineritium in uino, ac si dicat cineritium in rubro, ut Serapio refert, & Galenus optimum cinnamomum cineritium esse in theriaca ad Pisonem fatetur. ibi enim cinnamomi notas edocens, inquit. τεφρῶδες τῇ χροίᾳ. i. cineritium colore. in libro etiam de antidotis, ubi probatißimum cinnamomum describit, talem colorem habere inquit tanquam si lacti-

phæum,

phæum, & parum cyanei misceatur. Si autem hæc tria simul iuncta sint, albumphæum .i. fuscum, & cyaneus, fit ille color cineritius cum uino .i. cineritius cum rubore, ut ego in pluribus rebus, & coloribus ipsis dum hæc scriberemus experti sumus. erat autem talis rubor, ut potius in subcineritium inclinaret, quamobrem Serapioni potius inhæreo, quàm Marcello sibi suam interpretationem fingenti, & Hermolao. Ad rem nostram redeuntes, cinnamomo caremus, præsertim perfecto, quod mosylicum dicitur, & à Galeno in libro de Antidotis, odorem qui dici non potest habere iudicatur, & gustum calefacientem, sed non ita ualide ut mordicet, & tristitiam faciat, colorem habet, qualem supra diximus. Additq; in libro de theriaca ad Pisonem, id probatißimum esse, quod uirgulta gracilia habet, & frequentes nodos, odorem longe optimum suauißimumq;, & gustu acre nobis apparet, mordax admodum, postea addit: διαμασσόμενον πηγανίζειν δοκεῖ *.i. mansum rutæ similitudinem præ se ferre uidetur, qui Galeni locus ostendit Manardum celeberrimum immerito Marcellum taxare, qui in probatis codicibus se inuenisse rutæ odorem spirare fatetur, nã & hoc Galenus procuidubio censet, nec refert quòd grauis sit rutæ odor, & à Galeno cinnamomũ odoratißimum prius dicatur, quia simul consentit aliquid odoratißimum esse, & quodammodo in rutæ odorem spirare, quod in Dioscoridem intelligẽdum esse, Serapionis testimonium probat, inquiẽs, & melius eo etiam est, quod cum odore optimo suo, trahit odorem rutæ, & cordumeni. Ad rem igitur, qui uolunt uocatam canellam esse cinnamomum decipiuntur, cum ob alia multa, tum ob hoc præcipue, quia canella non habet frequentes nodos, & canella est tan-*



quam cutis, ut Plinius, & Theophrastus testatur, cinnamomum tanquam cortex, quamuis Dioscorides in hoc illis aduersetur, etiam canella corallorum colorem habet, non autem cinnamomum, sed prædictum. Tamen quum sex species cinnamomi inueniantur, ut Galenus locis citatis, Dioscorides, Theophrastus, & Plinius censet, immo inter optimum, & pessimum genus sit maxima distantia, & differentia, non dubito nos aliquam speciem habere, & uidimus album cinnamomum, & nigrum. i. quod in hos colores inclinabat, & quod est simile cassiæ rubenti. sed mosylico caremus, quod inenarrabilem odorem habet, & si accidat nos optimo cinnamomo uti debere, duplum cassiæ accipere possumus, id est duplum probatissimæ canellæ, nec argumẽtum Quinti, quod Galenus in libro de Antidotis refert, alicuius momenti est, si deberemus bibere cyathum uini Cretici, & desit nos debere duos cyathos loræ bibere, & si desit panis ex similagine, duplum fursuracei edere debeamus. Argumentum hoc ad rem nihil facit, nam quod de cinnamomo, & cassia dicitur, idem est ac si ad ferendum pondus uiro forti indigeremus. at ipso forti uiro carentes duos debiliores accipiamus. Canella autem quæ pro cinnamomo sumi debet, ea est, quæ gizir, uel gizi nuncupatur. Difficile autem est, & optimum cinnamomum, & optimam canellam nosse, nisi sæpius experti simus, ut Galenus testatur, nam pseudocinnamomum, & pseudo canella habentur, tamen si quis expertus est (ut Galenus in libro de Antidotis tradit) facillimum est optimum cinnamomum cognoscere, quod quanto magis bonum est, tanto diutius durat. & hi summe delirant, qui cinnamomum senio non affici contendunt, immo, ut præcitato loco inquit Galenus, non ser-

uat

uat ad trigesimum annum sinceras suas uires. SE. Si nostra canella cinnamomum nõ sit, quid igitur esse iudicas? BRA. Constat apud antiquos, quod canellam appellamus caßiam esse, & caßiam syringa. Caßiam uero nunc à nobis, ita appellatam, quæ ab Arabibus fistula uocatur, alia res est, de qua (ut in fructibus prædiximus) antiqui nunquam tractarunt. Vt autem ad rei summam accedamus: Tria sunt apud Ferrarienses, & Venetos pharmacopolas, quæ cortices sunt, unum caßiam ligneam ad differentiam caßiæ quæ soluit, appellant: aliud canellam: tertium scauezonum dicunt. scauezoni sunt canellæ frusta, & ineptiores partes, & in horum genere, quãdoque cinnamomi frusta inueni odorata ualde, colorem mixtum ex albo lacteo fusco, & cyaneo, & nodos frequentes habentia, quam appellatis caßiam ligneam, est pseudocaßia Dioscoridis, quæ etsi cum caßia similitudinem habeat, gustu tamen deprehenditur, nec odorata est aliquo modo. Quam uero canellam dicitis, est uera caßia Dioscoridis, non cinnamomum, tamen quia inter caßias. i. nostras canellas, aliqua frusta inueniuntur, quæ cannas lõgas, angustas, crassas, & fistulis plenas habent, gustu erodentes, & adstringentes cum aliquo seruore odoratas, & odorem uini referentes. Hæc est prima species à Dioscoride descripta, quæ à Barbaris dicitur lada, & in fasciculis nostræ caßiæ aliqua nigrescens inuenitur, quam Dioscorides Ζίγις, appellari dicit, quamuis Galenus in libro de Antidotis duas syllabas habere fateatur, quarum prima est ex γ & ι secunda est ex ζ & ι. ut γίζι dicatur, propterea Hermolaus à Manardo reprehenditur, qui dixerit à Galeno γίζερ appellari, quum Galenus etiam literas enumerans γίζι scriptum reliquerit. non uidit au=

tem Galenum alijs in locis uario modo proferentem, nam in theriaca ad Pisonem probatißimam caßiam laudans, ab incolis inquit, Ζιγγίβερ appellari, propterea in his barbaris nominibus nemo reprehendendus est: id autem addam, inter fasciculos caßiæ nos frequenter cinnamomum uidisse, & non ut Hermolaus dicit, quod caßia ad nos non ueniat, sed in xilocinnamo inueniatur, multa genera, & caßiæ, & cinnamomi ab authoribus ponuntur. tu met Dioscoridem, Theophrastum, Plinium, & Galenum, præsertim in libro de Antidotis legere poteris, ubi horum species exacte tractantur. mihi nunc satis sint, nostram canellam speciem caßiæ esse demonstrasse, & quam dicunt caßiam ligneam esse pseudocaßiam, & cinnamomum quandoque inter frusta caßiæ, seauezonos appellata inueniri. S E. *Tecum sentiam, quousque meliora discere potero.* B R A. *Nunquam meliora disces, nisi hoc uerum esse confirmes, quempiam per Venetorum nauigationes Alexandriam mittens, qui in felicem Arabiam equitet, is poterit uerum cinnamomum, aut ueram caßiam afferre, quanquam hic idem Alexandria, dextrorsum iter petens in Aethiopiam ad mosylicum promontorium accedere poßit: Hæc de cinnamomo, & caßia lignea, caßia syringa, & canella dicta, quam eodem nomine Galli, & Hispani uocant canella. Germani uero zimmet. non desunt tamen qui Rindum addant, id est corticem. Poloni cinnamon uocant cinnamomum, & caßiam. Galenus in septimo de simplicium medicamentorum facultatibus, calidam, & siccam ordine tertio esse fatetur. Et in eodem ordine suam caßiam ligneã esse censet Auerrois.* S E. *Mãdrogoræ cortices sequuntur.* B R A. *In mandragora plura sunt, quæ cortices*

nuncupari

nuncupari possunt, & in fructu, & in radice, & in foliorum costis. Quem corticem accipitis uos? an radicis corticem, quem Dioscorides filo suspendi, & seruari dicitur? SE. Illum inquã. BRA. Et solum cortex apud uos in usu est? SE. In somniferis quãdoque fructibus utimur. BRA. Tamen ex mandragora plura à Dioscoridę seruare iubemur, quæ singulatim explicare tentabimus. In primis autem duo mandragoræ genera ab authoribus poni scito. præsertim Dioscoride. secundum genus morion dicitur: Germanus id pomum esse putat, quod uulgo desdegnoso nuncupamus in fictili supra fenestras nascens: Argumentum habet, si quis ex hoc pomo comederit, insanus sit. ex hoc inquam quod morion dicitur. Nostra autem hæc poma Ferrariæ supra fenestra frequentia, Melẽzana (à Neapolitanis præsertim, à quibus in summo honore habẽtur, & in magno usu sunt, & etiã Venetis) appellantur, quasi mala insana, ut Hermolaus interpretatur. Hæc autem potius coniectura est nullius momenti, quàm argumentũ: nam Illustrißimas Isabellam, & Iuliam Taraconẽses per totam æstatem eiusmodi poma melenzana comedentes uidimus, & singulis annis in pultarijs decocta, & quandoque frixa, ex oleo, sale, pipere, & quandoque aceto. Tamen nunquam insanæ uisæ sunt. sed indies sapientiores euasere. Nec ego ab illis abstinui, immo & ipsæ Illustriß. Sorores ad me cocta miserunt, quum Ferrariæ habitarẽt. expulso enim patre Frederico rege Neapolitano exules, per Gallias cum patre, matre, & duobus fratribus iuerę. Alterum fratrem apud Hispaniarum Regem habebant, qui captiuus custodiebatur. Patre uita functo, mater Illustrißima, & sanctißima in Italiam uenit, & Ferrariam petijt, Millesimo quingẽtesimo septimo, ubi usque ad mil

lesimum

lesimum quingentesimum trigesimum tertium annum, infelicissimam uitam, sed sanctissimam duxit, quippe omnia incõmoda, omnia sinistra, omnes infelicitates, & calamitates illi accidere, quas humanus animus ferre põt: quo anno infelicissimam illam uitam cum uera, & sempiterna commutauit. Illustrima Isabella Bautia (hoc enim nomine uocabatur) post matris obitum duæ pudicissimæ sorores millesimo quingentesimo trigesimo quarto Ferraria discedentes, maximo omnium dolore, & ploratu, Valentiam petiere Hispaniæ Taracõnẽsis urbem. ubi frater olim captiuus, nunc prorex effectus, moratur. Interim dũ mater uitali aura fruebatur, duo fratres obierãt, unus in Gallia, alter Ferrariæ Cæsar Illustriss. Sed his omissis ad mandragoram ueniamus: quippe secundam mandragoræ speciem à Dioscoride positam melanzanum esse inficiamur, uel (ut nos dicimus) desdegnosum pomum. Primã uero speciem lata folia habentem in his montibus colligere poteris: eam etiam in Bononiensibus montibus frequẽtem uidimus. sed ex monte Gargano ad nos potissimum affertur, ex ipsa sequentes partes serua, ex mare præsertim, nõ ex fœmina: quia in marẽ & fœminã partitur Dioscorides, & fœmina multo minora folia habet, & pomum in duplo minus, quàm mas. Primo igitur ex cortice uirentis radicis succum serua. Radices tũde, postea prelo exprime, & insolatus sit: quum densatus concreuerit in uitreatum uas, aut picatum serua. À Dioscoride poma colorem uitelli oui habere dicũtur, à Theophrasto, & Plinio nigra. Re uera nec certe nigra dici possunt, nec lutea. tamen in luteum potius colorem inclinare uidentur. Præterea radicis corticem funiculo suspensum serua. SE. Hoc est quod seruamus. BRA. Immo radices in uino ad tertias

coque

coque, & pro grauiſsimis doloribus, & membris ſeccandis ſerua. Nec folia deſpicito, quæ ſale ſeruantur, etiam uinum ex cortice radicum ſine coctura fit. Si uini dulcis cadum acceperis, & corticis pondo tria conieceris, pro his, qui ſecari, & uri debent, poma & ipſa conſerua, & liquorem ex radice inciſa manantem. SE. Omnia ſeruabo. ſed quid eſt, quod Dioſcorides caule carere tradit? BRA. Theophraſtus, & Plinius, hic lib. 25. cap. 11. ille. 6. de plantarum hiſtoria caulem habere cenſet. Dioſcorides aduerſatur caulem habere: ſed res ipſa iudex ſit, breuem habet caulem: ideo non mirum, ſi abſque caule à Dioſcoride pingatur. Illi uero caulem habere uoluerũt: quia breuiſsimum ſaltem habet, ſed hæc aliàs. Nunc id tãtum addam, impoſtores circunforaneos inueniri, qui radices humana effigie inſignitas ferant, quas mandragoras eſſe teſtantur. Sunt autem fictitiæ, & manufactæ radices ex cannarum radicibus, humana effigie ſculptis. poſtea plantatis naſcuntur radiculæ paruæ, quæ repræſentãt capillos, barbam, pectinis pilos, & ex terra cum colorem acquirunt, ut radix eſſe uideatur: fabulantur uero adeo alte clamare hos homunculos, ut obturatis auribus erui oporteat, quod faciunt hac radice canis caudæ adalligata: & plura alia fabulamenta, ut nummos extorqueant à miſeris ignaris, fingunt. Si uero Columellam in horto adducas mandragoram ſemihominem uocantem, uel deceptus eſt hic author, uulgi opinionem ſecutus, uel (quod magis probo) ita ſcripſit: quia eius radix in duas fibras, ueluti in duo crura diuiditur. Hiſpani ut nos, Germani alraun, Poloni pokrzik, mandragoram uocãt. Galenus. 7. de ſimplicium medicamentorum facultatibus libro, calefacere inquit ordine tertio, quem Auerrois ad uerbum ferè ſecu

tus

tus est. Cum uero exsiccet ordinem non exprimunt prædicti authores. At recentes tertium ordinem exprimunt. Serapioq; illam enumerat inter ea, quæ frigida sunt, & sicca ordine tertio. Auicenna uero humidam esse fatetur, & ratio in promptu est. quare cataphora, idest dilatio in somnum, & profunditas ab humido fiunt. Galenus uero sentit, & in radice aliquid adesse caliditatis, & in pomis humiditatis, ut manifeste apud Galenum sicca esse deprehendatur. SE. Cortices medij castaneorum sequuntur. BRA. Per medium corticem, intelligis ne illum, qui inter echinum, & subtile hymen castaneæ carnem tegens cernitur, qui immediate echinum sequitur? SE. Non: sed hymen intimum, idest pelliculam illam intimam, quæ castaneæ carni inhæret. BRA. Nihil ferè aliud ex castanea Dioscorides laudat, quàm pelliculam illã. Eam enim magis adstringere censet, quàm alia superiora coria, quum tamen & ipsa constrictiua sint. His autẽ & castaneæ carnem exhibent, qui ephemeron, idest hermodactylum colchicum biberint, quod uenenum est. SE. Cortex ille uarias compositiones ingreditur, eam præsertim, quæ in frequenti usu est. unguentum de comitissa nuncupatũ. BRA. À Græcis Balanus, & Iouis glans nuncupatur, in Sardinia optime nascuntur. sed & apud nos in Regiensi, & Mutinensi agro sapidissime, uerum minores. à Germanis castaneæ kesten appellantur. Cortex ille frigidus, & siccus est ordine secundo. SE. Raphani cortices sequuntur. BRA. Ne in æquiuoco uersemur, tres radices nosco, quæ raphani nomine insigniuntur, una quæ uulgo raphanus proprie dicitur, acerrimum saporem habens. adeo ut caput tentet, & lachrymas incitet. Altera radix est, quam in quotidiano usu habemus. seminaturq;, & colitur, hanc

raphanello

raphanello appellamus, qui inter olera à cultoribus numeratur, & ab alijs Italiæ gentibus, præsertim Romanis ar morazzo nuncupatur, est & tertia radix, quæ sine cultu nascitur, quam syluestrem raphanellum dicimus. Tu cuius radicis corticem quæris? SE. Illius acutioris, absoluto uocabulo nostra lingua raphano appellati. Nescio tamen cur potius cortices, quàm totam radicem habere studeamus? BRA. Quoniam meduulliũ sub cortice existens minori caliditati afficitur, quàm cortex. præterea facile putresceret. cortex uero facilius exiccatur: nos raphanellum nostrum, apud Dioscoridem raphanum, & à Latinis radiculam appellari iudicamus: quamuis, & sub raphani genere noster uocatus raphanus contineri possit, qui tamen à multis creditur esse lepidion. hi uero non obseruãt lepidion à Dioscoride herbulam dici. noster autem raphanus magna herba est. Adde Plinium nostri raphani folia, lauri folijs similia facere, & mollia esse censere, quæ postea gladioli retusi formam accipiunt. Verum raphanus noster ampla folia habet lapathi acuti folijs similia, & multo latiora. Noster igitur raphanus in raphani genere poni uidetur, nõ autem in lepidio: quia idem uidetur Dioscoridis lepidion, & seitaragi Serapionis, præsertim si seitaragi herbam intelligamus, in his montibus tui raphani radices collige. aliàs hæc omnia ad sensum ostendemus. SE. De lepidio plura audire cupimus, quàm à te dicta sint. BRA. Nostrum de pillulis libellum legito. ubi de lepidio integrã historiam habes, atque hyberide. Callidus est ordine tertio, & siccus in secundo, Hispani rabanos, Germani rattich, Poloni vzodnitru, Neapolitani raucatara raphanum uocãt. SE. Capparorũ cortices sequũtur. BRA. Te etiam in his radices quærere arbitror. SE. Radices

inquam

inquam. BRA. *De his sermo fiet, si in primis tibi ostendam Pandectarium in raphano summopere errare. utpote qui à Galeno scandicem uocari censeat: quum scandix alia herba penitus sit, inter olera ineptissima, quæ quidẽ apud Plautum damnatur. nam quendam exprobrat, utpote scandicis uenditorem, & matri Euripidis exprobratũ est, quod neque legitimum olus, idest scandicem uendiderit. Ad cappares redeũtes, notissimi sunt, & nunc frequẽtes, & optimi Ferrariæ nascuntur, in asperis, & gracilibus sŏlis, & in ruderibus. immo, nisi impediãtur, adeo uage incedunt, ut proximum sŏlum impleant, & arescere faciant. semen ipsum, folia, & radicum cortices seruare oportebit. Plinius Arabicum pestilẽtem esse tradit, in quã sententiã uenit etiam Galenus. Affricus, Apulus, & Marmaricus quondam infesti fuere, nunc probati euaserunt. Immo nos ex Apulia præcipue habemus, quamuis in multis locis, nunc Ferrariæ uireant. Antiquitus etiam caulis & fructus sale seruabantur, sed nunc & aceto: mirum est de eo, quòd omnes medici pro comperto suscipiũt ad uentriculum roborandum ualere, & ægris appetentiam facere credentes. Tamen Dioscorides certissimis uerbis, ita scriptum reliquit, aluum turbare, siticulosum esse, & stomacho noxium: tamen minus noxium esse stomacho coctũ quàm crudum : omnes tamen pro uentriculo tribuunt, ut magis uigeat. sed non miror: quia & coriandrum pro roborando capite exhibent, cui tamen, ut Dioscorides fatetur, obstat, nisi capitis uitiũ sit ratione uentriculi. De capparibus forte id credunt, quoniam à Paulo Aegineta lib. 1. cap. 74. appetẽtiam facere dicitur, & in principio cœnæ edi ex oleo, & aceto, uel ex oxymelite, quemadmodũ & nos utimur: uerum, & si ita conditus appetẽtiam affert,*

fert, nõ tamen ob hoc, uentriculo cõuenit: quia id est pro eo tempore ratione condimenti. Alioqui Dioscoridi opponeretur Paulus, quẽ tamen imitari summe studet. Tu Ferrariæ radicum cortices habere poteris in uiridario, præsertim Ioãnis Brasauoli patrui, qui cura Hieronymi Brasauoli affinis strenuißimi, ibi uirent. sed quum efficaciores uires in montibus habere putem, propterea hic collige, & serua. Hispani cappares, & alcaparras nũcupant. Recentes qui Auicennam imitati sunt, calidos, & siccos ordine secundo cappares esse fatentur. Tamen Galenus inquit, non segniter deßiccare, proprie de radicum cortice loquens. unde & Auerrois, qui Galenũ imitantur, calidos esse ordine secundo, & in tertio siccos dicit. Auicenna forte de fructu intelligit, & non de radice. SE. Thuris cortices occurrunt. BRA. Thus cortice careret. sed cortex, qui à Dioscoride Thus dicitur, est arboris thus gignẽtis cortex, habetis ne uos alium thuris corticem distinctum? SE. Non habemus, sed quum opus est eo uti, inter grana thuris inuenimus. BRA. Tamẽ si thus optimum esset, in eo corticem habere non possetis. SE. At omnia grana probatißima non sunt, nec omnia alba, aut rotunda sunt. nigra etiam inueniuntur plena cortice. BRA. Tamen quenque pharmacopolam (pro uiribus) probatißimum habere conari oporteret. SE. Nos in unguẽtis hoc nigro utimur. BRA. O execrabilis error, id facitis, ac si unguenta ad humanam uitam nihil faciant. quum ex ignauiori unguento (nunc unguenti nomine abutor, ut recentiores faciunt, ad emplastra ampliantes) nunquam ad cicatricẽ uulnera perueniãt, & causa putredinis sint. Vnde opus est exquisita simplicia medicamenta unguẽta etiam ingredi, ex thure quatuor in officina tua seruato.

Thus

Thus ipsum, quod est arboris lachryma ad quinq; ferè cubita altæ, folio piri, secundũ aliquos, secundũ alios lauri, secundũ alios salicis, secũdum alios terebinthi: Theophrastus tamẽ, ac Plinius illis cõsentiũt, qui lauri folia habere inquiunt. Nos incerti sumus propter incertos authores: miror tamen rem hanc adeo incertam esse. sed certiores futuros breui speramus: A Græcis libanus dicitur. in Arabia nascitur, tanquam lachryma ex cortice suæ arboris emanat, ut apud nos in prunis, & malis armeniacis gũmi fit, grungo appellatum. mas in thure, rotunda lachryma, & quæ alba sit, dicitur, quod cæteris præfertur. Alij colores, ut ruffus, & niger ineptiores sunt. rotunda grana arte faciunt auari mercatores, ea in prunis quadrantes. postea per uas fictile ducentes, quoad in rotũdum tendant. Idem pessimi homines thus resina pini, & gũmi arte quadam simul miscentes adulterant. Adulterium igne deprehenditur, nẽpe thus accenditur, & confestim ardet: gũmi uero non accenditur, idest flammam non emittit: resina in fumum euanescit. Ideo adulteratũ, fumum potius, quàm flammam emittit: ex India etiam affertur. sed peius quàm Arabum. Curabo, ut saltem arboris folia, ramusculus'ue afferatur, quum Illustrissimi Principis nostri nauis Alexãdriæ litora appellet: facile enim est ex Arabia, uel India Alexandriam ferri. Venetijs hæc emes, uerum opus est arboris corticem habeas, non thuris, ut quidam ignari putarunt, quia thus cortice caret. Est autem cortex ad uarias ægritudines, ad quas priuatim ualet, necessarius, nec thuris manna, uel pollinem omittas. Est autem manna mica parua (ut inquit Plinius) ex concussu elisa, sicut in tritico id subtile, quod ferè uolat pollinem appellamus, ita hic, quod ualde subtile est, per confractum, uel

per

per motum, pollinem dicunt, uel manna. Tamen quum easdem uires habeat cum thure, immo & ineptiores, an pollinem haberes, nihili facerem tamen. Cum enim à Galeno dictum sit thuris mannam, ad aliqua priuatim ualere, ad quæ non adeo efficaciter thus ualet, propterea & distinctum pollinem habeas, quanquam unum pro altero sumi poßit, Galeno in quinto methodi medendi libro teste. nonnulli uero in thuris manna decepti sunt, eam esse mannam quæ soluit, & quæ è cœlo descendit arbitrãtes. Non est autem opus thuris fuliginem omittere, quia ad multa priuatim in re medica ualet. arte autem paratur, ut apud Dioscoridem & Plinium, quum domi eris, uidere nihil impediet. nos uulgo thus incenso ab accendendo dicimus, Galli ancens, Hispani encentio, Germani vveirach appellant, est calidum in secundo ordine, & siccum in primo, quod & Auicenna testatur. SE. *Macis sequitur, qui inter cortices numerari debet.* BRA. *Aut Dioscorides de mace nusquam locutus est, aut quid sit macis ignorare uidetur. primo enim libro de macere pertractat, inquiens ita appellari à Romanis corticem, qui à barbaris affertur, crassus colore subruffo, qui uehementißime in gustu adstringit, qui à barbaris afferri dicit. Marcellus caput de macere Dioscoridi adiũctum esse putauit, & quia rem concise tractat, & extra aromata ponit. Nobis autem proprium Dioscoridis caput esse uidetur, quoniam à nullo Dioscoridis codice abest, & Paulus Aegineta qui Dioscoridem concise refert, de macere tractat. Dioscorides autem corticem esse censet, cuius uero arboris, nec ipse, nec Galenus, nec Paulus ostendunt. Plinius octauo capite libri duodecimi corticem esse inquit magnæ radicis, nomine suæ arboris appellatæ, quæ ex*

India uehitur, & quamuis ipse machir appellet, & Dioscorides, Galenus, & Paulus, Macer, re tamen considerata quo ad colorem, saporem, & uires, idem esse constabit. apud Plinium quid sit incõpertum est, ut ipse refert, Græci corticem quidem esse testantur, sed cuius sit prætermisere, Serapio quum de mace tractat, Dioscoridem, & Galenum in macere adducit, ideo quod macis uocamus, & Serapio gisbese, idem sunt cum Dioscoridis macer. Est autem macer, uel macis, uel macir, uel machir, superior nucis myristicæ cortex, ut etiam Serapio ex sententia Isaac dicit. Et Auicenna ipse testatur, quod si non sentirent, ab illis sponte dissentiremus, quia re uera macis est superior nucis myristicæ cortex. Quippe corticem habet, ueluti tenellum iuglandis putamen, quo nux myristica tegitur. supra hunc corticem, cortex alter uisitur, qui totam nucem non tegit, sed ueluti cancellus per nucem discurrit, quãuis in aliquibus, sed raris, tegat, qui est subrufus, & hoc macis appellatur, unde sine dubio macis est supremus cortex nucis myristicæ, nec istud peritioribus relinquimus, ut Marcellus facit, sed ita certum esse affirmamus, quia sexcenties oculis uidimus, & nuces myristicas domi cum cortice habemus: nonnulla tamen sunt quæ me mouent, ut existimem aliud per macerem intellexisse Dioscoridem, quàm sit hic noster macis, primo quia de myristica nuce nusquam locutus est, forte dices ignorasse, quod nucis myristicæ cortex esset, de eo autem tanquam de re ignota scripserit, quam etiam, & Galenus, & Plinius, & Paulus, & omnium recentissimus Aëtius ignorarunt, immo Plinius ipse quid sit ignorare fatetur, uel de altera re loquitur, quia inquit, corticem esse radicis arboris eiusdem nominis, adde Dioscoridem

dicere

dicere esse corticem crassum, Constat autem macim tenuem corticem esse, præterea Dioscorides uehementer in gustu adstringere inquit, quod Galenus gustu multum acerbo fatetur. hoc in nostro mace non percipitur, præterea Galenus siccum in tertio, & in caliditate, & frigiditate suum macerem æqualem facit. Constat autem nostrum macim in gustu caliditatem quandam præ se ferre, unde cum Auicenna sentio qui calidum, & siccum in secundo macim facit, quamuis Auerrois quinto collect. in primo siccum ponat, sed arbitror in Auerroi errorem esse, & in tertio legi debere, nam eo loco Galenum imitari uidetur, immo & ipse quid sit, non exponit. quamobrem ex his incertus sum, an cortex quem Dioscorides, & Galenus macer appellant, noster macis sit, si enim esset, Græci quid esset sine dubio ignorassent, & præterea Auicennæ potius assentirer in secundo calidum, & siccum ponenti, quàm Galeno. Nã amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica ueritas. non enim stipticitatem illam persentio, quã siccitas in tertio gradu exigit, & quam Dioscorides excellentem in gustu tradit, etiam manifeste persentitur caliditas, & operationes id ostendunt, quæ caliditas primum gradum excedit. hoc deprehenditur, si quis res calidas uno gradu in ægritudine frigida applicuerit, & macim manifeste concipiet, macis intensius calefacere, quàm simplex aliud uno gradu calidum, experietur præterea non tantũ exiccare, ut ea quæ tertio gradu sicca sunt, quãobrem, aut altera res est Græcorum macer, uel si idem sit cum nostro mace, quod esset ignorarunt, & quamuis Auicenna, & Serapio macim nucis moscatæ corticem dicant, timide quodammodo, & ex aliorum sententia loquuntur, quàm ita aperta frõte sen=

tire uideantur. unde nos macim nostrum, extremum nucis myristicæ corticem esse docemus, & qui dubitat, rei ignarus est, & calidum ac siccum in secundo ordine iudicamus, macim in his montibus non habebis, sed Venetijs emere oportet. Ex India Alexãdriam fertur, postea Venetias. Lusitanorum nauigatio in insulis nuper repertis nucum myristicarum syluas inuenit, ex quibus ingentissimam macis copiam, præter nuces asportarunt. E lõgin quo autem odorem spirare sentiebant, Hispani nostro nomine utuntur. Cretenses uulgo mace, Poloni muszkatoui kruiat, Germani muscatblust nuncupant. tu reliqua prosequaris. SE. De corticibus, quibus utimur satis dictum est. prædicti solum in usu habẽtur, opportunum erit quiescere, & in hac uirenti herba prandere, postea meridiabimur, quoad radij solis inclinantes intentissimum calorem fregerint: Vespertina hora opus cœptum prosequemur. BRA. Non ab re sentis, quippe in illa umbra apud illius riuuli murmur meridiei æstum fugiemus, interim herbariæ mappam sterne. SE. Iam commeatus deficit, qui tamen pro hoc prandio satis erit, interim deus aliquis prouidebit.

DE LIGNIS, QVORVM APVD PHARmacopolas usus est.

SE. Nescio an hoc potius sit uesperascere, quàm meridiari, quippe sol inclinare iam cœpit. BRA. Vesperascere dici oporteret, si hoc uerbũ uesperi dormire significaret. Quæ igitur in tua scheda sunt prosequaris. SE. Ligna sequuntur, inter quæ primum locum aloes lignum occupat. BRA. Quidam ignari aloen huius arboris liquorem

rem

rem esse putarunt, quum aloes herbæ potius liquor sit, quàm arboris, ut suo loco ostendemus. De hoc ligno nusquam à Galeno (quod sciuerim) scribitur, à Dioscoride, & Paulo agallochon lignum appellatur. Serapio Galenum adducit de hoc ligno loquentem, locum non indicans. nobis nunquam inuenire licuit, nisi quis librum Galeno adscriptum adducat, cui titulus est medicinalis experimentatio, in quo de huius ligni uiribus, & usu agit. Nũc optima suffumigia, & odoratissima ex illo fiunt simul cum gummi à nostris belzuinum appellato, fiunt & coronæ idest indices ad numerãdas deo mulierum preculas, quos indices torno parant, perforant, & lineæ inserunt sexaginta, centum, uel centumquinquaginta, ramenta uendũt, etiam caro precio pro suffumigijs parandis, sed alia secũ miscentes, & in puluerem reddentes, pastillos in longũ & acutum conformant, quibus igne approximato sine flãma in cinerem uertitur, solum per cubicula odoratum fumum spargẽs. hoc autem facit, quoad in cinerem uersum sit. odoratissima qualia nunquam persenserim, Illustrissimus Dux Alphonsus parat: duo à Pandectario mire fatua scribuntur, Vnum neminem unquam uidisse huius arboris ortum, & quod per flumina Paradisi terrestris, quũ aliqui rami franguntur defertur. De terrestri Paradiso idem sentit Serapio ex sententia chendsete beni, quod quantum à uero dissentiat, Lusitanorum nauigatio ostendit. nam plures harum arborum syluas ingressi sunt Lusitani, & ingentes truncos in Hispaniam portarunt. gentes illarum partium etiam hoc lignum in honore habent, ideo non mirum si ad nos copia nõ ueniat. in insula quæ Sumatra nunc dicitur, ubertim crescit, quam plures optimi authores, Taprobanam existimant, uerum ultra æqui-

noctialem Sumatra à Lusitanis inuenta est. Ptolomæus autem sub æquinoctiali Taprobanam ponit. quicquid sit, unũ genus est huius ligni cæteris odoratius, quod illi suo nomine calampat uocant, cuius si festucam per quartam horæ partem manu clauseris, mirum odorem persenties. ad nos non affertur hoc genus, sed ad regnum Cathai, ad regnum Cini, ad regnum Macini, ad Sarnau, & Granay portantur, regna ab antiquis cosmographis non descripta, ibi ditißimi reges sunt, & qui plurimum odore gaudeant, congeries horum lignorum in dei honorem urentes: forte hæc insula Sumatra ea est, quã Serapio ex sententia aboanifa simua uocat, in qua probatißimum agallochum nascitur, quàm alio in loco. Certus autem sum, quod ad nos defertur, ex probatißimo genere non esse, quoniam & si per horam manu clauseris, eximius ille odor non persentitur. unde hæc est ratio exquisitißimum agallochũ in insula Sumatra, uel Taprobana probandi, ut referunt qui per Lusitanorum nauigationes illuc accesserunt, manu claudere, ut redoleat. Nos autem aliter probamus, supra ignem ponentes, optimam lachrymam facit, & bonum odorem spirat, diuq; perdurat antequam comburatur. Aliud uanum à Pandectario scribitur, sepeliri sub terra, ut odoratius fiat, quod à Serapione accepit, ita ex sententia, Chedsetebeni dicẽte, sed per annum condi tradit, cuius oppositum Lusitani oculata fide demonstrant. Hi recentes chamæleæ radicibus adulterari fatentur, quod fieri non posse certus eris, si crassiora ligna emeris, immo facillime deprehenduntur ramenta, an ex agallocho sit prædicto modo: nec Lusitani dicunt ebulliri, postea uendi, ut de reubarbaro etiam multi fabulantur. Græci posteriores, ut Aëtius lignum aloes

appellarunt

appellarunt. nam hic uir speciatim de xylo aloes tractat. Veneti unum tantum genus cognoscunt, quod Alexandria Aegypti habẽt, illuc ex Arabia allatum. quod enim ex India affertur ad Venetos, non fertur præsertim ex Sumatra insula, quamuis ex India per mare rubrum, & per desertam Arabiam mercatores Alexandriam tendere soleant. Lusitani tres species cognoscunt, quas etiam tractant, forte ea sunt de quibus Serapio, tu Venetijs id emes, quod haberi potest, quoniam in Italia non oritur. ab Hispanis ligno aloes, à Polonis drzewo aloessowe nuncupatur. calidum & siccum ordine secundo. SE. Xylobalsamum secundo loco scriptum est: at quia de eo in fructibus tractauimus, ideo qui tertio loco sequuntur, sandalos proponam. BRA. Tria ligna in officinis habetis, quæ sandali nomen habent, album quoddam, idest communem ligni colorem habens: album uero ad alia comparatum dicitur, rubrum & luteum, hoc recentes citrinum dicunt, cæteris odoratius, immo solum inter alia odoratum. SE. Ita certe habemus. BRA. Decepti sunt plures, sandalos rubros aspalathum putantes. quippe sandalus arbor est, aspalathus arbuscula, sandalus non est amarus, sed amarescit aspalathus. sandalus ruber non est odoratus. Sed est odoratus aspalathus, quamobrem qui rubros sandalos aspalathum putarunt, longe decepti sunt, cum propter dicta, tum propter alia multa. in his sandalis Arabibus debemus. hi enim sandalos nobis ostenderunt. Dioscoridem enim Galenum, Plinium, Theophrastum, de his nunquam scripsisse constat. Venetijs hæc tria genera sandalorũ emes, albos, rubros, & luteos. Cæteris præstant lutei, mox rubri, denique albi. In India potißimum nascuntur, Lusitani nautæ harum arborum syluas inuene

re, maxima copia in agro Calecbut, quod eſt totius Indiæ emporium, prouenit. in terra etiam Cubæ uiget, & uarijs alijs locis de quibus nuſquam antiqui pertractarunt, ſed nuper diebus noſtris à Luſitanis inuenta ſunt, ad rem igitur, antiquiores de ſandalis nuſquam recordationem fecere, ſed Arabum inuentum eſt. Conſtat autem frigidæ, & ſiccæ naturæ hanc arborem eſſe, & in ſecundo ordine intenſo frigidam, in ſecūdo autem remiſſo ſiccam, decipiuntur qui uerginum, rubrum ſandalum eſſe arbitrantur. nam diuerſæ ſunt arborum ſpecies, quarum copiam Luſitanorum triremes, & cœloces in Hiſpaniam portarunt, apud Tarnaſarim Indiæ urbem uerzinum naſcitur. de hoc apud antiquos non habeo quid certi dicam, ſed de ſandalis, quidam libellus falſo Galeno inſcriptus circunſertur, qui de ſecretis Galeni inſcribitur, ubi in eo de icteritia ſermo fit, ſandalorum meminit. tamen nō dicit ſandalum, ſed mabazari, recentiores ſandalos citrinos interpretati ſunt: his autem nulla exhibenda fides. nam ab Arabe collectus eſt liber. Galeno inſcriptus eſt. Hiſpani ſandales, Germani ſandel. Poloni ſandal, Sandalos uocant, poſtea addunt biali czeruonij, & zolti, ideſt album, rubrum, & citrinum. SE. Tamarix accedit. BRA. Ferrariæ pro his quibus lien tumet, dolia & pateræ fieri cœperunt ex myricæ, ut his uaſis uinum ſeruetur, quod hi qui male affecti ſunt liene, bibere poſſint. De ipſo in herbis ſatis dictum eſt, ubi oſtendimus ab antiquis myricem appellari. SE. Guaiacum ergo ſequitur. BRA. De hoc ligno plures fruſtra conati ſunt apud antiquos aliquid inuenire. Conſtat enim Dioſcoridem, Theophraſtum, Plinium, Galenum, Paulum, Aëtium hoc lignum ignoraſſe: ſed non mirum, quoniam

Ptolo

Ptolomæus, Pomponius, & cæteri coſmographi eas partes ignorarũt, in quibus naſcitur. Nemo enim præter Luſitanos in nouis nauigationibus illuc acceßit, equidem in inſulis nuper repertis, potißimum oritur, in ea, quæ Corterati appellatur, & Hiſpaniola, quæ ab æquinoctiali parum diſtat, & in alijs plurimis, ubi naſcitur. ſimilem morbum habent, ut is eſt, qui Gallica ſcabies uocatur, pro recuperanda ſanitate, fructu ueſcuntur, & quibus fructus deſunt, ligni decocto utuntur, quod Hiſpani uidentes lignum, in Hiſpaniam portarunt. quod deinde per totam Italiam diuulgatum eſt. fructus cito putreſcunt, ideo ferri non poſſunt. De hoc alias diffuſe ſcriptum reliquimus in conſilio (ut dicunt) quod pro reuerendiß. & doctißimo Laurentio Cardinali Campegio fecimus, omnium Cardinalium ſplendidißimo lumine, Magnifico Rodulfo Campegio doctore ſtrenuißimo, & uiro nunquam ſatis laudato, procurante. ut autem noſcas (ſi accideret) quid empturus ſis, nunc breuibus expediemus. Tria huius ligni genera nouimus, unum quod ubique nunc per totam Italiam uagatur, meditullium ferè nigricans habens, & circumcirca albicans, quod odore, pondere, & pinguedine probatur, & quum in micas redigitur, præ pinguedine in globum ſibi iunguntur. eſt aliud ligni genus, quod ſimiliter pharmacopolæ lignum ſanctum appellant. quoniam, & primum lignum ſanctum, uel palum ſanctum dicebatur, quod meditulium paruum, lucidum, & magis album eſt, quàm prius, tamen in colorem luteum tendit. Multiq; decepti ſunt, hoc eſſe ramos guaiaci putantes, quum tamen arbor ſit ſecundũ ſe à guaiaco diſtincta. ut præcitato conſilio docuimus, quandoque annis ſuperioribus magna copia in Italia fuit. Nunc quinque, aut ſex anni ſunt, quòd

ipſum

ipſum Italia non uidit, tamen nobiles multi Genuam miſere, ubi prius copioſiſsime habebatur, ut emerent. Tertium genus contigit me uidere Venetijs in pharmacopolæ cãpanæ officina, quod in ruborem tendebat. deinceps nunquam uidere potui. Tu Genuæ, non Venetijs, primum genus emas, & ſecundum, ſi inuenire dabitur. De tertio nullum experimentum habeo, tamen ſi aliquo Italiæ loco haberi contingat, ne à tua officina abeſſe ſinas. Quandoque hebeni ſpeciem eſſe ſuſpicabamur. ſed poſtea authores cõſiderantes, à ſuſpitione liberati ſumus, & experti ſumus hoc lignum in fine primi ordinis, uel in principio ſecundi calidum eſſe, in ſecundi uero medio ſiccum. Tu ergo alia ligna proſequaris. SEN. *Iam extrema manus lignis impoſita eſt, niſi ea numeremus, quibus etiam pyxides fiunt.* BRA. *Nec iſtud ab re eſt ſcire quo loculo unumquodque exquiſitius ſeruaretur.* SEN. *At quia non modo umbræ maximæ cadunt, ſed ferè ob ſolis occaſum ſub orizontem inclinantis euaneſcunt, ut una ſola terræ umbra præualeat, expedientius erit ab incœpto opere quieſcere.* BRA. *Immo nihil æque commodum, quàm eos cibo, & potu ſaturos fieri, qui iugi labore occupantur. id tugurium petamus, quod ex monte pendere uidetur.* SE. *Petamus.* HER. *Quis adeo audax hoc præcipitium inhabitat, à quo deſpiciendo tremunt membra, & crura uacillant?* Ruſticus: *Ego, ſed tutius eſt hoc præcipiti ſaxo inhabitare, quàm propè montis pedem, quo ingentia ſaxa plerunque deuoluuntur, domus, & turres obruentia.* SE. *Mi frater, cœna indigemus, & quiete. ſi nos hoſpites benigne receperis, ut dignũ eſt, libere perſoluemus.* RV. *Nihil æque gratum mihi eſt, quàm bonis placere: domus hæc ueſtra eſt. non deerunt molles caſtaneæ,*

neæ, non nitia poma, non caseus, & assam capreoli partem habebitis: uino caremus, nisi ex syluestribus prunis: nec panis adeo albus est, ut nos deceret. SE. *Opiparam cœnam nacti sumus. lymphas manibus demus. Tu hic discumbe.* BRA. *Potius è regione hostij sedebo, ut spiranti aura fruar.* SE. *Vinum hoc ex syluestribus prunis non displicet.* BRA. *Nec mihi, nisi stipticitatem quandã persentirem.* SE. *Postea quàm cœnati sumus, ne statim à cibo dormiamus, sed spaciari parumper conueniet.* HER. *Satis hodie spatiatus sum, impleant uapores quantum lubet, caput. hac etiam nocte resoluentur.* BRA. *Dormiat ipse, nos interim perambulemus.* SE. *Dic mihi Antoni Musa: Hieronymum Brasauolum auum tuum uirum integerrimũ noui, qui tres natos generarat, Franciscum patrem tuum, Ludouicum, & Procurium: extant ne patruorum aliquæ proles?* BRA. *Ludouicus cœlebs obijt, quum adhuc infans esset Procurius & ipse cœlebs, quum. 1522. in Hispaniam ad Adrianum Pontificem nuper electum, ab Illustrißimo Duce nostro mitteretur, in Macra flumine, propè Lunæ desertam urbem suffocatus. Solus Franciscus sobolem peperit, nec rarã. cuius ego solus superstes sum.* SE. *Doctißimus fuit, & excellentißimus medicus pater tuus, & inter alios, Comes facundißimus. Noui etiam Ptolomæum fratrem tuum, qui in summum uirum euasurus erat, si fata permisissent.* BRA. *Puer adhuc eram, quum. 1505. uita functus est. sed ex altera matre ortum duxit.* SE. *Scio: Tu ex Margareta Brixiensi muliere digna decantari, quæ uidua à tenellis annis usque in uirilẽ ætatem maximo studio, & labore nos duxit.* BRA. *Ex ea autem præter me, Hieronymus, & Ioannes Baptista prodiere.* SE. *Ioannem Baptistam ignoro.* BRA. *Non mi*

rum,

rum, quia trium annorum puer in cœlum euolauerit. SE. Hieronymus iam uir excellentißimus euaserat, & nunc inter optimos Ferrarienses medicos cõputaretur. BRA. Multis laboribus me leuasset, nisi uitam cum morte millesimo quingentesimo uigesimo octauo cõmutasset, sed nullus contra impia fata potest. eo anno per totam Italiam pestilens morbus euagatus est. SE. Tu quot annorum es? BRA. Nunc trigesimum quartum annum impleui: Nam in lucem prodij millesimo quingentesimo anno à Christi ortu, decimasexta Ianuarij luce, hora sexta noctis cum dimidia, ante diui Antonij festum diem. SE. Quum infans esses te frequenter inter ulnas portabam. Nam mihi summa familiaritas erat cum excellẽtißimo patre tuo: dic autem duxisti ne adhuc uxorem? BRA. Multi iam aguntur anni, quũ statim è Gallia reuersus sum. Cassandram præstantißimi Hieronymi de Robertis filiam duxi, quæ multos natos mihi peperit, Renatũ, inquam, Herculem, Hieronymum, Franciscum, Ioannemfranciscum, & Hyppolitum, & puellas, Margaretam, Elleonoram, Lucretiã, Bernardinam, Lauram, Elleonorã alteram, & alteram Lauram, atque Violantam. SE. Superuiuunt omnes? BRA. Vndecim solum nunc superuiuunt. SE. Ergo immunis es ab omni onere ciuili? BRA. Sum inquã immunis, & amplo priuilegio me decorauit Illustrißimus, & excellentissimus Hercules Dux Ferrariæ quartus. SE. Hora dormiẽdi instat. nam stellæ frequentes sunt, & undique cœlum occuparunt. BRA. In frondeum torum & hac nocte dormire opus erit. sed nihil mihi iucundius, ut antiquorum philosophorum toros contempler.

DE LIQVIDIS SVCCIS, ET LIQVORIBVS *quorum in pharmacopolarum officinis usus est.*

HER. *Hora iã est de somno surgere: ut cœptum laborẽ perficiamus.* Heus *surgite.* SE. *Quoniam heri tempestiuius accubuisti, ab re non fuit & hoc mane tempestiuius surgere.* Te *præpara ad liquidos succos, & liquores parandos. Succo bletæ in primis, & uiolarum indigemus.* BRA. *De bleta in herbis, de uiolis in floribus dissertum est.* SE. *Disseruisti quidem, sed etiam succo absintij indigemus, fœniculi, solatri, semperuiuæ, ebuli, iridis, celidoniæ, rutæ, eupatorij, corticum mediorũ sambuci, hos Galli escorce da myler, da sureã uocant, quos in herbis expressimus.* BRA. *Parasti certe. ideo non est opus iterum repetere.* SE. *Balsamus: succus granatorũ, succus citoniorum sequuntur. Citonium uero coing à Gallis, mebrilles ab Hispanis, quitten à Germanis nuncupatur.* BRA. *De his etiam in fructibus, & de Granatis in floribus sermonem habuimus, quando balaustia colligere iubebas. Arbitror te per balsamum, liquorem ipsum, idest opobalsamum intelligere.* SE. *Ita quidem est: sed rosarũ succus ac oleũ sequuntur.* BRA. *De oleo in fructibus, de rosarũ succo in floribus dictum est.* Tamen *oleum ex immaturis oliuis, & maturis habere oportet. Ex maturis autem primæ expreßionis oleum, & ex integris oliuis, & aliarum expreßionum, à Gallis huille, ab Hispanis azeite, à Germanis oel, à Polonis oleij, oleum appellatur.* SE. *Vinum etiam in officinis habere oportet.* BRA. *Immo in cellis uinarijs potius. De uino seorsum uno libello Illustrißimo Alphonso Duci Ferrariæ dicato, ubertim scripsimus. Vbi sapidiora apud antiquos uina, & quot species haberent,*

&

& quibus ætatibus bibenda, & quomodo, & quādo degenerāt, & de optimis nostri temporis uinis, deq́; medicatis disseruimus, hunc libellum Ferrariæ habebis, ex quo quæ uina in officina habere oporteat disces. Nunc enim tempus non est uina colligere. præsertim in tua officina Creticum habeas, & purum Creticum, non adulteratum, quod Maluasiam à loco in quo nascitur, appellant: alij monombasiam dicunt, à Gallis uin, ab Hispanis, ut nos, à Germanis vvein, à Polonis uine nuncupatur. SE. Nec aceto carere debemus. BRA. De aceto etiam seorsum scripsimus in libello Illustri Iulio Tassono Duci strenuissimo inscripto. ubi de uarijs aceti generibus, & eius qualitatibus disseruimus, & quibus modis fiat, & quomodo breui acerrimum euadat. frigidum, & siccum esse nulli hoc tempore dubitant. à Gallis uin aigre, ab Hispanis uin agre, à Germanus eßig, à Polonis cazet dicitur. Tu in officina ex rosis rosatum acetū præpara, & ex Cretico uino puro ad epithemata, & plura alia habeto. SE. Agreste sequitur. BRA. Vinum omphacium uocatur, succus est uuæ inmaturæ, quæ & ipsa uua omphacia nūcupatur, ex uua Thasia, & Aminea Dioscorides. 5. lib. fieri docet. Tu ex hac nostra præpara, & præsertim in agro Ferrariensi. nam uinum hoc frigidæ naturæ est, atque siccæ. Quo autem modo fiat in principio ferè quinti libri Dioscorides docet. À Gallis ueriust, ab Hispanis agrazo, à Germanis & Polonis agrest uocatur. SE. Eo modo præparabo, quū Ferrariæ erimus. Mel sequitur. BRA. Mellis genera ex locis distincta fecere authores. potißimum, & preciosissimum Atticum, postea Siculum. præsertim quod Hybla urbe Siciliæ hybleum appellatur, ex thymi abundantia. In Creta apud Carinam montem huius generis nascitur,

quod

quod muscæ nõ attingunt. Ideo *pro medicamentis eligũt. non desunt tamen, qui* Siculum *cæteris præferant, ut* Varro, *quia mellificium ex thymi floribus potißimum fiat.* In Sicilia *uero maxima thymi copia habetur.* Nos *autẽ hybleo melle non indigemus, quoniam* Ferrariæ *satis laudatum sit.* Mel *uero* Sardoum, *&* Ponticum *abijcienda, utpote nocua.* Probatur *mel, quod dulcißimum, odoratũ, & gustu compungente, subrutilum, nec succo liquidum, sed ponderosum, tactu prætenuia fila mittens atque ualidum, & quum trahatur, neque abrumpentibus se, neque resilientibus guttis, sed digitum uersus, quasi reciprocantibus. hoc est purißimum mel, & eligendum.* Nos *duo genera* Ferrariæ *habemus, subrutilum, & album. sunt qui album probent, ego subrutilum, utpote magis concoctum, quàm album: calidum est, & siccum ordine secundo.* Pro *melle, ne alium locum quæras, quàm patriam nostram, ubi apes, & florum copia, & aquarum exuberantia habetur.* Hispani, *&* Galli *eodem modo appellant miel.* German*i uero honign, &* Poloni *myod.* SE. In *meo hoc indice, scillæ succus consequitur.* BRA. Notißim*æ sunt* Scillæ, *quæ, & à* Varrone, *squillæ nuncupantur, quem omnes recentes medici secuti sunt, alba, & nigra, idest rubra, in nigrum uergens, reperitur. prima masculus, secunda fœmina dicitur, non solum succus seruandus, sed & ipsa* Scilla, *quæ tanquam cœpa est, & cortices filo infixi, & interstincti fœniculo, & oleũ scilliticum, uinum, & acetum, fieri debẽt. uos scillitico aceto utimini, uino minime.* SE. Quandoq; *etiam oleum paraui, & scillam in pastillos redegi.* BRA. Immo *ad trociscos scilliticos, qui theriacem ingrediũtur.* Scilla *indigemus, quæ pasta circundata in clibano decoquetur: hæc de scilla, quam* Poloni *zamosna czebala uocant.*

cant. secundum Galenum in secundo ordine calida est, & sicca, tamen quære tu an sit in secundo ordine, uel in tertio: uerũ profecto in tertio calida, & sicca esse uidetur. Tu alia prosequaris. SE. Non sunt alij liquidi succi quibus in officinis utimur, & hora adhuc operi cõuenit. ideo condensatos succos, & concretos liquores ante prandium colligere poterimus. BRA. Vt lubet.

DE SVCCIS PRAEDENSIS, ET CONCRETIS *liquoribus, quorum in officinis usus est.*

SE. *Inter prædensos succos, liquiritiæ expressum choream ducit.* BRA. De ipso in radicibus egimus. SE. Ita constat, manna sequitur. BRA. Mannam rorem condensatum, nemo dubitare audeat. Hoc autem adeo constat, ut nonnunquam in Ferrariẽsi agro descenderit, sed raro fit. Tamen in statis quibusdam locis frequentius accidit: quẽadmodum superioribus annis Ferrariæ in horto excellentißimi medici Sigismõdi Nigrisoli cecidisse deprehensum est. Ipse uir doctißimus copia collecta expertus est, atque probauit. Est autem statutus locus in Oenotria, in quem singulis æstatibus descendit, & ab omnibus paßim colligitur. Neapolitani reges occlusere locum, ne quis sine uectigali colligeret. Dum locus occlusus fuit, non descendit, eo recluso, & uectigali remoto, iterum descendere cœpit: sed & iterum clauso loco, & tertio recluso, & clauso cessauit, ut necessarium fuerit Reges quibusq; permittere, ut colligere poßint. Hoc mihi retulit Illustrißima & sanctißima Isabella Neapolis Regina, Illustrißimi Federici Regis Neapolitani dignißima uxor, quæ. 1533. Ferrariæ obijt. Dum illam in grauescenti ætate, & febre acu

tißima

tißima laborantem curaremus, quam inter Christi martyres collocatam putamus. Sunt autem tria mãnæ genera, in Calabro ſolo collecta, unum ſupra folia, quod perfectiſſimum eſt, & ita uulgo apud Calabros appellatum manna de folia, quippe ruſtici folia aptant, & ueluti tegete extendunt, plantantq; latiorum foliorũ arbores, ut aptius colligatur, & parum ſupra aliam rem cadat. Alterum genus primo deterius eſt quod in lignum colligitur, & ſupra arborum caudices, hoc manna ligni, uel trunci uocant. Tertium genus, in terram cadit, cæteris deterius, quod manna terræ dicitur. eadem igitur res ſupra diuerſa cadens uaria nomina, & uarium genus (ſi hæc differẽtia generis dici poßint) ſortitur. An uero hæc eadem mãna ſit, qua Hebræi quadraginta annis in deſerto nutriti ſunt, ſuſpicamur, quia coriandrorum grana habuiſſe fertur. Quum autem ſupra naturam id ſit, quod ſingulis diebus plueret manna, & in ſufficienti copia ut nutrirentur tot hominum millia, & ſi quiſpiam magis quàm pro uno die, aut duobus diebus feſtis colligeret, putreſcebat. Propterea alteram rem fuiſſe Hebræorum mannam ſuſpicamur, quanquam dici poſſet, deum rebus naturæ ſemper miracula facere, uel quanto magis naturæ propria fieri poſſunt, ideo illam Hebræorum fuiſſe ueram mannam in granula concretam, ut Calabra eſt, uidetur, ſed miraculũ in quantitate fuit, & in eo quòd ſingulis diebus pluebat, & ob mandatum putreſcebat, quũ in maiori copia quàm eſſet menſura data ſeruaretur, ex partibus etiam orientalibus ad nos defertur, & præſertim ex monte Libano: Venetijs magna copia habetur. tamen ego ſemper Calabram mannam cæteris præfero, & ſi nonnullos aduerſari ſciuerim. An uero Dioſcorides de manna locutus ſit,

multi dubitarunt,Hermolaus ſub elæomeli comprehēdit, nam etſi primo dubitet,an elæomeli, acromeli ſit.infert tamen ſe in hoc eſſe perpenſiſsimum,ut idem ſint, quod nos ſentire non poſſumus, quia elæomeli ex arboribus ſponte manat,ueluti oleum,ideo & elæomeli dicitur.manna uero è cœlo.i.aere deſcendit,non ab arboribus.Nos tamen elæomeli nunquam uidimus,at non eſſe mannam ſcimus,nec iudicare poſſumus, quis nam melius loquatur, Dioſcorides,an Plinius,qui ſecus de elæomelite ſentit. tamē quum Plinius de re ferè incerta loqui uideatur. Dioſcorides de ſibi certiſsima,ideo potius Dioſcoridi quàm Plinio credere ſuaderem,adderemq́; de manna nuſquam à Dioſcoride tractatum.i.de manna quæ ros eſt.Nā mannam thuris primo libro deſcribit.Oribaſius etiam,Galenus,& Paulus de ſola manna thuris loquuntur, ideo nuſquam manna apud hos authores reperitur, propterea Auerrois recte cenſet, mannam unum ex his eſſe quæ à Galeno ſcripta non ſunt, quamuis unus ſit Galeni locus, ut infra edocebimus in quo mannam deſignare uideatur. De Serapione autem miror,qui Hibix ſentētiam de manna ita dicentem ſcribit,adſtringit uentrem, & eſt ſiccæ naturæ manna,unde arbitror de manna thuris hibix eſſe locutum.Serapionem uero mannam thuris ſimul cum manna roris confudiſſe.Nam ex eiuſdem ſententia addit,mannam compoſitiones medicinarum magnas ingredi.Conſtat autem ad reprimendam intenſam medicamētorum uim,& mannam thuris,& gummi(ut ipſe met fatetur)in magnas compoſitiones miſceri, ideo certus ſum Hibix de manna thuris loqui,at quia aliquis putare poſſet eo capite Serapionem de manna thuris loqui.De māna roris tractaſſe oſtendo,quippe inquit ſecundum arbores,

res,

res, super quas cadit diuersas uires habere, unde si cadat supra tamariscum, ad tussim ualet, quæ de manna roris loqui demonstrant. quippe manna thuris, quum puluis sit ex concussu thuris factus, supra arbores aliquas non cadit. Aliud est de quo miror Arabes duo capita facere, alterum de manna, alterum de tereniabim, describentes tereniabim rorem esse de cœlo cadentẽ, qui supra lapides, & supra terram coagulatur, & granuloso melli similis efficitur, unde tereniabim est nostra mãna granulosa, quæ ex Oenotria affertur. uerum ex oriẽtalibus partibus, & meridionalibus alterum genus mannæ portatur sicut mel liquidum præter aliud albicans granulosum, hæc est manna Arabum, quare tereniabim, & manna rores sunt, sed tereniabim est in granula condensatus. manna apud ipsos tanquam liquor melle densior. Nicolaus Nicolucius à Mauro quodã huius liquidæ mannæ pyxidem emit, quæ miros effectus faciebat. Quod autẽ Hibix de manna thuris supra locutus sit, quum eam adstringere dixit, ex hoc etiam ostenditur, quia Serapionem in capite de tereniabim adducit, ubi tereniabim uentrem emollire fatetur, & bilim educere. non defuere tamen, qui Arabum tereniabim Dioscoridis saccharum esse existimarint, hoc uero absurdum est, quoniam Serapio ubi de saccharo pertractat, id præcise scribit, quod à Dioscoride de suo sacchàro prius dictum erat. Adde supra cannas saccharum colligi, sed tereniabim supra omnes arbores, quare Serapionis tereniabim. i. manna nostra, alia res est ab antiquorum saccharo, & idem cum melle, de quo Auicenna quod supra lapides, & arbores sine apum auxilio cõdensatur. Mesue uisus est tria illa genera, quæ separatim in arbore folijs, & terra colliguntur agnouisse. At Galeni sen-

tentiam affert, nusquam apud Galenum de manna (nisi uno loco) & quomodo cum alijs rebus misceatur, inuenire licuit, arbitror hos Arabes alios libros habuisse, quàm ad nostras manus peruenerint, Galeno falso inscriptos, in quibus multa reperirentur, quæ adducunt, ab ipsis tamen nunquam scripta inueniuntur. Non possum id credere, arabes adeo temerarios esse, ut rem adducant, quam uel in fronte non uiderint, aut ab aliquo adductam non compererint. Constat autem eos in pluribus Græcos adducere, de quibus nusquam locuti sunt, quare apud Dioscoridem manna non reperitur, quoniam saccharum non est, quippe saccharum in arundinibus concrescit modo salis: Manna uero supra omnes arbores descendit, nunc uero quæ Neapoli uiderim. 1535. cum illuc accessisset Illustrissimus & Excellentissimus patronus meus Hercules Ferrariæ Dux, ut Carolum Imperatorem Quintū inuiseret. Vidi autem seplasianos mannam supra peponum & cucurbitarum folia colligentes, quæ liquida est & nigra, sappa uidetur, est tamen dulcis, sed non soluit, pectori cōuenit, ingentem quantitatem colligunt & seruant, in clysteribus adhibent. Vidimus & aliud mannæ genus, quod supra summitates cuiusdam generis papiri, uel iunci in æstate concrescit, hanc plantam Neapolitani chioduno uocant, uel baula. album est genus hoc mannæ & dulce, atque fragile ut zuccharū, quo ad solas oculorum ægritudines utuntur, iudicant esse Arabicum zuccharum alusar, & antiquorum saccharum. Adest & tertium mannæ genus Neapoli, de quo superius egimus in mannam folij, mannam trunci, & mannam terræ distinctum, ineptior est manna cum cadere incipit, & magis liquida est, atque humida, probatior est in Augusto, cum granula facit par

ua, atque conglobata, hæc Neapoli habetur. nunc ad Græcos authores redeamus, Galeni locus extat quo mannam adumbrare uidetur, quum de melle, tertio de alimento. facult. agit, sed de ipsa tanquã de re incognita sermonẽ fecit, et raro suis partibus facta inquit, fit enim in plantarum folijs, neque succus earum, neq; fructus, neque pars, ullo pacto dici potest, sed eiusdem cũ rore generis est, nõ ita tamen assiduo, nec copiose prouenit. Memini aliquãdo æstate super arborum herbarumq; folia mellis quàm plurimum repertum fuisse, ut gaudio exultantes rustici cantarent, Iuppiter melle pluit, sed his non contentus Galenus causam addidit inquiens, præcesserat autem nox, ut per æstatem satis frigida (nam tum anni æstiuum tempus erat) pridieq; calida & sicca fuerat aeris constitutio, quamobrem peritis naturæ interpretibus halitus è terra, atque aquis prodeuntes, solis calore exacte attenuati, ac cocti à frigore secutæ noctis in unum coacti, ac condensati fuisse uidebantur, sed apud nos raro id accidit, in monte autem Libano quot annis persæpe, adeo ut expansis super terram uelleribus, mel à concussis arboribus decidens, excipientes ollas, ac fictilia plena referãt, uocantq; id rosidum mel, aut aereum, hactenus Galenus. Constat autem mannam illam, quam ex Calabria habemus talem esse, nec mirum si à Galeno ita prætereatur, ut nihil de eius uiribus scribat, quoniã apud ipsos nõ extabat, sicut apud nos raro etiam fit, ex eadem materia fit mel, nam apes rorem supra folia, & flores colligentes, mel parant, uerũ & si singulis annis Ferrariæ mel fiat, tamen manna non cadat, ratio est illius dispositionis aeris defectus, propterea non ab re ab Arabibus constellationes, quibus fiat. i. aeris dispositiones, quæ per astrorum motus fiunt edocẽ

tur, idem sentit Plinius libro undecimo cap. 12. ex aere, & maxime syderum exortu fieri, præsertimq; in ipso Syrio splendente. Itaque prima aurora folia arborum melle roscida inueniuntur, ac si qui matutino sub diuo fuere, unctas liquore uestes, capillumq; concretum sentiant, siue ille est cœli sudor, siue quædam syderum saliua, siue purgantis se aeris succus, utinamq; esset, & purus, ac liquidus, & suæ naturæ qualis defluit primo, ut ex his constet Plinium etiam hoc loco mannã tangere. nam mel id sponte factum in arboribus manna est. Saccharum uero non esse mannam, non solum prædicta ostendunt, sed & ipse Plinius libro duodecimo capite octauo, ubi inquit amplissimum saccharum nucis auellanæ magnitudine esse. Est uero mel in arundinibus collectum. Manna autem est potius liquida, & quæ concreuerit nucis auellanæ amplitudinem non habet, nec manna dentibus fragilis est, sed est ualde tenella. Voluit enim duritiem ostendere Plinius per id quod dentibus fragilis sit. nam manna digitis etiã frangi potest, non antiquorum saccharum. Constat igitur nos Arabibus debere, qui mannam exquisite edocuerunt, & eius uires in duas species dissecantes in mannam, & tereniabim, mãna liquida est ut mel, densatur autem. Tereniabim est manna coagulata. uerum hoc nomine manna in omnibus abutuntur, quod apud Hebræos, quid est hoc, significat, quanquam ipsi man, non manna proferãt, hæc quæ de mãna satis, & super. SE. *Nondũ satis de mãna dictum esse arbitrabor priusquam ab hoc onere me leuaueris.* BRA. *Quod nam onus hoc est?* SE. *Ut conijcio tu Galenum mannam non cognouisse arbitraris, tamen ex hoc mannam cognouisse constat, quia illam descripsit, & exacte, immo & illam se uidisse fatetur.* BRA.

Erat

Erat mannæ cognitio apud Galenum confusa, quippe semel tantum illam uidit. Et præterea eius uires ignorauit quas debebat, & in tertio de alimentorum facultatibus, & in libro de simplicium medicamentorum facultatibus, ubi de melle egit prosequi, & ideo paruam habuit, atque exiguam mannæ cognitionem, & eius uirium. SE. Videtur & eius uires nouisse, cum dicat uires diuersas acquirere ex rebus supra quas cadit. BRA. Galeni uerba non intelligis, quia eo in loco de melle loquitur, & inquit. Videtur autem & ex plantis in quæ folijs mel colligitur, boni uel mali quidpiam acquirere posse. De melle inquam loquitur, quoniam apes mel colligunt, idest roris guttas ex quibus mel fit, & in aluearia portant. lege quæ nos ample in nostris, in librum de ratione uictus in acutis, commentarijs de melle scriptum reliquimus. Et Galenum de melle loqui, idest rore qui ab apibus colligitur, ex eo constat, quare laudatissimum ait esse mel in locis ubi sit thymus, & herbæ sicci temperamenti, & ideo ratio qua probare niteris Galenum, mannæ uires nouisse nullius momenti est, quoniam de melle loquitur, idest rore quo apes mel conficiunt. Et licet Galenus mannam oculis uiderit, id semel fuit, neque ex hoc eius uires sciuisse deprehendi potest. SE. Rationem tamen, quomodo fiat egregie docet. BRA. Et si ratio illa Galeni sua in regione & eo tempore uera esse potuerit, tamen in omnibus locis uera non est, quippe in Oenotria sub cane, cum dies ardent, & noctes fit mãna, neque præcedit nox frigida aliqua ante mannæ casum, præterquàm noctis æstiuæ frigiditas, tamen pluribus continuatis diebus descendit. SE. In eo præterea dubito, cum probas mannam saccharum non esse. inquis ideo non esse, quoniam man-

na liquida est, at superius granulosam illam esse dixisti. BRA. Tu solum in cauillis, & tenuibus argutiolis uersaris, non'ne audiuisti adesse, & liquidam, & granulosam mannam? tamen & granulosa respectu sacchari satis liquida est, quare non dura, sed ualde tenella, & mollis. SE. Te etiam audiui ex Dioscoride dicentem saccharum supra cannas concrescere, tamen non magis supra cannas, quàm in cannis dixit Dioscorides, nempè ait ἐπὶ τῶν καλάμων. præpositio autē ἐπὶ si genitiuo iungatur, tam supra quàm in significare potest. BRA. In puerilibus nugis mihi uersari uideris, sit supra cannas, uel in cānis, in extima fit cannarum parte, & est conglobatus succus ui solis è cannis expressus. forte erat in cannarum geniculis, immo ita esse certus sum, & in aliquibus erat geniculis eadem in canna, in alijs non erat. SE. Mirum est antiquiores non cognouisse mannam. BRA. Immo & apud Vergilium mellis aerei mentio facta est, sed eius uires ignorabant. Et Galenus præcitato loco dicit, ex monte Olibano frequentißime haberi, & in ollas coaptari. A Vergilio autem 1. Georg. uersu. 131. fit eius mentio, ubi ostēdit Iouē homini laborē imposuisse omnibus in rebus, & canit. Mellaq; decußit folijs, ignēq; remouit, nā supra folia mel inueniebant, de qua re in nostris supra librū de rat. uictus in acutis, commentarijs abūde egimus, SE. Cuius est qualitatis māna? BRA. Fuere ex recentibus qui mannam in secundo ordine calidam, & siccam facerent sicuti, & mel. Nos uero in præcitatis cōmentarijs, id impoßibile probauimus, quia ros est condensatus. Mel uero à floribus ex quibus fiunt faui, caliditatem ac siccitatem acquirit. Ros uero simplex, & conglobatus manna dicitur, propterea tantam caliditatem habere non potest,

sed

ſed eius caliditas eſt ferè temperata. Vnde & apud Serapionem meſarugie calidam in primo ordine eſſe dicit: & in paßiuis qualitatibus temperatam. Verum ſecūdum eundem authorem ex ſententia Abix, calida, & ſicca eſt, ordine ſecundo intenſo. At de manna thuris locutus eſt, & non de māna roris, ut ſuperius annotauimus. SE. Saccharum mannam conſequitur. BRA. Non minorem difficultatem moues, quàm quæ de manna pertractata eſt: quippe noſtrum ſaccharum aliam rem eſſe ab antiquorū ſaccharo conſtat. Antiquorū enim ſaccharum, ut Dioſcorides, & Plinius teſtantur, genus mellis eſt ſupra cannas concreti. Noſtrum uero ſaccharum ex expreßione cānarum fit, hoc non modo re ipſa patet cōſideratis authoribus, ſed Hermolaus clare ſentit antiquorum ſaccharum, & hoc noſtrum diuerſa eſſe, & ante Hermolaum Genuēſis. ex eo etiam accipitur, quòd omnia antiquorum condimenta, melle fiebant. Immo, & nunc addo, Serapionem noſtrum ſaccharum ignoraſſe. Nam quū de ſaccharo loquitur, Dioſcoridem, & Galenum adducit, qui de ſaccharo, quod mel cannæ eſt, loquuntur. Tamen de taberzet mox loqui uidetur, ac ſi una confundat. Vnde à Serapione de noſtro ſaccharo nihil habetur. Auicenna autem penultimo capite ſecundi libri ipſum diſtincte pertractat. Quæ uero ab Auicenna dicantur, in epiſtola ad Frācīſcum trotum Lucenſem apud Leonicenum legere poteris, quia nō arbitror noſtrum ſaccharum ſub antiquorum authorum mellibus comprehendi. Tamen dici poſſet extra cānas ui ſolis exire, & poſtea in modū ſalis conglobari, hocq; nos ſaccharū cādidum appellamus, quamuis Venetijs ſaccharum candidū arte fiat. Quod uero ex canna reſudet Dioſcoridis uerba inſinuare uidentur, quibus inquit inueniri

in

in arundinibus concretione sua sali simile, ut hæc concretio per guttã, quæ ex canna exeat, fiat. tũcq; eiusdem materiæ erit cum nostro sacchardo, sed non eodem modo factum. SE. Arbitror ego antiquiores saccharum nostrum nouisse, sed nouerunt iam arte paratum. Non autem dum in cannis adhuc esset, sicuti alia multa cognouerunt, tamẽ nec quo loco nascerentur edocuere: nec quomodo fierent sciebant, & tunc nostro sacchardo omnia conueniunt, quæ ab authoribus scripta sunt. BRA. En ostendis te potius animo mordendi loqui, quàm discendi. nam eodem argumẽto ad opposita uteris, quippe si aliquid dixerim ab antiquis prætermissum, statim respondes. Id neque à Dioscoride, neque à Galeno dictum esse. Si uero aliquid sponte prætermiserim, arguis alia ab authoribus dicta esse, ac si omnia scriptis mandare tenear, quæ ab alijs dicta sunt: nunc quoq; uis antiquos authores saccharum nouisse, cum tamen nulla ab ipsis sacchari nostri mentio facta sit. Nã authores tantummodo sacchari supra cannas, uel in cannis concreti non quidem intus, sed in geniculis mentionẽ faciunt. Neque aliud apud ipsos inuenitur, an uero nouerint, certe credendum est: si nouissent, etiam si conficiendi modum ignorassent, non dixissent supra cãnas concretum, & formam eius enodassent. Verum ad alia te conferas, nempe indignum mihi uidetur de hac tam manifesta re garrire. Tu quicquid lubet sentias, nobis id curæ non erit. SE. Tamen tuam sentẽtiam nulla ratione probas.
BRA. Ipsa se ipsam probat ex authorum uerbis nihil de nostro sacchardo loquentium, & hoc est egregius probare quàm tu tuam sententiã probaueris. Cannæ sacchari plenæ sunt non uacuæ, & inanes, ut nostræ cannæ sunt, papyri formam habent. SE. Non sunt cannæ, quia plenæ

sunt

ſunt non inanes. BRA. O delirum caput, cannæ appellantur, etiam ſi baculi eſſent, nec opus eſt uacuas eſſe. Quum eſſem puer cannas ſacchari libenter exugebam, quas in foro emebam, quodam Hiſpano mercatore portante, pro unica canna obolus unus expẽdebatur. Spero noſtram patriam, præſertim Illuſtriſsimi Ducis noſtri montem, cannas quandoque producturum, ex quibus ſaccharum noſtrum per ebullitionem liquatur. Antiqui ſuum ſaccharũ ſalem Indum uocarunt, & mel arundineum. de excellentiſsimo Leoniceno hic miror, qui ſalem Indum aliud eſſe à ſaccharo taberzet probare uoluit, & Herculanum, ac Gentilem reprehendidit Auicennæ interpretes, qui in capitulo de aſperitate linguæ, ſal indum, ideſt ſaccharũ candum exponunt: Verba autem Auicennæ in. 4. canone, in cap. de aſperitate linguæ febricitãtium, talia ſunt. Sal qui aſportatur ex India, eſt in colore ſalis, & dulcedine mellis: Leonicenus Auicennam reprehendit, quia (inquit) hoc remedium à Paulo accepit. ideo opus eſt more Pauli, ſalem intelligere: at Paulus pro ſale albo eũ intellexit, qui pro condimento cibis admiſcetur. Addit ſaccarum candũ non eſſe album, ſed potius colore ſubluteum: re uera Leoniceno multa debeo, quo ſemper præceptore uſus ſum. ſed plura ueritati, quam ſemper incorruptam ſeruare ſtudemus. Itaq; Paulum Aginetã conſiderantes. 2. lib. cap. 54. ubi de ſcabritiæ linguæ pertractat, expreſſe idem ſentit cum Auicenna, ſalem Indum, ideſt ſaccharũ illud ſumi debere, non ſalem noſtrum communem album. Cuius uerba ſua lingua ſubſcribere uiſum eſt. Inquit ille καὶ ἅλς ἰνδικὸς χροίᾳ μὲν καὶ συστάσει ὅμοιος τῷ κοινῷ ἁλί, γεύσει δὲ μελιτώδης. Quem ſi ad uerbum referamus, hæc dicit. Et ſal Indicus colore quidem, & concretione ſimilis

milis communi sali, sapore autem melleo, ut ex his manifeste deprehendatur salem indum Dioscoridis saccharum esse, quod candum appellari potest, quamuis arte factum non sit, ut nostrũ. Multi uero, præsertim Venetijs, & Genuæ: ut superlucrentur naturam imitantes, arte parant. Ideo Herculanus & Gentilis per indum salem, Saccharũ cãdum interpretari uoluerũt, nec subluteum est, sed quãto exquisitius, tanto magis albicat, præsertim natura constans. Nisi dicere uelimus Leonicenum intellexisse salem indum similem nostro esse substãtia, & colore, solo differre sapore, sed tunc Herculanus, & Auicenna in re nullius momenti reprehenduntur. Tu Venetijs saccharum nostrũ emes, & ex eo plures species, illud in primis eme quod rubrum uocatur ex prima coctura factũ, uel secunda imperfectum, uel quod in secunda coctura degenerauit. quo in enematibus utimur, quamuis perfectius uti deberemus. Etiam emas quod secunda coctura perfectum, & de madera, uel saccharum crassum nuncupatur, & etiam finum uocatum habeas, quod ex tertia, quarta, uel quinta coctura fit. Nec à sacchar o cando abstineas, quod si naturale habere poteris supra cannas sponte concretum, conueniens erit. sin minus Venetijs arte paratum emes: Candum uero naturale uocetur id quod supra cãnas concrescit ex similitudine quam habet cum arte facto cando. Suaderem uero, ut Genuæ saccharum ex madera emeres, quoniam uiliori pretio ibi uenditur: Nam facillime ex Hispania, et Sicilia in Liguriam defertur. Cætera sacchari genera, ut candum, finum uiliori pretio Venetijs uenduntur: de saccharo autem cando, an siti conueniat, suo loco disputare decreuimus, quia plura à Leoniceno contra recentiores dicta sunt, quæ mihi ueritati quadrare non uidentur. SE.

Galenus

Galenus ſaccharum non cognouit? BRA. *Non,ſed tantũ Dioſcoridis ſaccharum.* SE. *Fiebant ne Galeni tempore cannarum expreßio?* BRA. *Si fiebat, oſtendit ſe ignoraſſe,quia de ipſo nunquam locutus eſt, uel de expreßione, uel de ipſis cannis.Id tantum tractat,quod dicit Dioſcorides in cannis concreſcere.* SE. *Arbitrandum igitur Galeni tempore inuentum non eſſe?* BRA. *Hoc arbitrari non poſſum,immo certus ſum ante Galeni tempora cannas expreſſas fuiſſe,& ſaccharum cõfectum fuiſſe, ſed forte Galenus ipſe ignorauit,quia nõ omnia poſſumus omnes,nec ualde frequens erat,quippe extant Marci Varronis Narbonenſis carmina, expreßionem harum cannarũ in hunc modum dicentia:*

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,
Illius & lentus premitur radicibus humor,
Dulcia,cui nequeant ſucco contendere Mella.

Conſtat autem Varronem ante Galeni tempora exitiſſe, quia uixit ante Chriſti aduentum,quum Cæſar Imperium occupauit.Galenus autem poſt Chriſti incarnationem uixit tempore Marci Antonij Imperatoris,& tempore Adriani,in cuius gratiam Theriacam præparauit,ut ipſemet in primo lib. de antidotis ſcribit, ubi de cinnamomo uerba facit. SE. *Hoc non eſt paruum teſtimonium ante Galenum illarum cannarum ſaltem radices exprimi ſolere.* BRA. *Sed & Statius Papinius, qui tempore Neruæ Imperatoris fuit,ideſt ante Galeni tempora, licet parum tamen in ſyluis harum cannarum meminit dicens:*

Et quas præcoquit ebuſita cannas.

Vbi Hermolaus Hypaſita legẽdum corrigit, à fluuio Hypaſi,à quo etiam populi Indiæ uocantur. SE. *Nec iſtud paruum teſtimonium eſt.* BRA. *Alia etiam addam: Nam*

Strabo

Strabo in India non solũ ex cãnis, sed ex radicibus exprimi docet, & Solinus de India pertractãs, ex radicibus quarundam cannarum inquit succum exprimi ad dulcedinem mellis. Vnde certum est, ex radicibus posse fieri nostrum saccharum & abundãtius, quàm ex ipsa herba, sed ad generationem reseruantur. Nullus uero dubitat Strabonem ante Galeni tempora fuisse, quia ante Christi aduentum scripsit sub Imperio Octauiani, & in ipso aduentu. Galenus uero post Octauiani tempora, & aduẽtum Christi in lucem prodijt. Quam ob rem si hunc liquorem antiquiores Galeno nouerunt, miror cur illum præterierit, forte hoc cãnarũ expressum de natura sacchari credidit supra cannas concrescentis, quũ uero de illo abunde tractasset, satis de dulci illo expresso dictum putauit. Aut Romanis totius orbis dominis, aliquid apertum esse potuit, quod Græcis, & si propinquioribus ignotum erat. Opus autem est per longum tempus, antequam à præcitatis uiris saccharum cognosceretur, cannas expressas fuisse, quoniam antequam ex India Romæ hoc sciretur, fuit opus interponi tempus. tamen de Plinio omnium rerum sagaci inquisitore, & Dioscoride sedulo scriptore miror, qui hæc siluerit ante se ab alijs scripta, quum tamen Plinius Romæ esset, sed non omnia possumus omnes. ab Hispanis azuquar, à Gallis succre, à Germanis zuchar, à Polonis czunier nuncupatur, tu reliqua prosequaris. S E. Optarem ut omnia in cumulum redigeres, quæ de his prædixisti, mannã etiam addens. B R A. Immo & à melle incipiã. Mel apum, est nostrum mel.

Mel Roris, est manna quam habemus, quæ & mel syluestre dicitur à Suida, & Plinius lib. 16. cap. 8. supra robora etiam fieri tradit.

Mel

Mel cannæ, est saccharum antiquorum nostro cando simile, quod in Aegypto, & India innascitur, & conglobatur supra cannas. Nos per expressionem cannarum uocatum à nobis saccharum paramus, & per cocturam, in uarias species distribuimus.

Mel cannæ ab Auicenna dicitur saccharum Albusar, Et sal Indus dicitur, ut supra docuimus.

SE. *Acatia sequitur.* BRA. *Nostram uocatam Acatiam illam Dioscoridis non esse manifeste patet, quamuis & nos ex spinosa quadã nostra arbore faciamus, habet Dioscoridis Acatia siliquam seminibus plenam, siliquæ exprimuntur, & qui exit succus acatia nuncupatur. Nos ex arbuscula, quæ prunus syluestris dicitur, uulgo brognolo, quasi pruncolum, paramus, fructum ante maturitatem colligimus, & exprimimus, quod simul cum carne miscẽtes in placentarum orbes conformamus, & exiccantes pro acatia utimur: sunt inter se dissidentes authores. Quippe Oribasius, & Aëtius idem cum spina Aegyptia Acatiam esse uolunt, alij negant, Dioscorides in Aegypto solum nasci memorat, tamen & in alijs locis prouenit. Immo & Syriam quoque spinam dici cõstat. Alba, nigra, & uiridis arbor reperitur in Aegypto, quæ huiusmodi siliquas parit. nunquam uidi antiquorum acatiam, sed ex syluestribus prunis tantum factam, quæ tamen constringendi efficaciam habeat, nec despiciendus est hic noster succus, tamen quum acatia indigerent, id potius sumerent, quod à Dioscoride pro acatia sumi posse docemur, & eius uirtutem habere. Id autem est rhus obsoniorum, id est sumachium, quod frequens est apud nos. Ideo quum acatia indigeo, folijs rhu obsoniorum utor, & nostra uulgari acatia in his, in quibus opus sit infrigidare, constringere*

re, & repercutere. Tamen laudarem, ut nostram acatiam ex prunis maturis, & immaturis seruares, minus adstringit ex maturis, quando opus sit uti. Nec alibi pruna syluestria quærerem, quàm Ferrariæ. Nam in foueis ferè sponte nascuntur. à Germanis schlehen, à Polonis tarnkoue pouidla nuncupatur acatia, à Galeno sicca ordine tertio existimatur, & cum abluta est, in secundo ordine frigida est, non abluta uero in primo. S E. *Ipoquistidos sequitur, tamen in primis scire percupio. nunquid Arabicum gummi ex spina acatiæ prodeat, ut inquit Serapio, qui tamen in alijs Dioscoridi consentit.* B R A. *De hac re suo loco disseremus, tu interim hypocistis, non hypoquistidos dicito, pro recto, genitiuo utens.* S E. *Vt à cunis didiceram profero, & plurium consuetudinem sequor.* B R A. *Vtinã ut pauciores, saperes, quia in his recẽtiorũ errata cognosceres, à Leoniceno pro parte detecta. Cisthos apud Dioscoridem frutex est, qui in saxis prouenit (hoc ut in pluribus intelligas) plures ramos habet, multa folia (quod ratione fruticis intelligere oportet) non multum altus, folia sunt in orbem circinnata, hirsutum est folium, acerbo gustu, in marem, & fœminã distinguitur. Mas florem punicei habet, fœmina albescit, sub hoc frutice nascitur hypocisthis. Est autem hypocisthis ueluti fungus ad pedem cisthi nascens, forma citini, ideo aliqui citinum uocarunt. Est autem ac si multi citini suprapositi sint, ita enim in Lucensibus, atque Senensibus montibus copiose habetur, in reliquo Apennino non ita frequens. frutex ille uulgo, lingua canina appellatur apud Senensiũ, & Lucensiũ rusticos. Arabũ interpretes hunc fruticem barbam hircinam interpretati sunt. Exprimitur hypocisthis, & succus etiam hypocisthis appellatur, eandem uirtutem cum acatia*

tia habet, tamen magis adstringit. Auicēna hoc ignorasse demonstrat, quoniam tria capita distincta facit, primo de barba hircina, quam cisthon esse apparet, his ad quæ ualet, consideratis, & etiam ex Serapione, qui eadem in barba hircina dicit, quæ à Dioscoride in cistho. Aliud caput Auicenna de hypocisthide facit, appellatq; ipse, uel malus interpres suo uocabulo, hensistides, & per hoc succum intelligit, postea aliud caput facit de taratith ab alijs distinctum, ac si taratith, alia res sit, quum tamen uere hypocisthidem esse in confesso habeatur, ut ex Serapione apparet in eo capite quo de barba hircina pertractat. Sed quod grauius est cisthon cum cisso confundit, adeo ut cisthon hæderam esse putet, & ex hædera ladanum fieri. Deceptus autem est in nomine, quia cisson hedera significat. Ipse autem cisthon accepit, ac si cisson dictum sit, fit equidem ladanum ex altero cisthi genere in Cypro. quum enim mane cisthos cœli rorē susceperit, oues, & capræ illorum flores comedentes, & hirci succum roris uillis barbarum, & femore insidentem abstergūt, qui natura tenax, & lentus facile sequitur ad contactum, ut uiscum detractus hic succus purgatur, & in offas conuolutus reponitur. Alter modus faciendi est, attractis funiculis ubi sunt syluæ, pingue quod his adhærescit, depectitur, & in panes diuiditur, qui ladanum appellantur, quia & hic frutex ladon, uel ledon nuncupatur. Hypocisthidē in Lucensibus montibus & Senensibus potissimum habebis. Ladannm uero non fit in propinquiori parte quàm in Cypro. Venetijs pro ladano, quendam succum uendūt, qui an sit ladanum ignoramus, tamen uidimus utplurimū non habere colorem subuiridem, qualem illi Dioscorides tribuit, nec statim tactu mollescere, ideo aut alterā rem,

aut adulteratum esse putamus, quamuis & uerum ladanum Venetijs etiam uiderimus. Disputatum est nō solum de Auicenna, qui in cisso & cistho similitudine nominum deceptus errauerit, sed de Plinio Nicolaus Leonicenus in Epistola ad Angelum Politianum disputat in nomine cisson & cisthon deceptum esse probans, ut cisthon .i. plā tam ita appellatam acceperit, ac si cisson .i. hedera dictū sit. Pro Plinio in altera Epistola Angelus Politianus certat, tu inter hos summos uiros iudicium feras. SE. *Cui potius inniteris?* BRA. *Re uera non possum non assentire ueritati, quam Leonicenus integre detexit, interim ne diu in hoc negocio uersemur, ad alia pedem conferas.* SE. *Hypocisthidis qualitates prius enarrato?* BRA. *Est in tertio ordine sicca, in primo calida, uel in actiuis qualitatibus temperata, ut recentiores sentiunt, tamen hypocisthidem frigidam esse primo ordine potius censemus, quare multa magis adstrictoria erit quàm cisthi folia, quæ folia, & frutex cysthos dictus à Galeno adeo frigidus dicitur, ut tepidi caloris sit particeps. Hinc Serapio accepit de hypocisthide, quod esset frigida in quantitate, & caliditas eius sit tepida. Cisthum uero in secundo ordine siccum dixit Galenus: uerum cum hypocisthis magis sicca sit in tertio ordine sicca erit. Cretenses uulgo lycum, tu achisaru .i. lupum achisari hypocisthidem uocant.* SE. *Elaterium sequitur.* BRA. *Res est, quam potius latere optarim, quàm sciri, nisi à summis & antiquissimis medicis inter remedia poneretur. In cucumerum genere, anguinus cucumis numeratur, alij syluestrem cucumerē, alij erraticum uocant. hic exprimitur, cuius expressum siccatur, & in pastillos autumno cōformatur, qui pastilli elaterium appellantur. Modus exprimendi à Dioscoride*

quarto

quarto libro docetur. Theophrastus author est eius uim usque ad ducentos annos perdurare, & melius esse quo uetustius, unde Plinius dixerit, nullum esse medicamentũ quod diutius perduret, lucernas usque ad quinquagesimũ annum extinguit. Probatur si priusquam restinguat, sursum scintillet, & deorsum cogat. A trimatu suæ expressionis uires habere incipit secundum Plinium, ita ut eo uti poßimus. Dioscorides à bimatu, uultq́; ad decennium esse optimum. Maxima dosis unus obolus, minima semiobolus apud Dioscoridem, pueris dantur duo chalci.i. quatuor grana. nocet enim maior mensura, ubique nascitur, & etiam in nostro Ferrariensi solo mirifice soluit, uulgo asininum cucumerem uocamus, ut Arabes faciunt, in his montibus colligerem, & elaterium pararem. En quomodo pulchri sunt in his ruderibus, & in illis sabulosis cucumeres, uerum & succum foliorum, & radicum habere studeas, immo & folia seorsum ac radices seruarẽ, & radicis corticem, qui ad multa ualet, si Dioscoridem legas, & omnes aliæ partes. caue dum cucumeres accipis, ne in oculos permingant. SE. Hoc meo magno incõmodo tamdiu didici, quum essem puer huius generis cucumerem rei ignarus euellere tẽtaui. ille succus quẽ emittit, oculos meos attigit, per tres aut quatuor horas, præ oculorum dolore, in maximo discrimine fui, tamen contulit postea, quoniam à caligine quadam liber euasi. BRA. Ita casu plura medicamenta inuenta sunt. Videtur ferè uindictam sumere, quum euellitur. Est autem probatißimum elaterium (ut Dioscorides inquit) quod candido colore humescit, & leuitatem habet, ac leuorem. Viride pessimum est, adulteratur amylo. SE. Plerunque cucumerẽ expreßi, nunquam albus succus exiuit, uel per exiccatio-

nem factus est. BRA. Hoc sæpe cõsiderans, ex radicibus fieri oportere dubitaui, quas si expresseris, albus continuo emanabit liquor, uel in album tendens, tamen ex hoc non infero esse ex radicibus faciendum. nam qui alia in patria nascuntur, forte candido colore insigniuntur, & nunc nunc ex his Ferrariensibus cucumeribus album liquorem fecimus. A Polonis sux odpolnich ogurnoro uocatur. Auicenna calidum, & siccum in tertio esse censuit, at Galenus in secundo solum ordine calidũ dicit. SE. Cera occurrit. BRA. De cera in melle dici oportebat, ut autem nostro commodo satis est animaduertas, ex apibus duo illa haberi, mel primo, postea cera, quæ fauis occluditur, per expressionem educitur. Plinius exprmendi ordinem indicat, duo ex cera seruare oportet, cerã ipsam, quam colore fuluo sumito, subpinguem, odoratam, modice referentem halitum mellis, & puram. Aliud, quod in officina habere debes, est propolis, propolim uulgus nostrũ appellat, Cira uerzene, quo nomine tanquam latino multi recentiores utũtur, Cera uirgo, dicentes, ea est, quæ ad foramen aluearium fit, ut inquit Varro. Ferrariensem ceram, & propolim habeas, si fieri poterit. Ipsa enim experientia comprobauit, si non antiquorũ authoritas, si Ferrariæ, quantum satis erit habere non poteris, eam Venetijs eme, quæ ex Creta affertur, nec alubi, quàm Venetijs albam quæres, ubi ingentissima copia noctibus roscidis fit. Artem Dioscorides ostẽdit quomodo alba euadat. quin, & Ferrariæ etiam sine aqua marina albissima fit. At opus non est tantum expendere sumptus, & laboreis pro tam pauco lucro, rubram ceram mixta anchusa, aut pseudominio Ferrariæ parabis: uiridẽ uiridi æris mixto, nigram atramento, uel usta charta mixtis, resina iuncta

optima

optima sit,ut ueluti gluten res iungat,& cancellarijs inseruit,una tantum officina Venetijs albam concinabat Hermolai patris tempore. Nunc nullus est pharmacopola etiam minimus qui non dealbet. De cera satis,quũ etiã nostri nobiles Principes imitati,nolint nisi alba cera uti, sed re uera eadem est expensa,quia non alba cera citius quàm altera consumitur,ut id quod pondere æquatur,& pretio superatur , duratione præualeat. Hispani,ut nos cera,Galli cire,Germani vuachs. Cretenses uulgo cheri, Poloni nosk nuncupant. Temperata à Galeno iudicatur, nõ tamen adeo quin caliditatem,& humiditatem habeat, & est plurium rerum subiectum. SE. Opium sequitur.

BRA. Nigrum papauer Ferrariæ habemus , quo opium fit,sed adeo rarum,& paruos fructus habẽs, ut copia haberi non posset. ideo Venetijs emere suadeo si folia,& calices terantur, exprimanturq́;,& succus in pastillos redigatur, Meconium dicitur,quod est ignauius opio . nam opium ex nigro papauere hoc modo colligitur . Quum mane rores exaruerint,ex obliquo summa cute cultello incidere oportet,ut lachryma exeat,quæ in uas deriuanda est,& cortex ita incidendus,ut nõ penetret intus cultellus,& ita sequenti die faciẽdum. Diagoras uult id fieri quum turgescit, Iollas,quum deflorescit, primum nunc sequũtur opium parantes,succus ungue,uel gosopio excipitur,& in uas colligitur,exiccaturq́;, & hoc opiũ est quod emanat,& lac. Nam Meconium fit per expressionem,ideo & succus appellatur,sicut opium etiam lachryma dicitur,ex papauere nigro proprie fit. tamen opium quo utimur,ex albo est papauere. Ex Apulia ad nos affertur,ita papauer album incidunt. Nam in Apulia crassos cortices habent,& lachrymam seruant,quã pro opio

noſtris pharmacopolis, & Venetis uendunt. Thebanum opium laudatum reperitur. ſeminarem ego nigrum papauer in Ferrarienſi agro, ubi tamen & ſponte naſci reperitur, ſed eo ſeminarem, ut maior copia haberetur, quo opium multis præferendũ pararem. Adde Apulos ut plurimum ad nos meconium afferre, nõ opium. i. ſuccum, nõ lachrymam propterea apud nos ſeminandum, & parandum, quum ſolum ad hoc gignendum propenſißimum habeamus, frigidum eſt ordine quarto, & humidum in tertio, uel in ſecundo intenſo. SE. *Aloe ſequitur.* BRA. *Aloe, & herba eſt, & eiuſdem herbæ ſuccus, quam paßim in fictilibus habemus, etiam hyeme uirẽtem, tamen apud nos degenerat. nam & amaritudinem amittit, in reliquis uero omnes notas habet, quas illi Dioſcorides tribuit. Nos Ferrariæ ſuccum exiccauimus, nihil illi deeſt ex his quæ ab antiquioribus dicuntur, dempta amaritudine, ſaltem quam illi imponũt Galenus & Dioſcorides inſigni. Soluit etiam noſtra aloe, ſed ægre, ideo aloem eſſe nõ dubito, quæ degenerauerit, quippe hi decipiuntur qui aloem eſſe inficiantur. Nam idem eſt, ac ſi quis neget idem eſſe idem, quia alio loco natũ, & una ſola qualitate deficiẽs, ideo non erat negandum aloem noſtram eſſe aloem, ſed inefficacem eſſe dicendum, & degeneraſſe. Succus in terra collectus, quãdoque terra plenus eſt, propter id lauatur. Septimo libro de arte curatiua Galenus diuerſitatem lotæ, & non lotæ aloes tribuit. His notis bona aloe deprehenditur, pinguis, nitida, ſine arenis, colore ruffo, friabilis, iecinoris modo cõcreta, inde recentes quum optimam aloen inſinuare uolunt, Aloen hepaticam proferunt facile ſe diluens, & liqueſcens, amaritudine uehementi, ideo noſtra aloe inepta eſt. quæ nigra, & frangi non po*

teſt

test pessima. quomodo adulteretur, & adulterium cognoscatur, à Dioscoride docemur, eam Venetijs emes, quæ ex India asportatur. SE. Quid sentis tu de quodam celeberrimo uiro Mesuem reprehendente, quia ora uenarum aperire admonuit? BRA. Nunc istud discutere opus non est. nam de hac re alias copiose scripturus sum. Tamẽ ita simplicissimis uerbis nunc animum meum aperiam. Cum Mesue & Serapione aperire ora uenarũ censeo, ex quadam insita uirtute, cuius causam ignoramus, forte ex eadem qualitate, qua extrema amaritudine prodijt, experientia ducor ut id sentiam. Nam qui hæmorrhoidas pati consueuere, aloe magnopere offendũtur, ut in hoc statim incurrãt, ea uorata. Nobilis, & magnificus Nicolaus Tassonus inter alios hoc magno suo incommodo expertus est, quoties aloen sumebat, semper uenarum ora aperiebantur. Quibuscunque alijs pharmacis sumptis, nihil molestabatur, tamen pharmaca erant, quæ eandem materiã cum aloe educerent. Nec opus est infinitos alios adducere, qui hoc perpessi sunt, ut ratio ex parte pharmaci, potius quàm materiæ motæ exhibenda sit. Non tamen inficior, hoc etiam à materia fieri. At malam aloen magis aperire iudico, & quãuis Galenus sexto aphorismorum aphorismo. 47. Acredinem humorum hæmorroidas aperire censeat: non inficiamur, immo addimus multa alia id facere præter aloen, unde & cæpæ, & allium aperiũt si nonnunquam uescamur. tamen aloe hoc priuatim habet. Non possum enim huic sententiæ temere repugnare sine certa ratione, quam omnes imbibere, & experientia dictat. Et quãuis alibi uulnera consolidare & adstringere dicatur, quod recentes per exteriora applicatum intelligunt, non per interiora, nõ mirum, quoniam Galenus

in libro de theriaca ad Pisonem, antequam Andromachi carmina scribit. de plurimis tractat, quæ uno modo sumpta effectum faciunt, alio modo oppositum. Et præsertim de aloe exemplum scribit dicens per exteriora aloen supercrescentes ulcerum carnes adstringere, & humores qui sub ipsis nascuntur, subinde exiccare, si uero per os sumatur uniuersum corpus purgare, quod aperire est. Vt manifeste deprehendatur, uenarum ora aperire, quod est quidam purgationis modus. propterea non ab re, à Mesue, & Serapione uenarum ora aperire scriptum est quod per os sumptum intelligitur. nã per extrinseca applicata claudit, & præsertim sedis, & pudendi ulcera, ut Aëtius docet, uerum hanc rem philosophicis rationibus suo loco muniemus. nunc satis est per transennam adumbrasse, potiusquam ratione aperuisse. SE. Mihi certe uidetur, si aloe uenarum ora aperiat, id casu fieri quia exiccat, & adstringit, & uulnera conglutinat secundum Galenum. Et quãuis meatus expurgare posit, qui multis obstructi sint humoribus sed ob hoc uenarum ora non aperit, quoniam differunt aperire, & expurgare, neq; plurimis ora uenarum aperit, quod facere deberet, si uenarum ora aperiret. Et medici insciti æ, ac indiligentiæ computãdum est, cũ ad cæcas, & incognitas uires confugit. BRA. Iam uideo te morbo animi laborare, cum rem hanc hostiliter tractes, potius quàm humane, fingisq; te esse ouem, cũ sis lupus rapax, & gloriolæ cupidus. Quomodo actio aliqua casu fieri potest, quæ in maiori hominũ parte fit. at in maiori hominũ parte, aloe usus hæmorroidas prouocat, non quidem perpetuo aperit sed nonnunquam intumescere facit, dolores excitat, sanguinem manare cogit, immo ut uniuersalem quandam propositionem enuntiem.

In

In omnibus ad hæmorroidas propensis ex usu aloe excitantur, tamen ex aliorum medicamentorum usu non excitantur, nisi raro. siquis sit huic propositioni aduersus in seipso experiatur, potißimum si ad illas propensus sit, breui, an hoc uerum sit persentiet, si propensus non sit, longiori usu indigebit. Neque id erit ex humoribus qui educentur, quoniam ex alio medicamento eosdem humores educente non excitantur. Et quanquam exiccet, & adstringat, Galeno sexto de simplicium medicamentorum facultatibus teste, id extrinsece impositum facit, quippe in uulneribus hoc *efficere docet. Adde quicquid expurgat aperire, tamen aperire, & expurgare differũt, sicuti quicquid est homo est animal, tamen homo, & animal differunt. Et maiori hominum parti uenarum ora aperit, & si medicum inscitia plenum iudicas, et indiligentia, qui ad multas qualitates confugiat. Iudica et Galenum ignarum, ac indiligentem, qui in multis lapidibus, Nono de simplicium medicamẽtorum facultatibus, ad occultas qualitates confugit, & de his occultis qualitatibus libellum scripsit, cum quo malim esse ignarus, quàm tecum nimis sciolus: sed hæc à nobis abunde alias tractãda sunt, quo in loco ostendemus ex qualitatibus etiã manifestis id efficere. Verum in præsentiarum, quæ iam animo concepimus in medium prodire non placet, cum alter sit nobis statutus locus de hac re loquendi. Nũc autem ueluti per trãsennam hæc effari uoluimus. SE. In eo etiam Mesuem reprehendit, dicentem frigidis temporibus euitandam esse aloen. At ipse inquit, potius in calidis euitandam, quia calida, & sicca est, quid in hoc sentis? BRA. Nihil aliud, quàm Mesuem certißima edocere, si ipsemet Mesue Mastix in seipso experiatur, id persentiet, quod

mihi

mihi in profunda hyeme accidit aloen sumenti, per integram hebdomadam sedere non potui. Nec quicquam ualet ratio, quod calida, & sicca sit aloe, quia uentres hyeme, & uere natura calidißimi sunt. ideo magis hyeme, quàm æstate (quia calor maior) nocebit, unde si eius ratio per manifestas qualitates facta, quicquam ualet, & nostra hæc, quoniam id aloe tribuimus ob qualitatem insitam, cuius causam ignoramus. Nempe fieri potest, & continuo ita esse deprehendimus proprietatem aliquam, & aliquẽ effectum nobis certum esse. causam uero incertam, & incognitam, & licet ad temporis rationem confugere posset, tamen nulla erit ratio, cur non calefaciat intrinsecas partes: Sed hæc aliàs diffusius agentur, nunc satis est uiã ostendisse. Aloe est in prima parte secundi ordinis calida uel in primo ordine intense, & in tertio sicca. Auerrois in secundo siccam esse dicit, à Polonis czarna alena uocatur. SE. *Ad scamonium ueniamus.* BRA. *Optarim & hoc nunquam ad hominũ manus peruenisse, quoniam plus mali, quàm boni afferat. Nam & si alicui rei prosit, pluribus officit. Succus est radicis herbæ, quæ scamonia nuncupatur, quamuis, & hoc nomen scamonium herbam, & succum, uel lachrymam significet, à Romanis colophoniũ dicitur: quia in Colophonia optimum nascatur, tamẽ Veneti Alexandria Aegypti Venetias ducunt, è Mysia autem Alexandriam portãt, sed potißimum quod Venetias affertur, peßimum est, quia ex Syria, & Iudæa facillime Alexandriam portatur, hoc uero iudaicum, & Syriacum deterrimum, & ponderosum est. Ideo non mirum si sumẽtes ualde perturbet. Accidit enim me raro bonum uidisse ex Mysia Asiæ adductum quod has notas habet, translucidum est, solutum, sine pondere, taurini glutinis colore,*

prætenui=

prætenuibus fistulis, fungosum. Hæ autem notæ raro in Veneto reperiuntur, sed præcipue põderosum est, ut inde ex Iudea, & Syria allatum cognouerim. Modum uitiãdi, & cognoscendi Dioscorides, & Plinius ostendunt, in Apulia & hanc plantam nasci tradunt, & nos Apulum habuimus (si uere Apulum erat) omnibus notis insignitũ, & efficacissimũ. In morbo Gallico semidrachmã quãdoque exhibui, & in re profuit. Ioãni Baptistæ Toxico hydropem patienti scrupulum exhibui, nihil eduxit, deinde & duos scrupulos, qui & nihil eduxere, tertio integram drachmam Vincẽtio Celato compatri charissimo, & Laurentio Augusto amico nunquam pœnitendo, pharmacopolis admirantibus, tamen nihil in tã magna copia eduxit: Deinceps tentare nolui, & nihil aliud exhibere statui, quàm lenia pharmaca. Testes sunt excellentissimi iuuenes Franciscus Brusantinus prædicti patientis affinis, & Illustrissimi Ducis Ferrariæ curialis medicus. Maurelius sanctus Illustrissimi Hippolyti Mediolanensis archiepiscopi, physicus, & Ioannes Frãciscus Rossius chirurgus doctissimus, & Ioannes Leo Vercellensis, qui tunc mecum in praxi uersabantur. Alia causa assignari non poterat, quàm uel scamonium ineptum, uel uentriculum aqua, uel multa pituita plenum fuisse, quæ pharmaci uim compescebant. Non enim dici oportet, naturam nõ esse ausam aggredi, quia saltem scrupulum aggressa esset. Vidi etiam in officina Iacobi à columna pharmacopolæ, quẽdam qui duas scamonij drachmas præter noxam comedit, quater, aut quinquies solum eijciens. Is autem scamonio assuetus erat, in partibus orientalibus natus, ut testis etiã est Antonius Discalcius simplicium medicamentorum studiosissimus, frequentissime scrupulum sine noxa exhibui ex zin

zibere

zibere, sale, aut pipere, ut Paulus Aegineta *iubet, ne uentriculum offendat. nam sine his maxime offendit.* Ex *scamonio, si libebit, diagridium parare poteris, aut communi modo in cotoneo malo, & pasta, aut antiquissimo in dulcium amygdalarum oleo. pasta qua circundatur, canes dysenteria interficiuntur, si quotidie frustulum detur, quoad occumbāt.* Q*uandoque uicini rustici canem interfeci hoc pane, qui galinas meas absque delectu uiciniæ comedebat, hoc effectum est tribus diebus, quotidie frustulum exhiberi iubebam.* Nullus *autem prænoscere potuit, quo nam modo obijsset, nisi ego dixissem.* Putabant *enim dysenteria occubuisse, ut autē rusticos deterrerer, ne prædiolum meum continuis furtis depilarent modum interficiendi canem ostendi, comminatus idem ipsis me facturū nisi à furto abstinerent.* Hispani, *ut nos scamonea, &* Galli, *ac* Poloni *appellant, calidum est, & siccum ordine tertio, sed calidum intense, siccum in prima parte eiusdem ordinis.* SE. Lyciū *sequitur.* BRA. Pro *lycio, quid pharmacopolæ uendant ignoro, tamen lycium non esse certus sum: quoniam non crematur, nec rubentem spumam (dum extinguitur) facit, extrinsecus quidem niger est, sed intrinsecus non ruffus.* Immo *etiam niger, ex* Bononiensibus *montibus potissimum lycium sumunt nostri phamacopolæ. id uario modo faciunt.* Sunt *qui ex ligustro, & qui ex herba, quæ caprifolium nuncupatur faciunt.* Habet *enim herba illa, uel frutex grana, ex quorum expressione lycium fit, hæc tamen uera lycia non sunt.* Plinius *& ipse capite. 14. 24. lib. uerum lycium ex pyxacantha solum fieri censet.* Lycium *dicitur, quia in* Lycia *potissimum abundat, quum* Venetæ *naues* Hierusalem *petent ex* Cappadocia, *&* Lycia *habere nihil im*

pediet, quamuis, & in alijs locis nascatur. Hoc modo fit, arbuscula lycium nominata, accepta, & radicibus, ac ramis sumptis, & pluribus diebus in aqua maceratis, coquũtur semel, iterumq; ligno exempto, donec mellis craßitudo fiat, tunc spumam seruare oportet, & florem innatantem, & reliquum etiam cremorem, quoniã particulatim ad diuersa ualent. Immo, & semen exprime, & succum in sole pone, postea serua. Nihil etiã impediet in his montibus lycium inuenire. Vides illam arborem aculeatam, quæ ramos habet trium cubitorum, & maiores, ac minores, densa folia habentem, buxo similia, & fructum piperis nigrum? SE. Video. BRA. Gustemus an amarulẽtus sit. SE. Est omnino amarulentus. BRA. Leuis etiam est & densus, & arbor pallidum corticem habet. Excaua radicem Herbarie. HER. Adeo multiplex est, & obliqua radix, ut uix absque magna scrobe euelli poßit. SE. Buxus mihi uidetur. BRA. Et buxus certe est, sed spinosa, ut nomen ipsum ostendit. nã pyxiacantha appellatur, ex hac uerũ, & propriũ lycium fit. collige, & pro tua officina serua, & lycia ex alijs rebus facta dimitte. Equitaui per innumeras pyxiacanthas, dum Liguriæ montes cum Illustrißimo patrono Hercule Estense peragrarem. SE. Non'ne & ex lonchite lycium fit? BRA. Fit quidem in India, ut Dioscorides tradit. SE. Quæ arbuscula est lonchitis? BRA. Multi eam esse putarunt, quam nos uulgo sanguanũ appellamus: est enim genus sentis, uirgas subrectas habẽs tricubitales, aut eo etiam ampliores, protinus ab radice multas, craßioresq; rubo, cortex abscedens cruentus, propterea à nostris sanguanus dicitur, quo religiosi baculos parant, in quorum summo rasuræ in modũ umbellæ arte collectæ sunt, hoc ad aspergenda templa, &

homines

homines benedicta aqua utuntur. Tamen *ego syluestrem rhamnum esse arbitror, ex quo lycium fieri* Plinius. 24. *lib. cap.* 14. *censet. Tu autem ex pyxiacantha lycium tantum habere studeas, tamẽ* Galenus Indicum *alijs præfert:* Nos *uero in* India *non sumus, & ægre habetur. ideo illo contentus sis: quinetiam si ex rhamno syluestri parare libuerit præpara.* SE. *Vidi etiam qui ex syluestribus prunis pararent.* BRA. *Parent omnino uim stipticã habent, ut ex ipsis etiam acatiam faciant, tamen melius est rem certam habere, quum facile poßit, quàm per tot res modo huc, modo illuc uagari, uerum tamen, quod ex his prunis fit, minus adstringit.* Scito *etiam* Lycij *nomine apud quosdam authores, omne id uenire (ex quocunque sit frutice) quod uim cõstrictiuam habet, & more lycij fit, lyciũ in secundo ordine, & intenso siccum est, in actiuis qualitatibus medium secundum* Galenum, *tamen ad frigiditatẽ inclinare magis arbitror.* SE. *Sãguis draconis sequitur.* BRA. *Cur inter liquores hunc sanguinem ponis, qui potius gummi est?* SE. *Est etiam & lachryma, sed hoc nihil impediet: modo rem ipsam cognoscã.* BRA. *Esto, uerus draconis sanguis, ex serpente est, de quo* Plinius *cap.* 12. *lib.* 8. *qui ex elephantis aure totum sanguinem exhaurit, ut moriatur, postea cadens serpentem interficit: sanguis ille exiẽs* Draconis *sanguis appellatur, qui terra mixtus colligitur, & in pastillos, ac rotũdos orbes conformatur.* SE. Non *possum arbitrari nostrum draconis sanguinem ex eo genere esse.* BRA. Immo *non esse certus sis, quin & Serapio Genuensi* Pandectario, *& reliquis recentibus ansam errandi dedit. quum tamen ipse non erraret. Quippe sanguinem draconis* Serapio *describens, quem hemalocoẽ uocat, eodem modo describit. quo* Dioscorides *quar*

tam

tam sideritis speciem, & easdem proprietates illi attribuit, quas sideriti Dioscorides elargitus erat, ut nullus sit tan cæcus, qui non uideat, & Galenum adducit Serapio, ea recẽsens, quæ ab illo de siderite dicũtur, ut constet sanguinẽ draconis Serapionis non esse nostrum quo utimur. sed esse quartã speciẽ sideritis Dioscoridis, cuius succus uulnera sanat, & adstringit, quã multi millefoliũ putãt, & re uera una species est millefolij, qua rustici nostri ad boues, & equos uulneratos, sanandos utuntur. Recentes autem de sanguine draconis loquentes, de hoc serapionis & siderite Dioscoridis tractant, ac si eius succus sit sanguis draconis, ita nuncupatus, quem in officinis habetis magno errore: unum est, uestrum draconis sanguinem, sideritis succum non esse, qui etiam non est uiridis, sed esse triplicem apud uos draconis sanguinem constat. unus est in rotulas circumuolutus, qui ex pseudobolo armeno, & terra fit, res fictitia, & adulterata, quæ iam à Ferrariensibus pharmacopolis abijci cœpit, nisi pro ornanda officina appensum habeãt. Alius sanguis est cuiusdam arboris lachryma. Tertius est eiusdem arboris gũmi, in gũmi cortices arboris manifeste uidẽtur, in lachyma absunt, si gustu sentiantur, stipticitatem quandam præferunt. Hinc igitur uides draconis sanguinem, quo utimur, non esse draconis ab elephãte interfecti, nec esse sanguinem draconis serapionis, quamuis ab omnibus recentibus, ac si sanguis draconis Serapionis in usu sit, quum tamen sanguis draconis Serapionis sit quarta species sideritis apud Dioscoridem, & Galenum: Ego igitur in officina succo quartæ speciei sideritis potius habere uoluerim, quàm gũmi hoc, quod uos habetis, & herbam habere facilius est, quàm gũmi, quoniã apud nos uiret. SE. Quid est ille sanguis dra

conis

conis, qui uere sanguis est? BRA. Non'ne tibi dictum est ex sanguine draconis esse ab elephante collisi, ut Plinius lib. 33. cap. 7. scribit, qui ab antiquioribus cinabaris uocatur, ut Dioscorides etiam lib. 5. testatur. Qui autem pro cinabari minium sumunt, idest nostrum uocatum minium, (ut plures medici faciunt) pro re medica, ueneno utuntur nam cinabaris, qui est sanguis draconis, rei medicæ plurimum prodest, & nullus color magis fingit sanguinem illo, ut Plinius testatur. Nunquam hunc cinabarim uidimus uel draconis sanguinem. sed bene adulteratum, ut supra ex falso boloarmeno, uel sorbis tritis, & caprino sanguine, tamen si Dioscoridem considerabis, oculata fide deprehendes sanguinem draconis non esse cinabarim, sed duo esse distincta. Pro Plinio autem nihil impediebat, & sanguinem draconis suo tempore cinabarim appellari. SE. Id abs te scire peto, quo nomine apud antiquos gummi, hoc appelletur, quod sanguis draconis dicitur. BRA. Nõdum legi apud aliquem authorem, cuius generis gũmi sit uel ex qua arbore lachyma emanet: scimus autem ex Lybia ferri, & ex Aegypto Venetias, quid uero sit ignoramus: unum est recentes summe errare, qui hoc gummi, ac si sit sanguis draconis Serapionis accipiunt, & Dioscoridis, ac Galeni sideritis, quum tamen non esse constet: Ab omnibus eodem ferè nomine dicitur. Galli sang de dragõ ab Hispanis sangre de drago, à Germanis drachen blut, ac si sanguis draconis diceret appellatur, à Polonis smocza kyeru dicitur, temperatus est in actiuis, quãuis ab aliquibus calidus, ab alijs frigidus existimetur, & in secũdo ordine desiccat. SE. Camphora ultimum locum in his occupat. BRA. Nusquam Dioscorides, Plinius, Galenus, aut Paulus de cãphora locuti sunt, aut eam, uel à longe (quod

sciuerim)

ſciuerim)oſtenderunt. soli Arabes ipſius meminerunt,gũmi arboris eſſe certũ eſt,Serapio ex Panzor , Faſella,& alijs regionibus adduci tradit. quæ ſint iſtæ regiões,ignoramus,nomina Mauritana ſunt hæc,nõ Latina,neq; Græca.Res ipſa,ideſt camphora omnibus nota eſt,eius arbor ignota,nec à Mauris recte deſcripta,quippe nihil de folijs arboris camphoram ferentis . Serapio,aut Auicenna loquũtur.Dicũt autem illis annis maxime profluere, quũ multa tonitrua,& multa fulgura fiunt,nec proprie gummi eſt,quod exeat,ſed in intima parte arboris inuenitur, ac ſi medullæ locũ occupet.Luſitani,qui meridionale pelagus nauigarunt in Inſula Burnei camphoram inueniri tradunt,& qui in regione ſunt,gummi arboris eſſe cenſent.In regno etiam Fanſur,ut Marcus Paulus Venetus refert,optima camphora prodijt,ſorte ea pars eſt,quæ à Serapione ex ſententia Iſaac faſella nuncupatur. de hac re incertus ſum.Diſputant recentes an calida,uel frigida ſit:multi effectus ſupra caliditatem arguunt , & guſtus, odor : alij frigiditatem . hæc alias diſputanda ſunt, quia hic locus non eſt pro ambabus partibus rationes inſtruere. SE. Nullus eſt apud antiquos qui camphoræ meminerit. BRA. Nullus,niſi Aëtius , qui multo poſterior eſt . Hic camphoræ meminit ſub nomine caphura. In eo unguento,quod ſalca appellat,pro axillis,& auribus fœminarum compoſitio,quãuis in codicibus qui paſſim habentur abſit . ut primo libro uidere licet. SE. Habet'ne eundem colorem album perpetuo? BRA. Nõ,prius enim maculis rubris inſignitur,poſtea calore ſolis,aut ui ignis dealbeſcit.Galli camphre,Hiſpani camphora , Germani camphur appellant. Tu cætera uenerande ſenex proſequaris. SE. De prædenſis liquoribus expeditum eſt.gum

mi genera sequuntur. BRA. *Cur inter gummi camphoram non numerasti?* SE. *Quia an gummi esset ignorabam, quum in arborum meditullio inueniatur.* BRA. *Hoc nihil refert modo rē ipsam habeas. Venetijs emes, quoniam ab his mōtibus, immo, & à tota Italia abest. sed prius quàm ad gummi genera ueniamus, prandere opportunius erit.* SE. *Non ab re dictum est, quia interim solis æstum euitabimus.* HER. *Hodie ad hāc usque horam uiribus uigeo, nam paucißimis in hoc mōte occupatus fui, sed omnia ferè aliunde quæsita sunt.* SE. *Deinceps (ut arbitror) modice occupaberis, quoniam pauca admodum colligemus, sed collecta emere opus erit. Ad litus illius riuuli descendamus, ubi quiescemus, & per compendium in aliquam uillam peruenire poterimus.* BRA. *Vt lubet fiet.* SE. *Intereūdum ut uia breuior uideatur, quibus moribus, Illustrißimi Ducis nostri Alphonsi filij insigniantur edoceas.* BRA. *Nihil unquam mihi gratius contingit, quàm quum trium horum maximorum luminum, & splendentium astrorum sermo inciderit, quos intus & in cute noui. Hercules primogenitus adeo cumulatißimis uirtutibus pollet, ut nullus in Italia non modo princeps, sed nec religiosus eum æquet, in publicis rebus gerendis dexterrimus, in armis fortißimus, in literis adeo egregius, ut ex insperato probatißima carmina effundat. Nō potui diu cogitans aliquid culpatum in Hercule inuenire. Hippolytus secundo genitus eum apprime imitatur, qui nō Archiepiscopali infula, sed triplici corona dignus est. Hic uniuersam Cyclopædiam, & omnes bonas artes adeo nactus est, ut nihil ad uirtutum cumulum desit. At quomodo potuit Franciscus tertio genitus tantorum fratrum exemplo non contendere, ut æquet? quos nullus,*

qui

qui homo ſit ſuperare poteſt? SE. O felicem patrem. BRA. Certus ſum in uniuerſo orbe patrem non eſſe, qui filios adeo probos, adeo obſequentes, adeo non moroſos nactus ſit, nullus unquam ciuis horum cauſa conqueſtus eſt, quum cæteri Principes his ætatibus ſtupris, & aliorum diuitijs capiendis incumbant. Dijs equidem comparandi ſunt hi tres uirtutum ſoles, & tria inclyta ſydera. Nihil aliud cordi habent, quàm omnibus inſeruire, et neminem lædere. ſed iam ad ſtatutum locum peruenimus: in hac uirenti herba ad ſpecus umbram ſedeamus.

DE GVMMI, QVORVM VSVS EST *apud pharmacopolas.*

SE. Inſtitutum opus progredi expedit. Thus primum locum inter gummi habet, ſed quum de ipſo inter cortices egerimus, ad ſecundum, quod myrrha eſt ueniamus. BRA. Myrrha qua utimur, à nonnullis bdelium eſſe creditur. SE. Quomodo bdelium, quum longe diſtincta ſint myrrha, & bdelium? BRA. Scito gũmi quo utimur myrrha nuncupatum, myrrhã non eſſe. SE. O mira res, myrrha non eſt myrrha. BRA. Eſto bono animo, in myrrha oſtendam quod in alijs pluribus feci, eam non eſſe, ſaltem optimam, quæ ab antiquis pingeretur. Nam Dioſcorides myrrham ex omni parte cõcolorem eſſe oſtendit, & odoratam, & quæ confracta candidas unguium modo, leueſq; uenas intus habeat, amaro guſtu, acri. Hæc in noſtra myrrha non ſunt. Nos Venetijs ueram myrrham uidimus, talem qualem à Dioſcoride pictam audiuiſti, ſed raram, id tamen ſcito odorem quidem ſuauem, non ſuauiſsimum habuiſſe, ſed potius erat cum quadam grauitate. Adde in no

stra myrrha, quandoque ueræ myrrhæ frustula inueniri subuiridia, & quæ unguium modo candorem habent, ex Troglodytica regione, quæ est Africæ pars, probatissima myrrha Alexandriam fertur. myrrha quam nos habemus ea est, quæ secundo loco à Dioscoride scribitur, & caucalis uocatur, quæ cum tertia specie partim mixta est, quæ ergasine dicitur, minus matura est, et colore atro. hæ duæ species mixtæ sunt quæ bdelij odorē habent. Alexandriā feruntur, postea Venetias, quum emes optimā habere cures, aut saltem quæ plurimas partes candidas ut ungues habere studeas. est autē Arabicæ arboris lachryma. corticem plaga laxant, exit spuma, quam colligunt, & circa corticem addensatur, tanquam gummi reliquum, sed non myrrha solum contentus sis, immo, & stactem. i. recentis myrrhæ expressam pinguitudinem habere studeas. SE. Quid stacte est? BRA. Plures styracem liquidam à nobis uocatam stacte arbitrati sunt. Nempè myrrhæ odorem ferè habet, & cætera quæ à Dioscoride numerari uidentur, an uero sit infra edocebimus, si quandoque ueram myrrham assequi contingat, quæ colorem subuiridem habeat, & mordax sit, ac perlucida odorata, aspero situ obducta, recens, leuis, ex omni parte concolor, & quæ confracta candidas ungium modo, leuesq; uenas habeat, hanc leui expressione exprimes. Quod exibit stacte erit, quamuis ex recenti magis fieri conueniet, tamen & stactem habebis, & pro eo stacte uti poteris. Hi uero summe aberrant, qui stacte speciem myrrhæ contra alias distinctam arbitrantur. SE. Huius sententiæ semper fui. BRA. Nunc sententiam muta admonitus, quoniam ex omni specie myrrhæ stactem fieri nihil impedit, præsertim ex pinguissima, ut ea est quæ pediasimos à Dioscoride

ride

ride nuncupatur: Re uera stacte ea res est, quam nos liquidam styracem uocamus. SE. Gaudeo nouisse liquidam styracem stacte esse. BRA. Compertius scies, quum de styrace sermo inciderit. SE. Incidat nunc. BRA. Fiat odoratus hic liquor, qui styrax liquida nuncupatur, nomen hoc habet, quia ab Arabibus impositum est, quos recentes postea secuti sunt. Nunc autem speculemur, quam rem Arabes styracē liquidā appellent, tunc statim deprehensum erit, quid sit liquida styrax. Serapio in capite styracis, quum eam edocuisset, quam calamitam nuncupamus, liquidam styracem pertractat, & Dioscoridem in hac re adducit, ita (secundum ipsum) dicentem. styrax liquida est pinguedo myrrhæ recentis, & extrahitur à myrrha, quia terunt eam, cum aqua pauca, & premunt cum torno, & est boni odoris, & ingreditur in confectionibus, & sola etiam sine aliqua admixtione est bona, & melior ex ea est, quæ non habet admixtionem alicuius olei, & purum ex ea est, multæ uirtutis, & calefacit, & est calefactio similis calefactioni myrrhæ, & oleorum calidorum siccorum: si modo legas, quæ à Dioscoride de stacte dicantur, manifeste deprehendes styracem liquidam Serapionis, esse Dioscoridis stacte, quoniam idem oculata fide Dioscorides de sua stacte dicit, quæ à Serapione de styrace dicuntur, inquit enim Dioscorides: Est pinguitudo recentis myrrhæ: tunditur hæc cum modica aqua, dein per machinas aqua foras exprimitur. Odoratissima hæc, & preciosa impendio est, & per se unguentum facit sine oleo, stactem uocatum. Commendatissima uero, quæ impromiscua & libera oleo sit, & quæ minima portione plurimum calefaciat, similemq; uim, tum myrrhæ, tum unguentorum excalefactorijs obtinent. si hæc spe-

 culari

culari tentes. Serapionis liquidam styracem, stacten Dioscoridis esse deprehendes, nisi sponte hallucinari uolueris. Quod si in aliquibus diuersi uideantur, id potius est interpretis Serapionis causa, qui etiam quum styrax liquida interpretatus est. Stacte interpretari debuisset, ita enim Græce, & Latine dicitur, Storax uero liquida (ut interpres apud Serapionem utitur) nec latinum, nec græcum nomen est. Myrrham Galli mierre, Hispani, & Germani ut nos ferè illi myra, hi myrrhe dicunt. SE. Liquidam ergo styracem stacte esse iudicas? BRA. Equidem iudico, sed ex myrrha quam habemus factam: non ex exquisita myrrha. calefacit secundo ordine, & myrrha, & stacte, & exiccat. Verum stacte hæc agit uehementius, sicuti autem myrrha quæ passim uenditur, myrrha non est, ita nec styrax liquida uerum stacte. SE. Euphorbium sequitur. BRA. An id sit euphorbium quod habemus, non sum anceps, tamen antiquum quandoque emitis, quod eo ardore caret, quem illi authores tribuunt. Quippe inquiunt colligentes ualde timere, adeo ut supra contum utriculo hædi ligato succum arboris ferulaceæ à longe colligant. Gustaui ego non semel antiquum euphorbium, mirum illum ardorem non persensi, nec hi persensere quibus gustandum tribui. Nonnunquam in recens magno meo periculo incidi. nam per integram diem intensissimum in ore ardorem habui, qui nec frigidissimis aquis extingui posset. Venetijs habetur, sed Genuæ magis. In Aphrica nascitur, monte Tmolo in Mauritaniæ parte, è regione Hispaniæ. facile est Hispanum illuc nauigare, nisi Mauritanæ naues pyratarum interturbarent, & intercluderent iter. Tamen Imperator Carolus multa nunc in Aphrica possidet, & Deo duce possidebit

bit

bit Mediterraneum mare,ea parte qua Tyrrhenum dicitur,ab infidelum incursionibus liberans.Genuæ igitur & translucidum , ac perspicuum emas . adulteratum frequentissime uenditur.nomen habuit ab Euphorbio Antonij musæ fratre eius inuentore,qui Iubæ regi Mauritaniæ inseruiebat,duo celebratissimi fratres in nostra inclyta , & salutari arte fuere. Euphorbius , & Antonius Musa,cuius nomen patri meo Francisco Brasauolo imitari placuit , quum ab unda baptismatis attollerer , sed utinam doctrina non solum nomine,antiquum illum Antonium Musam Augusti medicum imitarer. Ita etiam ab Hispanis nominatur euphorbio,à Gallis euphorbe , cum causticæ sit uirtutis,calidum,& siccum erit ordine quarto. SE. Serapium sequitur. BRA. Sagapenũ dicas. SE. De nominibus cura non sit , deinceps sagapenum dicemus. BRA. Est succus fructicis ferulacei , ut Dioscorides inquit,in Media nascitur,Alexandriam Aegypti portatur,quæ uniuersale emporium est illarum partium,inde Venetias.foris translucidum esse debet,colore ruffo, & quum frangitur candido intus,odore medio inter laserpitij succum,& galbanum,gustu acre. Quæ omnia indicia in nostro uocato Sagapeno sunt. Plinius capite decimo octauo uigesimi libri in Italia nasci asseuerat. Vbi inquit Sagapenum , quod apud nos gignitur in totum transmarino alienatur , etiam libro decimo nono, capite septimo . In hortis seri dicit ad rem medicam solum. At nec arborem,nec folia. Plinius docet,ac si de re nota loqueretur. In Apulia nunc prouenit. tamen quum modum habeamus Venetias per Alexandriæ nauigationem allatum, hoc potius emerem . Est enim uerum Sagapenum illud,& efficacius,quod ut inquit Mesue,porri odo

rem habet, qui eo loco à quodam excellenti uiro immerito reprehenditur, dicente quasi per calumniam unde ipse odorauerit. At si doctißimus hic uir, ut nos fecimus gustasset porri, & fere allij odorem persensisset, quem à mane ad uesperam etiam prandens in ore habui, ideo non est quisquam temere culpandus præsertim in res gustus, priusquam gustu tentatum sit, calidum est ordine tertio, & siccum in secundo. SE. Opoponacum sequitur.

BRA. Et nunc opoponax dicere oportet, succus est herbæ, quæ Panaces Heraclion dicitur. Est autem prima in ordine Panacum Dioscoridis. Dicitur autem opoponax, idest succus panacis. In Boetia, & Archadia, præsertim Phocis habetur, & in Syria, ex Syria Alexandriam, & postea Venetias affertur. Olitorum industria magna copia parari potest. Hoc unũ est ex his quæ Illustrißimus Dux noster, ex Syria, uel Archadia habere curabit. Tamen in Italia, & in monte Apennino nascitur, & in Gargano Apuliæ, folia habet ficulnea quinque partita, & per ambitũ lancinata, quæ in terra iacent, & insigniter uiridia sunt. Caulem ferulaceũ habet, & altißimũ, lanuginẽ candidã habentem, & folia circũ se minuscula umbraculũ substinentẽ, ut anethũ flore luteo, semine odorato, feruentiq; in ore, pluribus ab uno principio radicibus cãdidis, graucolẽtibus, multi, falsiq; corticis. In Apulia nascitur ubertim, et in Apẽnino mõte uarijs locis: nos supra Mutinẽses alpes uidimus, & in horto fratrum sancti Hieronymi Ferrariæ. non emerem Venetijs, nisi ob id quod ex calidioribus, & siccioribus partibus uenit. Curarẽ tamẽ, ut ex Apulia radice incisa, lachryma exciperetur: substratis enim eius folijs in terra excauata colligitur. Quũ autem opoponacem probare institueris, amarißimum saporem

porem habere debet, interius cãdidum, & subruffum, extra luteum, leuem, pinguem, friabilem, tenerum. Nostrum quod habemus aliqua amaritudine insignitur, non tamen amarißimum est, & graui odore sentitur: propterea cũ nostro aliquid mixtum arbitror, quod intensam amaritudinem tollit, uel opus est quantitatem notatu dignam mãdere, si intensa amaritudo sentiri debeat, in reliquis notis penitus conuenit. SE. *In hac re quid Arabes sentiũt?* BRA. *Serapio cum Dioscoride eodem modo scribit. Mesue autem tria Panacis genera confundit, Heraclium, Asclepium, & Chironium, id docere uolens ex quo opoponax fiat. Cur autem opoponacem inter gummi genera posuisti? quum potius condensatorũ succorum ordinem ingredi debuisset?* SE. *Ne curæ sit, modo ex his simplicibus quibus in officinis utimur, nullum omittatur.* BRA. *À Gallis opoponac uocatur.* SE. *Ammoniacũ sequitur.* BRA. *Et hic succus est ex frutice eiusdẽ nominis sumpto, quãuis nomen hoc ammoniacũ, & genus salis, & succi significet, ambo in Libya apud Cyrenẽ inueniuntur, sed ammoniacũ appellatur, quia in arenosa Libya, apud Iouis Ammonis templum prodijt. Sal ex terra sumitur, gutta (ita enim Romani succũ illius arboris uocant) ammoniaca ex arbore manat. Miror ego de Paulo Aegineta, qui inter odoramẽta numerauerit. unde colligere potes, quæ apud ipsos pro odoribus existimarentur. Nam & Dioscorides ammoniacũ thymiama uocat, tamen eius odor grauis est, nec uerum ammoniacũ nobis deest, quamuis antiquũ forte sit, & quandoque adulteratum. Venetijs emes, quamuis Genuæ melius esset, quoniam ex Aphrica mercatores Genuam facillime transeunt, tamen & Alexandriam portant, ac Venetias. Ita probatur, quod est maxime coloratum*

tum,non lignosum,sine arenis,& ad Thuris masculi similitudine in grumos concreuit, quale non semper esse cõstat purum,prædensum,liberum sordibus,& odore Castorei,gustus amarulenti:nescio cur Galenus odorem coriandri habere fateatur,& cur Paulus ad odorẽ ammoniacũ accẽdat,forte diuersum est id Pauli,& Galeni,ab eo Dioscoridis,qui grauem odorem,ut castoreũ habet, & quod de re diuersa loquantur,hoc signum est:quia in simpliciũ medicamentorum facultatibus,ea dicunt, quæ à Dioscoride in ammoniaco tractantur:ammoniacũ supra descriptũ trausma nuncupatur. est aliud terrosum, & lapidosum, quod phyrama dicitur. Nos frequenter hoc habemus,nec primum deest quandoque ab Hispanis,ut nos uulgo facimus:à Gallis armonia uocatur. Apud Auerroim calidum est in prima parte tertij ordinis,& siccum in primo. Auicenna autem calidum in fine tertij ordinis censet. Auerroi potius fauere statuimus. SE. Sarcocolla occurrit.

BRA. À glutinandis carnibus nomen inuenit. Gummi est arboris in Perside Thuris Pollini simile colore subruffo, gustanti amarum. si nostram sarcocollam gustaueris,nonnulla granula amara sunt, alia minime,ut quæ à Dioscoride dicuntur,uera esse deprehendam: adulterari scilicet gummi permixto. Nam pura grana amaritudine afficiuntur,impura nequaquam,nec illos probo,qui sarcocollam, esse inficiantur:quia pollini similis non sit. Immo pro maiori parte,adeo tenuia grana sunt,ut Pollinem imitari uideantur. quamuis aliqua etiam crassiora sint, quæ tamen non impediunt esse pollini similia. Quod autem à Mesue corpora impinguare dicitur, & à quodã meo præceptore reprehẽditur:quia si soluit,impinguare non potest, nõ est dignum reprehẽsione,quoniam multa soluere possunt,

quæ impedimenta remouendo,impinguationis cauſa fiũt, qualitatem quandam uentriculo condonantes , præter id quod euacuent,qua facilius digerere poßint,& in nutriti ſubſtantiam cibum uertere. Quam ob rem idem euacuare,& nutrire poteſt,ideſt cauſa eẽ cur nutriatur corpus. SE. Videtur Meſue uoluiſſe ex ſe corpus impinguare,et non ab euentu . quia inquit eius uſum corpora impinguare,neq; Dioſcorides hoc dixit. BRA. Meſue excuſandus eſt,ut nos diximus,neque opus eſt omnia à Dioſcoride dici, ſi excuſatio placet illam accipito,ſin minus tu exquiſitorem inuenito. À Gallis etiã ſarcocolle nuncupantur. SE. Styrax utriuſque generis ſequitur. BRA. Intelligisne liquidam,& quam ſiccam uocamus ? SE. Nihil aliud. BRA. Liquidam eſſe Dioſcoridis ſtactem , ideſt primum myrrhæ expreſſum ſupra edocuimus , tamen paruam amaritudinem habet,ut ego adulterari putarim,unde myrrhæ fragrãtia noſci poſſet,ſi purum ſtactem haberemus. Arabes decipiuntur,qui ex eadem arbore ſtyracem liquidam,& calamitim haberi iudicant, immo addũt huius arboris fructum in magnitudine auellanæ eſſe, & exprimi, quod exprimitur ſtyrax liquida eſt:cortices ſtyrax ſicca ſunt. Hæc autem arbor gummi habet,quod eſt ambra.hæc Serapio ex ſententia Iſaac. hoc errare fecit Pandectariũ ut tres ſtyracis ſpecies eſſe arbitraretur,liquidam,ſiccã, & calamitim. Re uera id uocabulum ſtyrax ſolum eam ſignificat,quæ à probis authoribus calamitis nuncupatur, de qua Serapio poſt prædicta ex ſententia Dioſcoridis tractat. De fructus expreßione nihil apud authores fide dignos ſcriptũ reperi,unde uel de alia re tractabat Iſaac quàm de ſtyrace,uel ut contingebat locutus eſt . Verum quia ſub eo uocabulo ſcripſerat Serapio ad caput miha,

ideſt

ideſt ſtyracis duxerat. Styrax autem Iſaac alia res eſt, nunc igitur de Dioſcoridis, Plinij, Galeni, & aliorum bonorum authorum ſtyrace loquemur. Hi omnino diſtinctũ ſtyracem habent, non perliquidum, & ſiccũ, ſed per proprias quaſdam qualitates, ut hic à calamo, calamitis, ille chrymatias, alter aſpros, ideſt albicãs nũcuparetur. Hæc autem nomina in diuerſis antiquorũ compoſitionibus inueniuntur, nec ſpecies euariant. Ad rem uero accedẽtes, ſtyrax lachryma eſt arboris cotoneo malo ſimilis, ex Cilicia Alexandriam, & Venetias defertur, quãquam, & in alijs pluribus locis naſcatur. Nam ex Cypro, & Creta habetur, ſed ex Creta illaudabilis, quem frequentius habemus. Non eſt opus dubitare, an uerum ſtyracem habeamus, quia uerißimus eſt, & ſi ineptior ſit, habet ſimul ſcobem ſui ligni, globi quãdoque in modum gummi inter ſtyracis maſſas inueniuntur, ſi optimum ſtyracem quæris, eum accipe, qui ruffus ſit reſinoſus, pinguis, & grumos habet albicantes, & quæ diu ſui coloris bonitatem ſeruet, & quum ſubigitur lentorem mellis habeat, talem Venetijs eme, & præſertim in quo lachrymæ gũmi ſimiles appareant. Nec ſtyracinum unguentum prætereũdum eſſet, ſi haberi poſſet, in Syria fit. ſingulis annis Venetorum nauis, quæ Hieruſalemi littora appellit, in Syriã peruenit. Fuliginem eo modo para quo Dioſcorides Thuris Fuliginem fieri docuit. Hiſpani ſtoraque nuncupant. calidus eſt, in ſecundo ordine, & ſiccus in primo. SE. Vtraque pix ſequitur. BRA. Per utranque picem quid intelligis? SE. Hiſpanam uocatam, & naualem, dubitas etiã in picibus? BRA. Maxime dubitabam, quoniam pix ſicca, & liquida inueniuntur, pix naualis notißima eſt, ex pinu, & picea fit, pinguißimis harum arborũ aſſulis acceptis reſina ple-

nis

nis in struem congeruntur, & igne apposito in fictitium canalem fluit resina accensa, quæ extincta pix uocatur, & nigredinem ab igne acquisiuit, à nobis pix naualis, ab antiquis liquida nuncupatur, ad differẽtiam alterius per alteram cocturam factæ: quæ pix sicca dicitur. ambarum usus est in officinis. SE. *Et ambas habeo ex Germanicis partibus, ad nos conuehuntur, præsertim ex Tridento.* BRA. *Immo, & ex plurimis Italicis.* SE. *Pix igitur ex resina fit?* BRA. *Equidẽ ex resina in Tæda occulta, qua exusta, pix exudat. Nec putes ex his duobus tantum picẽ fieri, quoniã in Syria terebinthi tæda exusta fit, quia ibi pinus abest, aut rara inuenitur, si etiam ex picea fiat maior pars ex pinu est, laudatur pix nitida, leuis, pura, etiam ex cedro in Græcia habetur, præter duo picis genera liquida, & sicca quam palimpissam dicunt, quæ, & ipsa in aridum, & uiscosum diuiditur. Oleum picinum habere studeas, quod fit parte aquosa picis separata, id enatat, ut in lacte serum. Dum pix coquitur, puris uelleribus excipitur supra eius halitum expãsis, & quũ permaduerint in uas expreßis, & hoc semper fit dum pix coquitur. Nec picis fuliginem in tua officina omittas, quam eo modo facias, ut primo lib. Dioscorides tradit: nec zopissam despexeris, quæ est derasa à nauibus resina cum cera. quam ob rem pix ex resina fit, idest pingui teda combusta, resina plena.* SE. *De pice Hispana prosequaris.* BRA. *Hæc, & pix Græca uocatur, qua picata uina fiũt: accepto enim pugillo, uel duobus, aut tribus huius picis in uas uino plenum proijciunt, ne marcescat, & uinum potẽtius euadat: hinc Græca uina ferè omnia, quæ ad nos feruntur (cretico dempto, Maluasiam nuncupato) picis odorem habent, & ea præsertim, quæ Romania uulgo dicuntur.*

tur. Est autem res fictitia, nã ex omni resina fit, sed præsertim ex pini resina, quoties per decoctionẽ ad id ducitur, ut in puluerem redigi poßit. Hinc est quod pix Hispana uarios colores habet, quandoque fuluum, & aureum, si ex laricis resina fiat, quandoque albicans, si ex pini, uel piceæ resina. At nomen picis sortita est, quum sit resina coacta, propter cocturam quam non habet resina, sed spõte à natura prosilijt: unde pices per ignem fiunt. Resinæ sponte ex suis arboribus prodeunt, Hispana nuncupatur, quoniam ex Galliæ, & Hispaniæ montibus ad nos magna copia comportatur, quamuis & in Italia sit plurima eadem ratione, & Græca dicitur, quia ex Græcia affertur, & colophonia, quoniam Colophone inuehebatur. In his resinis diuersos authores comperio. Nam Plinius ex pinu, & picea siccas esse: Dioscorides autem ex omnibus arboribus resinam emittentibus, humidas, & siccas haberi tradit. Quicquid sit, nos ea tantum prosequemur, quæ in officinis habentur, aliàs determinate de his rebus tractaturi. Tu in officina Hispanam picem ex resina pini habere studeas, quãuis, & ex alijs resinis seruare nihil impediet. SE. Rem miram edocuisti, hactenus Hispanam picem gũmi alicuius arboris esse arbitrabar. BRA. Deinceps intelliges Hispanam picem per decoctionem resinæ, ut in puluerem redigi poßit fieri, & longe à gummi differre. SE. Quibus notis resina à gummi differt? BRA. Resina oleagina quodammodo est gummi aqueum, quod experiẽtia maxime demonstrat. quoniam resina igne accenditur, gummi crepitat. Difficile præterea est, resinas & aquam miscere, facillimum gummi & aquam, difficillimum gummi & oleum, facillimum resinam & oleum. Quæ experientia resinæ naturam oleaginam, Gummi uero aqueam

esse

esse ostendit. ideo nostri temporis inepti quidam medici rerum naturas nescientes in uarijs compositionibus gummi, & oleum miscent, resinas & aquam, quæ non se compatiuntur, magno pharmacopolarum clamore. SE. Tamẽ miscentur. BRA. Miscentur quidem, sed difficulter. SE. O quoties hoc mihi accidisse memoria habeo, de resina autem prosequaris. BRA. Dictum iam est te pini resinam seruare oportere, de qua Plinius de pinu minimum colligi sentit, quum tamen experientia oppositum ostẽdat, forte quia Plinius à Theophrasto sumit, apud Theophrastũ uero pinus larix est, ita ipse acceperit. Omniũ uero optima terebinthina est. SE. Tu ergo inter resinas terebinthinam numeras? BRA. Equidem, & ab authoribus inter resinas numeratur. At ne putes illam esse terebinthinam quæ pro terebinthina passim uenditur, flaui coloris, quia ex larice resina est, ideo laricina potius nuncupari deberet: unde Veneti, & plures Italiæ gentes, non terebinthinã, sed larga, quasi lorica ex larice uocãt. Nã habet mellis attici colorem, terebinthina autẽ alba esse debet, perlucida, in modum coloris uitri cærulea, odorata, sed potissimum odore terebinthi. Ex Cipro Venetias affertur nũc uera terebinthina: aliàs laricina pro terebinthina utebãtur, nunc error detectus est, & ueram terebinthinam portant, sed ut commodius uehatur, eam coquunt, & in massas rotundas, ueluti placentas congerũt. SE. Vt conijcere possum ex his, quæ dixisti, pix terebinthi nuncupari potest. quoniam per cocturam fit, ut aliæ pices. BRA. Poterit, & nihil impediet, nisi diuersam eẽ terebinthinæ cocturam ab alijs picibus dicamus, quoniam terebinthina in aqua, aliæ siccæ, & per assationẽ potius dẽsantur. Chiam summe laudat Galenus in lib. de Antidotis primo: Andro

machus

machus libycam præfert. Satis est nos Ciprignam habere: Venetijs etiam nō coctā uidimus, quæ duriciem quādam præ se ferebat. SE. Gaudeo meis temporibus inuentam esse terebinthinam, idest ad nos allatam, quæ prius non afferebatur. BRA. Ex Aphrica etiam, & cycladibus insulis Venetias comportatur. uerum ex multis alijs locis & multis arboribus resina fit. SE. Masticem quid esse arbitraris? BRA. Inter resinas à Dioscoride numeratur, & ita sentiunt Theophrastus, & Plinius: quippe resina lentisci est. SE. Legi medicos quosdam recētes, qui suo quodam libello Auicēnam reprehendunt, qui ignorauerit lentiscum esse arborem ferentem masticem. BRA. Et si Auicenna de Romano mastice loqui uideatur, quem in rerum natura non esse recentes quidam scioli profitētur, nos ex opposito Romanum masticem, idest Italum esse scimus, unde Plinius, præter Chium Italum etiam scribit, & Cicero rusticæ plebi necessarium esse pro uarijs temporibus cognoscendis tradit. Circunferuntur de hac arbore Ciceronis uersiculi.

Iam uero semper uiridis, semperq; grauata
Lentiscus triplici solita est grandescere fœtu.
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi:

Vt apud Romanos in honore fuisse lentiscum deprehendatur. Recentes ergo immerito Auicennā reprehendunt, qui de Romano mastice loquatur, immo, et si non dicat arborem ferentem masticem lentiscum esse, id tamen innuit, quum inquit ex ea fieri dentifricia. In hoc autem erat apud antiquos laudatissima lentiscus, & in hoc opere dentiscalpio à Dioscoride collaudatur: immo Auicenna idem cum Dioscoride dicit in lentisco, quod arbor in usu acatiæ, & hypocysthidis respondet, quamuis ille uo-

cabulo

cabulo barbaro utatur, herisistides. Vnde de his recentibus apprime mirandum, qui ita temere sine culpa Arabes reprehendant, & Mauritanos accusent, qui è sua lingua in latinam peruerse interpretati sunt, forte si tot haberent Mauritani literarum sectatores, quot Græci, mendis carere in pluribus perciperemus. Adest in agro Romano & Neapolitano lẽtisci maxima copia. SE. *Habet'ne duritiem illam mastiche quum in arbore sumitur?* BRA. *Non, sed resinæ duritiem solum, postea magis ac magis exiccatur.* SE. *Resinarum ordinem secundũ perfectionem, & imperfectionem libenter addiscerẽ.* BRA. *Id libẽter agam de his præsertim, de quibus antiqui meminere. Inter alios Galenus libro de simplicium medicamentorum facultatibus octauo, per adstrictionem resinas scribens, hunc ordinem obseruat.*

Prima lentiscina. i. mastiche.
Secunda Terebinthina
Tertia Strobilina
Quarta Pinea
Quinta Picea
Sexta Abietina
Septima Aliæ.

In digerendo Resinarum ordo.

Prima Terebinthina
Secunda Lentiscina
Tertia Aliæ. Quæ parum differunt in maiori, aut minori digerendi actione.

In abstergendo Resinarum ordo.

Prima Terebinthina
secunda Aliæ. Quæ non differunt in abstergendo sensibili aliqua differentia.

Tertia Lentiſcina, Quæ minus alijs abſtergit.

In attrahendo Reſinarum ordo.

Prima Terebinthina
Secunda Aliæ, Quæ in attrahendo eadem ui inſigniũtur.
Tertia Lentiſcina, quæ cæteris minus attrahit.

In emolliendo Reſinarum ordo.

Prima Terebithina
Secunda Lentiſcina
Tertia Cypariſsina
Quarta Aliæ. Quæ æquo modo molliunt, quanquam & exiccandi uim quandam habeant, & nonnullis in emolliẽdo quandoque uti non debeamus. Poſſemus, & ſecundum acrimoniam eas comparare, ſed Dioſcorides nos uocat, qui omnes reſinas alio ordine diſponit, abſolutam perfectionem reſinarum conſiderans, quæ in hunc ordinem diſponi poſſunt.

Prima Terebinthina
Secunda Lentiſcina
Tertia Picea
Quarta Abiegna
Quinta Strobilina
Sexta Pinea.

Venetijs pro officina tua, ueram terebinthinam, & maſtichem emere poteris. Et præter hæc, ex omni reſina fuliginem para, ut Dioſcorides primo libro ſcriptum reliquit, & ad medicos uſus ſeruas. SE. Sunt'ne aliæ reſinæ? nam tu in exarandis Galeni ordinibus cypariſsinæ meminiſti? BRA. Immo & acerna, uel zigia reperitur. Eſt autem tertium genus aceris zigia, & multæ aliæ ex uarijs arboribus, ſed quæ in uſu potiſsimum ſunt ex prædictis fluunt. SE. Vnum ſolum aduerto, quum reſinam abſolu-

te dicimus, illam Pini intelligimus, quam Rasa, nulla determinatione addita uocamus. BRA. Ita usus fecit, nam & si apud antiquos resinam inueniamus, Terebinthinam ob excellentiam intelligere oportet, nisi alioqui appellare consueuissent, ut in nostro usu est. nunc reliqua prosequaris. SE. Oro ne aliarum gentium nomina prætereas. BRA. Id libenter agam. Pix à Gallis Pois, ab Hispanis Pez, à Germanis bech, à Polonis smola nuncupatur. Masticem uero Galli mastic. Hispani ex Lusitania almezaga uocant, & Galli etiam ut nos feré, & Hispani, ac Germani terebinthinam uocant, nam primi terebinthine, alij termentina, tertij terbentim proferunt. A Polonis uero modrzeuioua ziuicza nuncupatur. SE. Arbitror te obliuioni mandasse, harum picium & resinarum qualitates referre. BRA. Id nunc efficiam, Galenus octauo de simplicium medicamentorum facultatibus, picem siccam inquit excalefacere, & exiccare ordine secundo, & plus desiccare quàm excalefacere, unde in medio secundi ordinis calefacit, in fine exiccat. At humida plus calefacit, quàm exiccet. nam est in medio secundi ordinis calida, & in prima parte sicca. Auerrois quinto collectionum, inquit esse calidam, & siccam ordine tertio. Arbitror mendosum esse Auerrois codicem, & legendum ordine secundo, quia in reliquis Galeni uerba egregie refert. Mastiche & ipsa secundum Galenum calefacit, & exiccat ordine secundo, Auerrois à Galeno dissentit, inquiens in secundo calidam esse mastichem, & in tertio siccam: Galeno potius inhærendum. terebinthina & ipsa, in secundo ordine calida, & sicca existimatur. SE. Gummi arabicum sequitur. BRA. Gummi genera tot esse, quot sunt arbores, è quibus manant authores testantur,

ſed hoc genus, quod Arabicum nominamus, & ab aliquibus Babylonicum, ab alijs Sarracenicum dicitur, à nullo antiquo authore particulari nomine donatur, quum uero hoc nomen potius ſit ab Arabibus inuentum, quàm Græcis, gummi arabicum, ideo ab Arabibus petendum eſt & ex ipſis quid ſit inueniendum. Serapio gummi arabicum ex arbore acatiæ manare dicit, & Dioſcorides libro primo ex arbore acatiæ gummi colligi ſcribit, aptum ad ſpiſſandum, refrigerandumq́;, quod ex ſpina fieri monet. Vnde Plinius capite undecimo 13. libri. Optimum gummi docens, ex ſpina Aegyptia eſſe inquit. Acatia uero eſt Aegyptia ſpina, ut à Dioſcoride docemur. Eſt autem uermiculatum, colore glauco, purum, ſine cortice (.s. arboris non ipſius: multi quidem decepti ſunt gummi corticem habere arbitrantes) dentibus adhærens. Sed Græci nullum habent peculiare nomen, quo ipſum indicent, niſi Arabico utamur, tamen ex ſpina gummi, uel acatiæ gummi dicunt. SE. Noſtrum gummi glaucum eſſe non uidetur. BRA. Immo quãdoq; Glauci coloris uidi, quandoque albi, quandoque aurei. In cauſa eſt arborum diuerſitas, à quibus educitur. nam ex una arbore non ſumitur gummi noſtrum, ſed ex pluribus, propter id diuerſos colores, & diuerſas proprietates habet. Spina autem illa, quæ acatiam facit. etiam in Arabia naſcitur, hinc nomen ſortitum eſt, gummi arabicum. Babylonicum uero quia circa Babyloniam Aegypti concreſcit. At Sarracenicum dicitur, quia uulgus noſtrum infideles, & præſertim Mauritanos Sarracenos appellare ſolet. propterea quod ex Aphricæ parte. & Mauritania uenit Sarracenicum uocant, ut hoc gummi, quod ſarracenicum dicitur, quia ex Aphrica etiam conuehatur. Latine gummi acatiæ, aut

gummi

gummi Aegyptiæ ſpinæ dici deberet. Verum aliarum arborum gummi mixta ſunt, ideo uarij colores in ipſo cernuntur. SE. Quarum arborum? BRA. Amygdalarum amararum, ceraſorum, prunorum, uitium, olearum, ulmi. SE. Habent'ne diuerſas uires huius gūmi genera? BRA. Habent, & unum alio deterius eſt. SE. Niſi ægre tuleris optarim, ut quendam ordinem perfectionis, & imperfectionis edoceres. BRA. Id libenter agam, à pefrectiori exordiens, & mox alia ſecundum uires ſcribentur.

Primo. Gummi arabicum ex Aegyptia ſpina.
Secundo. Ex Amygdalis amaris
Tertio. Ex Ceraſo
Quarto. Ex Pruno.
Quinto. Ex fructibus
Sexto. Ex Vlmo.

Quum alia ſint gummi genera, penes ordinem prædictum perfectionis & imperfectionis, eorum firmam experientiam & ſtatum nondum habeo, ideo ad aliud tempus pertractare differam, præſertim quia ad nonnulla priuatim ualent, ut eſt gummi ex uitibus, quod priuatim infantium ulceribus aptiſsimum eſt, & olearum priuatim dentium doloribus ſuccurrit. Nuces quoque ſuum gummi habent, quod eodem modo ſicut alia ex trunco emanat.

Apud Arabes electuarium fit, quod de cineribus uocant, apud Auicēnam præſertim, in quod gummi nucis intrat. Gummi arabicum exiccat ordine primo ſecundum recentes, immo ad ſecundum peruenit, & infrigidat ordine primo, tamen Auicenna iudicat omnes gummi ſpecies eſſe calidas, & Auerrois, charabē excipit, & re uera gummi arabicum potius calidum ordine primo quàm frigidum eſſe cenſerem, tamen è diuerſarum partium Vene-

tias affertur, ex Cephalonia, à Polonis dicitur Gummi arabskie. SE. Non ne & dragagantum inter gummi species numeratur? BRA. Naturam gummi habere Dioscorides prodidit. proprie autem gummi non est, quamuis recentes gummi dragaganti appellent. Est autem tragacantha (ut recte loquar) radix lata, & surculosa, supra terram eminens, e qua rami humiles, firmi, late diffusi, folio numeroso, tenui pusillo, intercurrentibus spinis, frõde sua contectis, & candidis, ualidis, subrectis. de qua tertio libro Dioscorides agit. Ex hac radice incisa succus emanat, qui in lachrymam coalescit, hic etiam succus tragacantha nuncupatur. Recentes uocabulum corrupere, et dragantum, uel dragagantum dicunt. Conglutinat ut gũmi, antiqui in Creta solum nasci arbitrati sunt, & re uera in Creta abundat, & è Creta Venetias affertur, immo nomen Tragio Cretam significare certum est, quia spina sit Cretica. Tamen alijs locis nascitur, in Arabia, in Achaia, in Media Asiæ, in Peloponnesso. Quicquid sit naturam gummi habet secundum Dioscoridem, per radicis incisionem fit. At Theophractus sponte emanare censet. Ad gummi igitur redeuntes. Paulus Aegyneta quum de commi.i.gummi pertractat, ea tantum animaduertit, quæ à Galeno breuissime exposita sunt. SE. Notas scire optarem, quibus probatissimam tragacãtham noscere possim. BRA. Ex Dioscoride lubẽtissime aperiã. sit translucida, leuis, gracilis, pura, subdulcis, à Polonis dragant dicitur, desiccat secundũ Galenũ ut gũmi. propterea in secundo ordine siccum erit, & frigidum in primo, sunt qui iudicent in secũdo humidum. Ab Hispanis alquitino dicitur. SE. Iã noui. Ad reliqua gumicum genera accedas. BRA. Enumera tu quibus in officinis utimini. SE. Gummi habemus,

bemus, quod Helemi nuncupamus. BRA. Cuius arboris est? SE. Abs te peto. BRA. Quid sentiam lubens edocebo. An uero nodum explicabo, iudex eris. Dioscorides libro primo de gummi oleæ Aethiopicæ, pertractat. Hoc gũmi, Arabicũ gũmi esse putat Hermolaus. Nos econtra gũmi spinæ Aegyptiæ acatiã ferentis esse gũmi arabicũ arbitramur, immo ita esse debere certi sumus, quãuis, & aliarũ arborum gũmi mixta sint, nam à Plinio id gummi cæteris perfectius dicitur. nos autem perfectius gummi non habemus Arabico dicto, quamobrem, & ex his, & ex colore non possum cum Hermolao asserere gummi oleæ Aethiopicæ esse gummi arabicum, sed quandoque inclinauimus, ut gummi oleæ Aethiopicæ esset gummi helemi dicti (ut inquit Hermolaus) quasi enhæmi. In id autem nunc potius inclinor, corruptum esse uocabulum oleæ, in eleæ, postea in elemi. Reperitur autem hoc gũmi & in Italia, sed uos pharmacopolæ re quadã utimini mihi ualde odorata pro gummi elemi, quam resinam potius quàm gummi existimo. Quid uero sit nõdum comperi, satis tibi nũc sit, ex olea Aethiopica, & etiam Italica gummi oleæ haberi, uel ut uos dicitis, Gummi elemi, quod Plinius dentibus ualere ostẽdit. Quin & ex oleastro habetur, quod his notis deprehenditur. simile est scamonio, sed rufiusculum, & exiguis stillicidijs concretum, gustu mordaci, nec gummi aspectum habens, id enim damnatur quod gũmi aspectum præ se fert. Quam uero uos pro elemi. i. oleæ lachryma accipitis, cum scãmonio similitudinem nõ habet, nec ruffa est, nec concreta exiguis stillicidijs, nec gustu mordaci, immo potius quandoque dubitaui quod gummi hederæ nuncupatis, gummi elemi esse, si mordacem illum gustum habuisset. SE. Nescis igitur quid ea res sit, quã

gummi elemi appellamus? BRA. *Ad hoc usque tempus quid sit quo utimini ignoro, sed breui spero rem hanc assecuturum, satis nũc sit gummi elemi uerum esse gummi oleæ, nõ dico Aethiopicæ, sed cuiuscũque loci, modo olea lachrymam habeat.* HER. *Oblitus es aliarum gentium in prædictis gummi nomina edocere? his tamen maxime oblector.* BRA. *Ne herbarium nostrum suo desiderio frustrari uidear. A Gallis gummi arabicum.* Gomme *arabic. & Hispanos Gõma arabica nuncupare scias.* Dragagantum *uero Galli, gõme dragant, Hispani gõma dragante, Germani driant uocant.* SE. *Gummi hederæ prosequaris.* BRA. *Ex hedera libro tertio fieri lachrymam* Dioscorides *censet, uos pharmacopolæ gummi quoddam circũfertis hoc nomine appellatum gummi hederæ, quod non esse gummi hederæ, id testimonium est.* Dioscoridem *lachrymã hederæ psilothron esse dicentem. sed gummi illud uestrũ, non solum psilothron non est, immo nec mordicantem gustum habet, aut qui calorem ostendat. Vnde & Galenus libro septimo de simplicium medicamentorum facultatibus, de cisso .i. hedera tractans, inquit, lachrymam eius pilis nudare, & esse usque adeo potestatis calidæ, ut obscure adurat, quamobrem non est gummi hederæ, uel lachryma hederæ quam uos pro ea circumfertis.* SE. *Quid ergo est?* BRA. *Gummi alterius arboris quam ignoramus, nam & experientia hedera considerata uerum gummi .i. lachryma hederæ cognosci potest. Ego quandoque hanc lachrymam supra hederæ truncum concretam uidi, ab ea quam habetis longe diuersam. A Gallis gõme de lierre nuncupatur, fit incidendo hederæ truncum. succus qui exit, hederæ Gummi uocatur, qui potius liquor nuncupari deberet, quandoque de se fluit, sed raro.* SE. *Putas'ne*

sandaracham inter gummi numerãdam? Nam gummi uidetur, si proprietates eius cõtemplor, & gustum, & corticem arboris quandoque coniunctum. BRA. *Apud probos authores, duo nomine sandarachæ intelliguntur, unũ est quod cherantemum dicitur, uel* Rhitaces, *de quo in* Apomeli Dioscorides *quarto libro, &* Hermolaus *in corollario capite. 543. in lilio. Sed hæc nostra sandaracha, quam à uerno rore uernicẽ dicũt, nihil ad rem medicam. Est alia sandaracha, de qua* Dioscorides *5. lib. quæ cũ auro, & argento inuenitur, & argenti fodinis flammeo colore ad satietatem ruffescit, fragilis, puraq́;, & habens quodammodo cinabaris colorem, & reddens uirus sulphuris. hæc est uera sandaracha quam in officinis haberi oportet. De qua* Galenus, Paulus, & Dioscorides *medicas uires tradunt, cuius uice auripigmento uti possumus, quoniam easdem uires habet, inter auripigmenti massas sandaracha inuenitur, & nunc ego domi habeo ueram sandaracham, auripigmento nexam, eadẽ. n. fodina colliguntur. Fit etiam adulterina sandaracha ex cerussa decocta, ut* Vitruuius *septimo* Architecturæ *libro docet. Illud autem casu inuentum est, facto incendio, ubi erat cerussa, hæc sandaracha pictoribus magis apta est, naturalis uero medicis.* SE. *Sandaracham libenter cognoscerem, qua omnes ferè medici utuntur, & paucissimi, immo nulli cognoscere uidentur.* BRA. *Tibi in tua officina sandaracham ostendam.* SE. *In mea officina? forte illam portabis.* BRA. *Immo in tuis pyxidibus inueniam. Considera auripigmentum tuum, uidebis aliqua parte rubescere, ut ferè in minij colorem uergat.*
SE. *Id frequentissime uideo, immo auripigmentum, ita rubrum superioribus mensibus à luteo discreui.* BRA. *Illud*

rubrum sandaracha est:eadem enim fodina, & sandaracha, & auripigmentū effodiūtur. immo simul mixta sunt. sed quod maius est, audias auripigmētum, & sandaracha idem re sunt, differunt tamen per maiorem, & minorem decoctionem naturæ. nam, & idem ab arte fieri percepi, & tu ipse experiri poteris. sume auripigmētum, & uitreato uase impone, supposito igne, ut liquescat, & accendatur, accenditur ferè, ut sulphur, si per aliquod spacium combusseris, inde frigescat. Videbis oculata fide per hanc decoctionem auripigmentum sandaracham euasisse. Si etiam auripigmento pinxeris, & sandaracha, eundem ferè colorem faciunt, nisi quod in sandaracha intensior est, quàm luteus, in auripigmento magis floridus. Nam sandarachæ color in eum, qui uulgo ranzo appellatur, inclinat, in quem etiam is dependet, qui ab auripigmento usto fit, ut auripigmentum ustum in sandarachæ naturam trāsiuisse deprehendi possit: nec mouearis, quod sandaracha rubra dicatur, quoniam rubra quidem est uisu, sed quum teritur, & aqua miscetur, hoc est aptatur ad picturæ opus, hunc colorem luteum intensum facit, non rubrum. unde minio similis est uisu sandaracha, nō autem opere, quū ea picturæ fiūt, ut manifeste cognoscas sandaracham ueram esse, auripigmentum à natura magis coctum. quòd si arte coxeris, eundem colorem insigniri uidebis. Tu ipse experiaris quemadmodum, & ego pro noscendis exquisitissime sæpius expertus sum. Immo, & quod risagalū uos nuncupatis, ex auripigmenti genere est. Qui uero inquiunt Venetijs auripigmētum liquefieri, & arte in leuigatas assulas parari, quas risagalum postea nuncupant decipiuntur: nam in fodinis auripigmēti arsinagal reperitur, & eiusdem generis est, sed uilius. Ideo & uiliori precio

uenditur

uenditur, in quo reperitur etiam sandaracha: color enim sandarachæ magis ignitus est, & aliqua parte cinabarim refert, redoletq; sulphuris odorem. Recētes *chymistæ arsenici nomine tria intelligunt, auripigmentum, risagalum & quod particulari nomine arsenicum uulgo dicimus. Chymistarum nomina hæc sunt, arsenicum croceum, quod est auripigmentum, arsenicum rubrum quod est sandaracha, arsenicum album, quod ita simplici nomine à nobis uulgo dicitur, sed in uno decipiuntur, quia arsenicum album non esse minerale arbitrātur, sed inquiunt* Venetijs *esse, qui ut ignis ita parent, & arte ex auripigmento faciunt, quod falsissimū esse, & inexpertes agyrtæ noscunt. Nam ex minera defoditur nostrum arsenicū, sed chymistæ suam hanc distinctionē ab* Auicenna *accepere, ita innuente. Serapio autem sub capite* Narneth, *quod est. 381. idest auripigmenti, sandaracham etiam intelligit & arsenicum album. Quod uero sub auripigmento sandaracham accipiat, ex eo deprehenditur, quoniam ex sententia* Dioscoridis *inquit in eisdem fodinis auripigmentum citrinū inueniri, in quibus inuenitur auripigmētum rubrum, hoc autem à* Dioscoride *dicitur sandaracha, & in calce uerborum* Dioscoridis *à Serapione adductorū.* Caput *de sandaracha* Dioscoridis *ponitur, & suas proprietates assignat sub nomine auripigmenti rubri, ut certum sit apud* Serapionem *sandaracham esse auripigmentum rubrum, unde frequentissime in auripigmēto sandaracha inuenitur, & in dicto risagalo, quod & ipsum in auripigmenti genere censendum est.* Risagalum *uero, & nonnulli arsenicum uocant, sandaracha à* Serapione *auripigmētum rubrum appellatur.* SE. Gaudeo *senescens semper plurima discere: sandaracham habeo. habere autem ignorabam,*

uerum

uerum quum uenenum sit præsentißimũ, quomodo à Dio*scoride in usu medico ualere iudicatur?* BRA. Non *mirũ quoniã multa uenenata alijs mixta, mitiora fiunt, & apta medelæ.* Nam Dio*scorides .6. lib. sandaracham inter uenena numerauit, & quibus remedijs eius noxa aboleatur: miror de* Rodulpho Agricola, *qui in suo* Bermano *sandaracham non olere uirus sulphuris scripserit.* Si *ipse tractasset, & manibus fricuisset, sulphuris odorem euitare non potuisset. Inmo si (ut nos fecimus) accendisset, oculis fumum sulphuris uidisset, & nidorẽ naribus persensisset:* Adde *eundem authorem admirari* Dio*scoridem, qui cinabaris colorem habere dixerit.* Tamen *à* Dio*scoride nunquam hoc dicitur, sed quod aliquem colorẽ cinabaris habet, id est aliquo modo inclinat: in rubrum enim uergit, at mixta aqua, & optime trita luteum colorem facit parum intensiorẽ colore simplicis auripigmenti, sed eiusdem apparentiæ cum colore auripigmenti usti.* Quum *ergo in antiquorum descriptionibus sandaracham scriptam inueneris, partem rubram auripigmenti accipito, aut rubram partem risagali dicti. si uero desit pars rubra, eam partem arsenici, aut auripigmenti sumas, quæ in rubrum magis inclinat.* SE. *Id autem, quo pro sandaracha utimur, & gummi uidetur, quid est?* BRA. *Est gummi* Iuniperi: *nam* Arabes *sandaracham appellant gummi iuniperi, ex quo puluis fit, quem uernicem uulgo nuncupamus ad delinendas chartas, ne bibulæ sint, & pictores eo utuntur in quadam compositione uernicem appellata, ex oleo nucũ, aut lini, aloe (ut lucem coloribus tribuant) et hoc gummi.* Miror *cur in usum medicum uenerit hoc gummi, quoniã* Plinius *lib.13.cap.11. gummi iuniperi ad nihil utile censuerit.* SE. Qua *re ducti recentes hoc gummi sandara-*

cham

cham putarũt? BRA. Decepti ſunt in nomine,quia apud Serapionem ſandarax ſcriptũ inuenere. Ipſi ſandarachã putarunt,tamen Arabes,quos Serapio adducit,multas ui res huic gummi attribuere uidentur,quales Dioſcorides, & authores ueræ ſandarachæ attribuunt. Sed unum eſt præſidium à quo abſtinerem,ſumum,ſcilicet ſandarachæ per os recipere,licet à Dioſcoride præcipiatur. SE. Cur uernix dicitur? BRA. Aliud coniectari nõ poſſum, quàm cum Hermolao dici quaſi uernus ros. Gũmi enim uere po tiſsimũ fit,& æſtate perficitur, præſertim ex rorida ſub ſtãtia:Galli,ut nos uernix,Hiſpani uerniz,Germani uir-nis appellant. Calida eſt & ſicca apud Serapionem, ordi ne primo,nobis autẽ uidetur ſecũdum attingere, ſi ura-tur iuniperi odorem ſpirat. SE. Aliud gummi ſequitur, quod charabe nuncupant. BRA. Neſcio an alia ſimplici re inconſtantiores ſint authores tam antiqui,quàm recen tes,quàm in hoc uocato charabe.Omnes electrũ,uel ſuc-cinum eſſe putant, tam qui nuper, quàm qui antiquitus ſcripſere. Tu Plinium lege cap.2.lib.37. ubi Græcorum poëtarum fatuitates aperit, qui putarunt lachrymas eſſe ſororum Phaetontis in populos cõuerſas circa Eridanũ, ut hinc etiam collectum ſit charabe, aut electrum gummi eſſe populi nigræ,quod Serapio,& Auicenna ſentire uiſi ſunt:Ipſi enim caput faciunt de haur romu, ideſt populo, & omnia ſcribũt, quæ à Dioſcoride in populo nigra tra duntur.Duo autem capita ab Auicenna fiunt, in quibus idem præciſe ſcribit, unum quod eſt.344. in quo de lau ro Romano diſſerit,aliud quod eſt.510. ubi de nuce Ro-mana percurrit:Sunt autem duo capita,ubi de eadem re, & eodem modo ſcriptum eſt.Capite autem.374.de cha-rabe loquitur,quod nucis Romanæ gummi eſſe dicit,ap-pellat

pellat autem charabe lingua Persica,*quasi paleam rapiens.*Non *est autem hic locus contrarietatem pertractandi in horum capitum qualitatibus,quia nostrum institutū est rem tantum aperire.*Quòd *autem* Auicenna *de gummi nigræ populi loquatur, tum ex proprietatibus apparet,tum ex nomine ipso:inquit enim haur* Romanum *appellari achirosa.*Græci *autem,ut* Dioscorides,*&* Galenus *populum nigram,* αἴγιρος *appellant, ut manifeste appareat* Auicennæ *interpretem corrupisse uocabulum, & pro* αἴγιρος,*achirosa scripsisse,uel forte librarij fuere qui ita per uices describētes corruperint. ad rem igitur, uideo antiquos authores in hac re adeo diuersos, ut quid dicēdum sit ambigam.*Plinius *cap.*2.*&*.3. *ultimi libri de hac re incerte tractat.* Dioscorides *electrum gummi esse nigræ populi in* Eridanum *defluens sentit.*Primo *libro in nigræ populi capite,postea secūdo libro lyncurium, idest ex urina lyncis factum lapidem, electrum esse iudicauit.* Hæc *tamen incerte proponit , ut de re ipsa incertus esse uideatur.*Galenus,*&* Paulus *de gummi albæ populi pertractant,tamē electrum,uel succinum esse non dicunt:res adeo inconstans est,ut ferè me explicare non sciam, hoc tamen certe deprehendo* Genuensem, Pandectarium , *& cæteros recentes aberrare,putantes rem illam,quam nos ambro appellamus,esse* Arabū *charabe.*Error *autem est, quia charabe* Arabum *est gummi populi nigræ,& etiam albæ,quam* Græci *simpliciter* λεύκην *appellant, nos populum albam latine,nostra materna lingua* Græcos *imitamur: quia albaro quasi albū appellamus , ut* Græci λεύκην.*Ex his duobus populi generibus,gūmi fieri,certū est. quod ab* Arabibus *charabe uocatur:à* Græcis *albæ populi resina , uel gummi à* Latinis *eodem modo dici debet.*

Causa

causa autem erroris fuit, quia Dioscorides hoc gummi electrum appellari monet, & Chrysophoron, sed Dioscoridis uerba pensitanda sunt, qui ita esse simpliciter nō dicit, sed ab aliquibus ita appellari, tamē non est uerum electrum, idest nostrum uocatum ambrum, quamuis ab aliquibus tali nomine ob similitudinem appelletur, unde in hoc me resoluo. Charabe Arabū, & gummi populi albæ Græcorum idem sunt, & non sunt nostrum electrum: uel ambrum, ut recentes putant. SE. Duo abs te scire percupio quid sit res ea, qua pro charabe utimur: præterea, quid apud antiquos sit res ea, quam ambro uocamus, quo indices fiunt, quibus mulieres numerant preces, quas Deo singulis diebus fundunt. BRA. Id quod in officinis pro charabe habetis, idem est penitus cum ambro, quo indices fiunt, tu experimentum sumere poteris, ut ego frequenter expertus sum. Accenditur charabe, & ambrum, & eodem odore redolent, eandem guttam faciunt, eandem flammā. Sume frustum eius rei, quam uocas charabe, & unum indicem ambri, & accensæ candelæ admoueas, accendūtur eodem modo, & eisdem omnibus notis præscriptis. Immo, & uisu, colore, & splendore conueniunt, & ex eodem loco ad nos deferuntur, ex mare Dantisci ad nos fertur, & ambrum, & charabe. Est autem Dantiscum mare in Germanico Oceano, ea autem pars, quæ nunc Dantiscus dicitur, ab antiquis Cosmographis Prussia nuncupatur. unde ex Prussia habetur. Quid uero sit, nesciunt se explicare, qui illinc ueniunt, à Germanis ex Prussia in Pannoniam, mox (ut inquit Plinius) prouinciam (est autem prouincia ea pars Galliæ, quæ nunc Prouenza uocatur) inde Genuā affertur, & nonnulli mercatores Venetias contendunt. Quæ à Plinio dicuntur cap. 3. lib. 37. certissima sunt. Na

sci

sci in insulis septentrionalis Oceani, Defluente medulla pinei generis arboribus, ut gũmi in cerasis, resina pineis erumpit humoris abundantia, densatur rigore, uel tepore aut mari quum intumescens æstus rapuit ex insulis, certe in littora expellitur, ita uolubile, ut pendere uideatur, atque consistere in uado, quod arboris succum esse etiam prisci nostri credidere, ob id succinum appellãtes. Pineæ autem arboris esse indicium est pineus in attritu odor, et quod accẽsum tædæ modo, ac nidore fragret, qui in Prussia propè mare Dantiscum habitant. Colligunt circa maris litora ambrum, charabe, uel succinũ, sed ipsi unde ueniant, nesciunt. Quod uero distillet hoc argumento notat Plinius, quia sunt quædam intus translucentia, ut formicæ, aut culices, lacertæq;, quas adhæsisse musteo nõ est dubium, & inclusas indurescenti. hoc nos frequentissime uidimus ambrum apes, muscas, formicas, festucas inclusas habentem. Immo & domi habemus, in quo adeo mire formica, & integre inest, ut nec minimum crus desit, & indicem uidimus apud Blasium Epidaurensem in cuius singulo globulo animãs adest. Ex his paruis nostræ mulieres sibi parant indices ad salutationes angelicas numerãdas, & ad ornanda colla. sed tempore Plinij, erat agrestium fœminarum transpadanarum ornamentum, monilium uice, succina gestantium, maxime decoris gratia: etiam & nostro hoc tempore solæ populares, & agrestiores succino pro ornamento utuntur. Succinum igitur, & charabe idem sunt, & gummi est pineæ. Nos in pinetis Rauenatibus gummi uidimus simile succino, & accendimus eodem odore quo succinum, sed nõ ita durum, forte quia alio cœlo, quam septentrionali ortum. Cõstat autem, & ex India conuehi, unus tantum est succini color, sed differt per ma

gis, & minus: Aliud enim est candidum, aliud colore ceræ nouæ. SE. Hic est color charabe quod habemus paßim in officinis. BRA. Aliud est fuluum, aliud tanquam mel coctum. SE. Et etiam nostrum charabe hunc colorem habet. BRA. Nunc mulieres nostræ nonnullæ flagrantem probant, aliæ turbidum: tempore Plinij erat maxima authoritas translucentibus, præterquam si nimio ardore flagrarent, imaginemq; igneam inesse, non ignem placebat, à Germanis gelber nid stean nuncupatur, ac si dicant crocei coloris lapis, quamuis Plinius referat suo tempore, à Germanis glessum dici, & propterea insulam Glessariam in mari Oceano dictã, à Polonis bierstyn uocatur, ab Hispanis amber. Martialis & ipse nouit in succino formicas occultari inquiens.

Cum phaethontea formica uagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.

Sed ipse postea ueluti poëta ex sororibus Phaethõtis plorantibus succinum prodire arbitratur: decipiuntur qui è terra ueluti bitumen concrescere dicũt. Præter dictos colores, nos nigrum ambrum habemus, sed arte factum est. nam tingitur omni colore, præsertim Plinij tempore, seuo hædino, & radice Anchusæ tingebatur, quippe etiam conchylio inficiebantur, quum sit ambrum tinctum, an uerum ambrum sit, idest succinum, uel electrum, igne deprehendes, quoniam uerum ambrum flammescit odorem pineæ spirans. Si uero ex re dicta smaltum sit, nõ flammescit, nec odorem pineæ habet, quamuis succinum alio colore infectum ægrius flãmescat, quàm purum, tamen non possunt non habere etiam succina tincta proprietatem eam festucas, paleas, & sicca folia ad se trahendi, quum attritu digitorum, aut uestis calescunt. hoc etiam unum

indicium est cognoscendi uerum ambrum tinctum, à non uero, & hæc proprietas fecit, ut Arabes charabe nuncuparent, quod lingua Persica significat paleas ad se trahere. Vnde & Dioscorides in Lyncurio ipsum pterygophoron, quia in se trahit floccos, & stramenta uocat. Tamen multa alia sunt præter Ambrum, quæ ita trahunt, quamobrem succinum, uestrum charabe, & electrum idē sunt: & gummi pineæ induratum esse credendum, immo certe asserendum est, quamuis hoc uocabulum electrum ad multa alia significanda ab antiquioribus accipiatur. Nam uocabulum electrum succinum significat, & lapidem ex urina lyncis factum, & naturale quoddam habens quintam partem argenti in auro, & arte factum, ex tribus partibus auri, & una argenti: hoc autem tertium electrum aurum, & argentum mixtum habens à Chymistis Phaethon nuncupatur. A Neapolitanis populus alba, Alano uocatur, putant quidam cum putrescit, partim in Agaricum trāsire, partim in charabe magno errore. Charabe autem apud Auicennam in libello de uiribus cordis est calidum ordine primo, & siccum in secundo, quanquā nonnulli frigidum esse censuerint, qui errore detinentur. Quid uero sit ambracam dictum apud nullum antiquorum inuenire potui, quāquam arbitratus sim antiquos aliquos sub succino hoc ambracum nostrum intellexisse, eo argumento, quia nonnulli odoratissimum ipsum fecere, & ex terra ueluti bitumen prodire, tamen incertus sum, tria genera ambracam apud recentes inueniuntur, unum ruffum, & pingue, quod cæteris præfertur, quod selachiticum à loco Indiæ ubi nascitur, appellatur: aliud subalbidum, quod Sechra dicitur, ex Arabia felici asportatū: tertium nigrum, quod cæteris ineptius est. Primum ui-

dimus

dimus Genuæ, ubi manicæ odoratiores fiunt, quàm in loco altero Italiæ. Secundum, & tertiũ frequentißima sunt Venetijs. Auicenna & ipse, in capite de ambra, tria genera numerat. Intelligit autem per ambram, ambracam. laudat & ipse primum genus, quod (suis uocabulis) ipse dicit esse Grisei coloris. nigrum uilipendit, quod fuisse in uentre piscis asserit. Idẽ Serapio de ambra. i. re illa odorata quam ambracam nuncupamus. Nullus est antiquus (quem legerim) qui de hoc ambracã loquatur. Apud Aẽtium reperiri ambar, scribit Hermolaus, hoc intelligens, ut putat: nos autem non ambar, sed ambram inuenimus libro decimo sexto cap. 133. An uero de ambracam loquatur, uel de succino, aut altera re, incerti sumus. suspicamur tamen loqui de ambracam, tum quia illud, nomen habet proprium, Succinum, & electrum, de quibus secundo libro agit sub illis nominibus, quamuis simul, & semel Lyncurium scribat, ut uisus sit succinum uerũ ignorare. Tum quia ponit ambram in compositionem suffumigij muscati, inquam potius ambracam, quàm ambrum. i. succinum interserendum erat. Quanquam & succinum non careat odore, præsertim quum aduritur, & ad suffumigia aptum est, quia ignem recipit. Hermolaus tamen nomen inuenit nostro ambracam, quippe iubet succinum orientale appellari primus omnium. fabulantur qui sperma ceti esse contendunt & qui fructum cuiusdam arboris sub mari existentis, & qui iecur piscis, aut piscis stercus esse putant. Constat enim scaturire uarijs locis, sicut bitumen, & sulphur in India, & Arabia. SE. Reperitur'ne apud Serapionem nostrum ambrum, quo indices fiunt? BRA. Forte est in capite 46. apud Serapionẽ, ubi de styrace pertractat, inquit (de quadam re loquens) uocari sty

racem heremitarum qui est ambar, & Lubne heremitarum, nisi hoc sit nostrum anbrum, uel simul confundat in charabe (ut uidetur) nunquam apud Arabes inuenire potui. Tu alia prosequaris, quoniam in charabe.i.succino immodicus uideor, licet non innecessarius. SE. *Gummi pini consequitur.* BRA. *Præter resinam in pini truncis. Gummi albicans concrescit, quod à nobis pini gummi. A Gallis, Gomme de pin nuncupatur, sed ob resinam in raro usu est.* SE. *Ergo ad assam fetidã ueniamus.* BRA. *Quod nos Laser, Arabes corrupto uocabulo assa dicunt, σίλφιον à Græcis nũcupatur. Unum tãtum genus apud Dioscoridem, & probos authores inuenio: uos autẽ pharmacopolæ, & recentes duplex genus Assæ facitis, fetidum, & odoratum: opus est apud antiquos experiri, an hæc duo genera inueniantur.* SE. *Ego frequenter assam odoriferam, & assam dulcem inueni, sed nunquam uidere contigit.* BRA. *Recentes in assa dulci decepti sunt. nihil enim apud probos authores etiã Arabes reperitur, quòd dulcis assa nuncupetur, ideo illi recentes aberrant, qui Glycyrizæ succum arbitrantur, & perperam. Rasim interpretantur in capite de diminutione coitus, ubi inquit, Altit. ipsi interpretãtur assa dulcis, quum potius gummi assæ interpretari debuissent, sed hæc alias. Tu (ut inquis) fetidam assam uidisti, odoratam autem nunquam uidere contigit.* SE. *Equidem.* BRA. *Et ego odoratam assam apud antiquos inuenio, sed ipsam ostendere non possum. Fetidã uero apud eosdem inuenire, difficile est.* SE. *Abs te quid hæc sint, libẽter addiscam.* BRA. *Alias putabam quod à Dioscoride Silphium, à latinis laserpitium appellatur, duo complecti, uestram dictam assam fetidam, & belzoinum. Itaque à pueritia ferè imbiberam. Auicẽna in*

causa

causa fuerat, qui assam in fetidam, & odoratam distinguit. Ipse Altit, sua lingua dicit. Interpres barbarus, non latinus, Laserpitium scribere uoluit, & assam dixit, hoc nomen corrumpens, sicut cætera alia corrumpere assuetus erat, tamen Dioscoridem, Plinium, Galenum, Paulũq; cõsiderans, laserpitium non esse nostram assam fetidam, multis testimonijs probari potest, si Plinium libro. 26. capite. 23. legeris, manifeste deprehendes silphium, aut laserpitium in medicina, & coquina ualere: nostra autem assa fetida in coquina nihil ualet, immo omnes dapes corrumperet, & quamuis plura genera distinguat, id est per uarias prouincias in quibus perfectius, & imperfectius nascitur. idem facit libro. 19. capite tertio ubi laserpitium inter ea, quæ comeduntur enumerat, & in utroque loco magnam existimationem ostendit, in qua laserpitiũ fuit, & ingens ipsius pretium. At uestra assa fetida in nulla existimatione unquam fuit, & nunc non est, utpote cuius una libra decem Ferrariensibus solidis ematur, qui sunt uiginti Veneti. Dioscorides quoque inquit radicem eius commendari sapore ad intinctus, & iusculenta, & Garũ. idem sentit ad cibaria esse utile laserpitium. Theophrastus libro sexto de plantarum historia, ut hæc omnia ostendere uideantur uestram assam fetidam non posse laserpitium, aut silphium antiquorum esse. Adde laserpitium colorem modice ruffum habere translucentem, & redolere myrrham, habereq; intensum odorem: sed nostra assa fetida, omnia in oppositum habet, quare assa fetida laserpitium esse non potest. Belzuin uero ita à nobis uocatum antiquorum laserpitium esse uidetur. nam commendaretur inter cibaria, & credendum est arboris radicem ex qua colligitur, odoratas dapes reddere posse: unde ani-

mus inclinat laserpitium, lachrymam illam esse à nobis belzuinum appellatum. Hi enim qui triremes, & Lusitanorum celoces ascenderunt, arborem ex qua belzuinum colligunt describentes, laserpitium Dioscoridis, aut silphium exquisite describunt, præter id quod ipsimet ab ipsa ueritate coacti belzoinum laserpitium appellant. Serapio etiam inter Arabes laserpitium sub nomine Aniudem.i.assæ tradens, ea tantum dicit quæ à Dioscoride, & Galeno de ipso scripta relinquuntur. SE. *Ergo de nostra assa fetida antiqui nusquam locuti sunt?* BRA. *Dum tecum loquor in ipsam incidere uideor, & quid sit apud antiquos præsentatur. Vnde quum laserpitium ex Syria, Armenia, Media, Aphrica, & India conuehatur, quod ex Aphrica, Armenia, & India affertur suauißimum odorem habet, præsertim cyrenaicũ, unde & opos cyrenaicus.i.succus cyrenaicus appellatur. Medicum uero & syriacum.i.quod ex Media, & Syria affertur (ut Dioscorides inquit) uirosum odorem habet, & putrilaginem resipit, hoc est nostra assa fetida, quoniam ex Syria Alexandriam, & Alexandria Venetias fertur. Obscurum uero colorem habet, quoniam adulteratur etiam addito Sagapeno, antequã arescat, & simul etiam terra. Vnde si recte odoraueris, sagapeni odorem persenties: sapit enim (ut optime dicebat Mesue, & falsò à quodam uiro reprehenditur) porri quadantenus odorem, & à Dioscoride etiam dicitur Sagapenum medium odorem habere inter laserpitium, & Galbanũ, ideo opus erat laserpitium syriacum sagapeno adulteratum, sagapeni odorem habere, & suum uirosum. Propterea non mirum si adeo feteat: assa igitur ab Auicenna non ab re in fetidam, & odoratam distinguitur. unde & laserpitium duo complectetur*

secundum

secundum uarias urbes,& ut diuersis locis nascitur, quod nos belzuinum uocamus ex Aphrica, & Armenia fertur, ut Dioscorides inquit. Adde tu,& ex India. uestram autem assa fetidam ex Media,& Syria comportant. tamen utraque laserpitium dicitur. Nam laserpitium lachryma est ex incisa radice,& caule silphij. Primum ad usum mensarum est, secundum minime. Succus qui est è caule (ut Plinius inquit) Caulias dicitur, qui autem à radice Rhizias. Inspissatur surfure & farina. propterea in belzuino frequenter quasi grana surfuris uidentur. Cyrenaicum summe laudatur, ideo absolute opos cyrenaicus dicitur, uel simpliciter opos, aut simpliciter cyrenaicus. In tua officina folia, radices, caulem, & lachrymam habere studeas, primum uocant Maspeton, secundum Magydarim, tertium Silphium. lachryma uero laserpitium & sylphij succus, uel lachryma appellatur. SE. Hæc'ne certe tenes? BRA. Inclinor nunc, alias hanc rem ad oculum tractaturus, nec admiratione afficiaris, rem fetidam inter intinctus,& cibaria ad saporem gratiorem accommodari, quandoquidem & nos allium, cæpas, porrum, inter cibaria delectamenti gratia miscemus, quæ tamen re uera fetent. Nec omnia antiquorum quæ odorata dicuntur, grato odore redolent, aut omnia sapida ab ipsis laudata, quandoque Vergilianum Moretum parari iußi, impoßibile erat etiam maxime rusticum comedere. Nonnunquam etiam aliqua Plinij unguēta paraui, quæ graui odore offendebant potius, quàm delectarent. Ideo non mirū, si laserpitium syrium inter cibaria pro delectamento poneretur, præsertim radix, quæ alium odorem habere debet, quàm illa lachryma forte stercore adulterata, immo & à stercore nomen illi dedere. Germani denfels drieκ

dicentes.i.stercus diaboli, quo nomine nos uulgo solemus appellare petroleum. Poloni benzoin uocant, & assam fetidam czarczie goruno, calida est in principio quarti ordinis, secundum Auicennam sicca in secundo. SE. Galbanum sequitur. BRA. Ab albedine nomen sumpsit galbanum. quod autem nos habemus mixtum est, ut putarim adulteratum esse. Tāto uero purius est, quanto magis albicans. Similitudinem thuris habere debet, aut ammoniaci. In Dioscoridis codicibus thuris solum legitur, à Plinio additur, & ammoniaci In Dioscoridis codice ammoniaci deesse arbitror, nō ob hoc quia Plinius illam particulam addiderit, sed quia Serapio Dioscoridis uerba in Galbano adducens, ammoniaci addit, & res ipsa ita esse ostendit, raro enim thuris similitudinem habere uidi, frequentius ammoniaci, quanquam & ammoniacum thuris similitudinem habeat, quia ita concretum sit. Hæc igitur optimi galbani indicia sunt, non eius quo utimur, quod uel adulteratum, uel fex boni est. similitudinē thuris habeat, uel ammoniaci, grumosum sit, purum, pingue, minime lignosum, et in quo nonnihil seminis ferulæ admixtum sit. Odore graui, non multum liquidum, nec multum aridum. Quod autem nos habemus lignosum est, ex Syria Alexandriam, postea Venetias portatur. Venetijs quādoque pulcherrimum uidimus. Miror autem quum habeat grauem odorem, cur ab antiquis inter unguēta numeretur, ut Plinius primo capite libri. 13. testatur. Verum id forte fecere, ut grauia acutioribus miscentes, tertium quoddam perfectum, odoratumq; inuenirent: nam ut eo etiam loco manifestum est compositionem odoratam ex fœnu græco parabāt, quod grauem odorem habere nemo dubitat. Aut igitur (ut prædiximus) grauia acutis permiscētes, medios

quosdam

quoſdam odores fingebant, aut quæ nobis grauecolentia, antiquioribus bene odorata uidebantur. A Polonis galban dicitur, à Cretēſibus uulgo galbani. Calidum in principio tertij ordinis, ſiccū in principio ſecūdi apud Auerroim, Auicenna oppoſitum dicit. Calidum in ſecūdo, ſiccū in tertio, Auerrois cum Galeno eſt, qui inquit eſſe ex tertio ordine calefacientium incipiente, aut ſecūdo cōpleto. in exiccando uero ex ſecundo incipiente, & ita eſſe experientia oſtendit. SE. Bdellium ſequitur. BRA. Bdelliū apud Græcos unum eſt, per regiones quibus innaſcitur ſecundum perfectius, & imperfectius diſtinctum. Apud Arabes duplex, molechil, ideſt Bdellium reperitur, de quibus tanquam de diuerſis rebus Serapio cap. 117. & cap. 294. pertractauit, quamuis Auicēna eodem capite utrūque confundat. Quum tamē Bdellium primum Serapionis genus fructus ſit, qui maturatur in Mecha, in Hiſpania minime, non eſt idem cum bdellio Dioſcoridis, ſed ſecundum Serapionis bdellium cum Dioſcoridis bdellio idē ſunt. Primum enim Serapionis bdellium eſt genus palmæ: Auicenna bdellium antiquorum in Arabicum & Iudaicū diſtinguit. Dioſcorides tria genera facit per regiones, & colores diuerſa: Primum genus Sarracenicum ē, ideſt ex Lybia allatum: ea enim parte homines Sarraceni uocantur. At quia hoc uocabulum Sarracenicum Hermolao, Dioſcoridis tempore extaſſe nō uidetur, propterea Sembracenicum legit, quoniam Africani, qui uerſus Aethiopiam habitant, nondum ſarraceni dicebantur. Marcello placuit ut Scithicum, & Arabicum legeretur, tamen nomen hoc Sarracenicum antiquiſſimum eſt, & antiquior Dioſcoride Sarracha urbs eſt. Immo duæ ſunt hoc nomine inſignitæ urbes, ut apud coſmographos patet, una in media, alte

ra

ra in fœlici Arabia: Adest & Sarraca post Nabatheos, unde Sarraceni: Quod uero fingit Hermolaus Afros nondū dici Sarracenos, uoluntarium potius est, quàm certa ratione dictum. Tamen ego in Dioscoride Bactrianum legēdum putaui, quod à Plinio cap. 9. duodecimi libri dicitur: Serapio Arabicum in Dioscoride legit, hoc est perfectius propterea non ab re legendum forte est Sarracenicum, à Sarraca urbe fœlicis Arabiæ, non à Libya, ut fingit Hermolaus: Probatur uero his indicijs uerum Bdellium, quod amarum sit, translucidum, glutini taurino simile, in profundo pingue, & quum tractatur lentescens, sine ligno, sine sordibus, quum incenditur odoratum odore marini unguis. Hic locus interpretes perturbauit, quia Hermolaus odore marini unguis in Dioscoride interpretatur. Marcellus autē humano ungui colore simile exponit. Græcus codex, quem habeo, & plures alij, quos legere uolui, dicūt εὐώδες ἐν τῇ θυμιάσει ἐοικὸς ὄνυχι, idest bono odore quum accenditur simile ungui. Duo me mouent, ut potius Hermolao consentiam, quàm Marcello, unum est, quia unguis colorem habere non debet Bdellium, nec Dioscorides de unguis colore, quicquam dicit: Alioqui idem cum myrrha uideretur. Nec Plinius hoc animaduertit de colore unguis, quod erat summopere obseruandum: Aliud est, quia Serapio in pluribus Dioscoridis interpretis eius uerba referens, inquit. Accensum blactæ bisantiæ odorem habere. Sunt autem marini ungues: nos hoc genere bdellij caremus, quia nostrum amarum non est. unde frequenter inclinaui animum: ut gūmi, quo pro myrrha utimur, hoc bdellij genus sit, ex Africa, Alexandriā, & Venetias comportatum, quia amara est, & alias notas habet: Noui postea illud esse quod ex Arabia petrea, & quandoque India



dia affertur: Quod uero nos pro bdellio utimur, adulteratum est. Ita deprehenditur, quia non est amarum, & si accendatur, gummi odorem redolet. Contingit tamen mihi semel uerum bdellium, & ueram myrrham uidere Venetijs in officina Campanæ, idest hæc duo exquisita. quòd si arguas nostram myrrham bdellium esse non posse, quia odorata non sit, dicemus Indicum, & ex Arabia petrea petitum grauē odorem habere, qualem habet nostra myrrha: Sed hæc alias, Hispani bdellium, Cretēses uulgo udegli uocant. in bdellij qualitatibus confusi sunt authores, et in causa fuere diuersi bdellij species secūdum nationes diuersas, qui dicunt Iudaicum calidum in secūdo, humidum in primo, alij uolūt calidum, & siccum in primo. Nostrum quod nunc habemus bdellium calidum est in secundo, quia absque ratione, sed solo sensu calidum esse deprehenditur, de qualitatibus pasiuis sum anceps, quia in aliquibus exiccare uideo, in alijs humectare, tamen exiccare potius crediderim, quàm humectare. SE. Lacha sequitur. BRA. Duplici c potius scribendum censeo, quamuis hoc ad rem cognoscēdam nihil faciat. si caput Serapionis de lacca perlegeris, idem esse cum Cancamo Dioscoridis, & antiquorum iudicabis: Inquit enim esse gummi arboris, quæ nascitur in terris Arabum, & est in ea simile myrrhæ, & styraci, habet uirtutem extenuandi seu macrefaciendi pingues, eadem de cancamo ferè à Dioscoride dicuntur. Inquit enim, cancamum est gummi Arabicæ arboris, myrrhæ quadantenus proximum, & uiroso in gustu, odore sentitur (hoc à Serapione prætermittitur) eam ad odorem incendunt, & uaporant uestes additis myrrha, et styrace, eiusdem fumo etiam uaporant. Serapio autem nō scripsit uaporare uestes, sed in ea esse simile myrrhæ, &

styraci

styraci: nescio an fuerit Serapionis interpres, aut librarius, uel ipsemet Serapio, qui imperfecte Dioscoridem adducat. Additq; Dioscorides, naturam eius narrāt corpus obesum leuandi onere, & ad maciem reducendi. In reliquis ita etiam conueninnt, ut nullus sanæ mentis dubitare debeat cancamum Dioscoridis, apud Serapionem laccam esse, postea Serapio Galenū adducit de cancamo secundū interpretationem Atabarith: At ego nusquam Galenum repperi de cancamo ita loquentem. Quum autem uerba, quæ adducūtur Pauli Aeginetæ præcisæ sint, ob id arbitror, quod alias cogitaram, & animaduerteram uerū eē, ubi Serapio adducit Athabarith, Pauli Aeginetæ, uerba esse, non autem Galeni. sed ille Athabarith interpretatus est Paulum, ac si Galenus fuerit, & ita à Serapione receptum est. Tu ipse Paulum de cancamo, & Serapionem de lacca scribentes si legeris, eadem præcise uerba ab ipsis dici animaduertes. Verū gummi illud quod uos habetis, non esse laccam Serapionis, aut Dioscoridis cancamum, ex hoc deprehenditur, quia odore caret, & si ad suffitus utamur, nō redolet. Immo styrace, & myrrha additis, si uestes suffumigentur. in odorem nihil addit, nec aliquam habet cum myrrha affinitatem Si autem cancamum esset, uetus, inodorū, & fecem potius cancami, quàm cancamum dici oporteret. Scito autem tria hoc nomine lacca nūcupari: unum est uerum Dioscoridis cancamum. Alterum grana quædam arte facta, quæ Venetijs uirgino parantur, aut cocco, & alijs nonnullis, hac pictores utuntur, est & tertia lacca, ex qua ruber color fit, qui uulgo carmesinus appellatur, ex his Serapionis error detegitur, qui simul cum lacca, quæ gummi est, & cancamum apud Dioscoridem, laccam, quæ chermesim uulgo dicitur confundit

confundit, ex qua floridus ruber fit, qui charmesinus nuncupatur. Quippe Dioscoridem, & Galenum adducit de prima lacca loquentes, postea eodem capite. Rasim, Atabari, Isãacq; adducit, qui de altera lacca, quam è cœlo uenire inquiunt, & qua tingitur, loquuntur. SE. *Alij Arabes decepti ne sunt?* BRA. *Auicẽna grauiori lapsu cadit, nã de lacca caput facit, quam gũmi esse fatetur, & præcise Paulum Aeginetam, ad uerbum ferè adducit. Postea aliud caput facit de Cheichen, ubi oculata fide deprehenditur cancamum describere, & eius proprietates aßignare, quamuis per alia uerba incedat, quam ab authoribus cancamũ describatur. Re autem uera idem sunt, Iusquiamus, & ammoniacũ, si in aqua ebullierint, & in hoc decocto laccam addideris, mirus ruber color efficitur.* SE. *Gummi Cedri sequitur.* BRA. *Ex Cedro ingentißima arbore plurima habentur. Cedria (ut inquit Plinius) est pix, uel resina, uel lachryma cedri: Quod circa stipitem induruerit, gummi est, dum tenella est, resina dicitur: pix uocatur, quum è tæda eius accensa fluxerit. Multæ gentes Cedria ui ignis è tæda sumpta pro Pice utuntur, quando pix paratur. primus succus, qui fluit in canalem, & est ueluti aqua Cedriũ dicitur. Alter liquor, qui mox fit pix appellatur: Venetijs, & gũmi cedri, & cedriã emere poteris, & fructus cedri cõditos, qui Cedrides uocãtur. Cedria etiã dicitur oleũ cedrinũ, quo antiquitus ad perpetuãdas res inũctas utebãtur. Vnde carmina, & sapientũ cõsulta digna cedro. Oleũ hoc in lucernis positum, lucem magis splendentem, & fulgidam cæteris præbet. Sed eius fumo capitis dolorẽ mouet, fructus eius in myrti magnitudinem crescit. à Galeno existimatur quartum ordinem accedere caliditatis, & tertium siccitatis. 7. de simpliciũ*

medica=

medicamentorum facultatibus libro à Polonis gummi cedrone uocatur. SE. Viscum sequitur. BRA. Apud recentes hæc nomina reperio. Viscum quercinũ, uiscum aquæ aptum, uiscum soli aptum, uiscum Romanum, & uiscum absolute: Viscum Romanum compositionem catapotiorũ de colocyntide ingreditur. Recentes quid sit interpretari conantur, dicentes esse gluten Romanum, idest masticem. Qui magnopere aberrant, quia nusquam apud aliquem probatum authorem, uiscum Romanũ inuenitur, & quod masticem significet, & in compositione Mesue iterum errãt. Nam in alijs codicibus, & antiquissimo Mesue legitur, Absinthium Romanum, nõ uiscum Romanum: Nescio ergo (nisi gratia librariorum fuerit) unde tam supinus error emanauerit, sed ad uiscorum genera accedamus: Viscum aquæ aptum, arte paratum est, aucupes eo utuntur. Melle aliqui parant, alij oleo nucum, alij oliuarum. ita nũcupatur, quoniam, & si pluerit, non impeditur, quin aues irretiantur, & quoniam sub aqua eo utuntur, ut nonnulli ad capiendos pisces usi sint, fit hoc uiscum, ex sebestem in Syria, deinde, aut recto cursu Venetias, aut prius Alexandriam, postea Venetias fertur, sed raro bonum inuenitur. Quæ autem nos sebestem uocamus, illi myxa dicũt, & ita ab antiquis sebestem myxa dicebatur. Tamen & ad usum aquæ uiscum cõmune parant, uel pro aquatilibus auibus. Nam uisco damasceno dicto, utuntur aucupes, & omnes aues, aquatilibus demptis. sed facto ex sebestẽ, etiam ad aquatiles aues utuntur: Viscum uero soli aptum à nobis ita uocatum ab alijs damascenum ex acinis uiridibus fruticis cuiusdam fit, qui supra arbores nascitur, à Græcis ἰξὸς dicitur, semper autẽ supra arbores nascitur, ut à poëta in hunc modum decantatum sit:

Quale

Quale solet syuis brumali frigore uiscum
Fronde uirere noua, quod non sua seminat arbos.

Semper etenim uiscum buxi folio, supra alienas arbores uiret. Ingens copia in Italia est, in Gallia, & Germania, unde non possum non mirari pro uisco Damascum petere, quum hic propè sit, Acini uirides nascũtur, hos aliqui ore sumentes, quia dulces cortice nudant, mox excoquũt & pinsunt adeo, ut id corpus reddatur, quod uiscum dicimus, hoc etiam aucupes ad aues omnes capiendas utũtur, Aquatilibus demptis, & ideo uulgo uiscum soli aptum dicitur, & ab aliquibus Damascenũ. S E. Fit potius ex mixis hoc uiscum, quàm ex uisco uocato, quoniã nec acrimoniam, nec amaritudinem ullam habere nunquam Galenus, & Dioscorides suo usui tribuunt. B R A. Et de eo loquuntur quod supra robur nascitur, & præterea de toto frutice loquuntur. si gustes, ut ego sæpius, uisci granũ, dulce est. Plinius lib. 16. cap. ulti. Viscum supra quinque arbores tantum nasci censet, Quercum, Robur, Ilicem, Prunum syluestrem, Terebinthũ. Dioscorides duos addit, Malum, & Pirum. Nos uero addimus Mespilum, Cotoneum, & Salicem, quod summo studio obseruaui, quum. 1528. in Galliam cum Illustrißimo Principe, ac patrono meo Hercule Estense proficiscerer, ut Illustrißimam Renatam cõiugio sibi iungeret, supra omnes ferè arbores uiscum obseruaui. Immo, & supra uitem, ut inde coniectatus sim supra omnem arborem nasci posse: Qui autem uiscum, stercus esse Turdellæ subactum arbitrantur, quia apud authores reperitur, Turdellam sibi uiscum cacare, & sibi pedicas, ac mortem parare, longe decipiuntur: quippe uiscum nusquam nascitur seminatum, aut plantatum, sed hoc modo frequens fit. Turdellæ, uel Turtures, uel Turdi (est au-

tem

tē in genere Turdi Turdella) uiſci acinos comedunt, mox cacant, Viſcum ſupra eas arbores naſcitur, ſupra quas cacarint, unde naſci non poteſt, niſi digeſtionem quandam in huius auis uentriculo nactum ſit. Quum uero ſupra omnes arbores excernere poßint, etiam ſupra omnes uiſcum creſcere, nihil impediet: At ſupra quercum frequenter inuenitur. Immo hoc ſupra quercum inuentum apud Gallos in honore erat. Quam ob rem ob excellentiam etiam abſolute, quernum uiſcum nuncupatum eſt. ſecundum arbores, ſupra quas naſcitur differentiam habet, ė robore, amarum eſt, dryos hyphear uocant, quod ė quercu eſt. Aliqui per duodecim dies grana aqua macerant, poſtea pinſunt: Decipiūtur, qui putant homines grana uiſci comedere, & eius ſtercus uiſcum effici: Naſcitur & ſupra radices arborum, ut Dioſcorides tradit, & nos uidimus frequenter, ſed detectæ ſunt, ut uice trūci fungātur. fit tamen & uiſcum ex radicibus quibuſdam maceratis, ut ex hibiſco, nos uulgo, Maluaueſchium nūcupamus, propterea à poēta dictum eſt, aues fallere hibiſco: Reperitur & apud Plinium, uiſcum radicem quandam eſſe uenenoſam, à Græcis ἰξιαν nūcupatam, ut in uocabulo deceptus uideatur Plinius. Nam Græci uiſcum ἰξιον appellāt. ἰξια uero affine huic uoci ἰξον eſt. Ideo uel in nomine deceptus eſt ob ſimilitudinem, uel ſibi placuit. Id etiam interpretari uiſcum, quia nomen Græcum ſimilitudinem habet cum uiſco: Leonicenus in epiſtola ad Monochium Plinij errorem in hoc nomine oſtendit ἰξιασ. Aut non errauit Plinius, quoniam pro eo nomine ἰξιασ, Viſcum interpretari uoluit, quia omnino nomen eſt à uiſco, quod ἰξὸς dicunt deductum, quo loco etiā oſtendit ixian, diuerſam rem eſſe à chamæleōtis nigri radice. Vnde Plinius excuſari poteſt

Auicenna

Auicenna præterea de uisco. 4. canone agens, tanquam de ueneno ea dicit, quæ de ixia à Dioſcoride ſcripta sũt. & hoc in re ipſa, & remedijs, ſed recentes turpi errore detinentur, putantes uiſcum, quo aues fallimus, uenenum eſſe, & id eſſe, quod à Plinio, & Auicenna inter uenena tractatur. Sed hæc omittantur, utpote à Leoniceno præcitata epiſtola diffuſe ſcripta. A Gallis uiſcũ, guy de cheſne, à Germanis uogelleim, ideſt auium gluten dicitur, & ita abſolute uiſcum uocant. Habent autem aliud nomen. Eichel miſpen, quo uiſcum quernum ſignificant, à Cretenſibus uulgo oxon, à Polonis, dan boua yemiola, uocatur, quercinus ille uiſcus, ſed Romanus rzimsxilep, & Damaſcenus, Damaſcenus lep, dicitur ab Hiſpanis uiſcum liza nuncupatur. SE. De uiſci qualitate ſi parumper dixeras, gratũ mihi feceris. BRA. A Galeno calidus exiſtimatur, & humidus humiditate ſuperflua, unde calidus eſt ordine tertio, & in eo quod tarde excalefacit quia eſt craſſarum partium, tempus requirit ut tapſia. Auerrois hæc Galeni uerba refert, ac ſi dicat eſſe calidum, ut tapſia. Melius ab Auicẽna Galeni uerba referũtur. SE. Colla piſcis ſequitur, & gluten. BRA. Hæc duo non ab re ſimul copulaſti. Quod enim Græci colla, nos glutinum appellamus, ſit ex corio piſcis colla, alij ex uentre fieri dicunt, & Ichthyocolla uocatur, quaſi piſcis glutinum, apud nos uulgo colla de peſce nuncupatur. Accidit enim plerunque in noſtro uulgari idiomate Græcum nomẽ notius eſſe latino, ut in urina, & locio deprehendi poteſt. Si uero ex corijs, & taurorum auribus fiat, gluten taurinum dicitur, nos uulgo collam garauellam uocamus: fiunt & glutinorum plura genera, ut ex pellibus anguillarũ, ex pellibus hædorum, ex caſeo, ex piſcibus pluribus, per

decoctionem talem quousque ferè liquescant, & glutina sunt. Tamen excellentissimum est ex taurorum, & boum pellibus ac auribus, quod Aristoteles libro de animalibus tertio animaduertit, ubi inquit, in omnibus corijs esse muccosum quendam lentorem, sed in aliquibus minor est, in aliquibus maior, ut in bubus sit maior lentor, propter id colla fit. sunt & alia genera apud nos ex farina. & aqua, ex farina aqua aceto & oleo, ex farina caseo & aqua, ex tragacantho, & alijs pluribus, quæ omittere decreui, ne in immẽsum crescat opus. tu in tua officina duo genera habere studeas, quæ ad rem medicam proficiunt, Gluten piscium ichthyocolla à Græcis dictum, & gluten absolute, quod glutẽ taurinum ab authoribus, à nobis colla garauella nuncupatur, qua nihil tenacius. Tu hoc genus taurinũ parare poteris Ferrariæ, & facile. At ichthyocollam Venetijs emes, ubi magna copia est. SE. *Audiui ex piscium intestinis collam piscis fieri. Id'ne putas?* BRA. *A quibusdam recentibus asseueratur. Ego autem ex corio dorsi. & uentre fieri uidi, quanquam & ex intestinis etiam parari nihil impediat.* SE. *Quo nomine piscis ille appellatur?* BRA. *Ichthyocollã nominari supra docuimus, cuius corium, uẽter, & omnes ferè partes glutinosæ sunt. Verum ex alijs pluribus piscibus fieri potest, immo ex omnibus, sed non ita tenax, quin & ex uitulorum, & taurorum, & maxime suũ pedibus à nostris quandoque colla quædam satis tenax fit, sed hæc alias dicentur. A Germanis gluten leim, ab Hispanis grudes, à Gallis colle nuncupatur. Ichthyocollam uero Galli collé de poisson, Germani fiscaleim. i. piscis collam uocãt, quæ uulgo colla garauella dicitur, à Cretensibus uulgo pezo colla uocatur, at piscis colla à Polonis ieszietrzi xliy*

nuncupa

nuncupatur. Glutina omnia uim siccam habere uidentur. calida autem, uel frigida sunt ut substantia ex quibus fiunt: Alia prosequaris. SE. De his gummi satis iam dictum est, mihi summe placeret, priusquã cœnæ hora incũbat, ossa percurrere, quibus in mea officina indigeo. BRA. Et ossa in officinis habetis? SE. Equidem, & quæ uarias compositiones ingrediantur. BRA. Eia tua hæc ossa exerant. SE. Ossa mea in me sint, & diutius tecta carne perseuerent. Alia solum prosequar.

DE OSSIBVS, QVORVM IN OFFIcinis usus est.

SE. Os dactylorum primum locum sibi uendicauit. BRA. Quid est os dactylorum? Ego nunquam in palmulis os inueniri didici. SE. Anima dactylorum. BRA. Adhuc grauius erras. Semen potius dicito. Nescio unde uenerit quòd uulgus nostrum omnia semina animas uocat, forte quia in medio fructus sunt, sicut animam in medio corporis esse arbitrantur, aut quia semine progenerãtur arbores. Quãuis autem in alijs semen dici posšit in palmis. Nucleum dicere consueuerunt authores, de quo in fructibus plene edocuimus. SE. Deinceps non os, sed dactylorum nucleum uocabo. BRA. Probe egeris, sed meliora ossa interim prosequaris. A Gallis os de dãites, ab Hispanis vuesses de Tamaras. A Germanis Datelkern. eadem significatione, à Cretensibus uulgo phinicocudo, à Polonis kostki, dactylo'ue nũcupatur. siccum esse ordine secundo cõstat, & in qualitatibus actiuis simile. SE. Os de cornu cerui sequitur. BRA. Et hoc æque os est sicut primum, nam cornua ab ossibus distincta sunt, quãuis cer

uinum ita solidum sit, ut ferè oßis naturã habere uideatur, sed ne in hoc esse sollicitus sis, nam quum Illust. Princeps Hercules Estensis, uenatorum optimus ceruos figet, mihi cornua impartiri curabo, quæ tua erunt. Illa autem habere ne cupias, quæ nonnullis annis mutant, quoniam nusquam & nunquam ab aliquo inuenta sunt, ut in prouerbium cesserit pro his rebus, quæ nunquam inuenire liceat. A Gallis os de corne de cerf, ab Hispanis yuesses de cuerno de cieruo, à Polöis rogu yebeniyzo roscz, à Cretensibus uulgo elaphu cherata. appellatur, frigidũ est in primo siccum in secundo. SE. Illustrißimo Principi, & tibi semper debebo. Os de corde cerui sequitur, quod si ab Illustrißimo Principe enancisci potero tibi, & illi immortales gratias semper habebo. BRA. Nec istud os est, sed ossea quædam cartilago, priusquam uero de hac edisseram, opus est cornu cerui ustum in officina habeas, ut Dioscorides secundo libro docet, sectum sit in assulas, & in ollam operculatam positum, luto circũlitam, donec albescat uri debet, postea ut Cadmia lauãdum multi hoc agentes pro spodio uendunt. Ad os in corde cerui redeuntes. Venetijs bubulum, aut uaccinum os quoddam uenditur, quod uero os est, etiam ingenti precio, pro osse de corde cerui. Ego duo corda cerui aperui, unum statim eo mortuo. Neruus quidam, aut cartilago neruea apparuit, non multum dura, in crucis modum, quæ nerui duritiem præ se ferebat, iterum aliud cor aperui per sex dierum spacium interfecti. Neruea illa cartilago durior ualde erat, & tẽsa, tali ferè figura, quasi Venetijs, os de corde cerui uenditur. i. os illud bibulum, uel uaccinum, quod pro illo uendunt. illius nerui uis apud antiquos non reperitur, minusq; in confortando, & roborando corde ualere

re arbitror. A Gallis os de cueur de cerf, à Cretēsibus uulgo cocalo tis cardias tu laphiu, à Polōis koſczſſzіercza iclenyego nuncupatur. SE. Blattæ biſantiæ ſequuntur. BRA. Nomen hoc blattæ biſantiæ, nec Arabum, nec Græcum, nec Latinum eſt, neſcio unde Serapionis interpres illud inuenerit. Quippe blatta eum uermiculū ſignificat, quæ à nobis tarma dicitur, pannos, & res alias corrodens, & blatta pro purpura accipitur, unde blatteus color medius inter album, & purpureum. forte biſantiæ dictæ ſunt, quia apud bizantium. i. conſtantinopolim colligantur, tamen quæ ibi naſcuntur probatæ non ſunt, ſed tantum quæ in India circa paludes, ubi nardus oritur, & oſtreæ illæ nardo paſcuntur, quæ etiā à rubro mari aduehuntur, præcipuam authoritatem habent, quin & Babylonia afferuntur. Apud Dioſcoridem unguis odoratus eſt, de quo ſecundo libro agit, capite decimo ſunt Conchyliorum Cruſtæ, & Conchæ, colore ſubcādido, quæ ad nos afferuntur, albeſcentes quidem aliquas habent Venetijs, ſed & nigras. Ratio eſt, quia Babylone Alexandriam, & Venetias portātur. Nigricāt Babylonici ungues, ut Dioſcorides cenſet. quos noſtri pharmacopolæ Venetijs emūt ungues, ex foſſa Clodia inuenta conchylia arbitror, quæ non ſolum non redolent accenſa, ſed plurimū fetent. Græci ſimplici nomine ὄνυξ. i. unguis uocant. Latini oſtracū uel unguem odoratum, laudarem ut non emeres, niſi odore probares, quia aliqui ungues Venetias afferūtur probati, calidi, & ſicci ſunt ordine ſecūdo à Cretenſibus uulgo Mathia tu cochilia dicuntur. Alia oſſa proſequaris, nam hoc ita os eſt, ſicuti caro os. SE. Nihil refert ex duritie oſſa appellari. Iamq; oſſium finis eſt. BRA. Tam paucis oſſibus utimini? SE. Non pluribus. BRA. Expe-

diet in propinquum illud castrum proficisci, ut tute, & quiete pernoctemus. SE. *Cito proficiscamur, ut cras sũmo mane surgentes ad fodinas properemus pro legendis metallis, ubi cuiuslibet generis portionem nobis necessariam sumemus.*

DE METALLIS, QVORVM IN OFFICINIS *pro re medica usus est.*

HER. *Meo labore frustrari uideor, quoties herbas, radices, aut semina prætereo. Nunc gestit animus, quoniam ut metalla effodiam, illius montis cacumen ascensurus sum.* BRA. *Arbitraris forsan ita euelli metalla sicut herbæ?* HER. *Ignoro. Audiui tamen homines diu excauare, quoad ipsa inuenerint.* BRA. *Inueniunt quidem excauãtes, sed terræ mixta, mox igne probantur, & à sordibus diuelluntur. Senex noster adhuc dormit.* SE. *Immo nuper experrectus quid cum* Herbario *loquebaris, audiebã. Citius quàm fieri poßit, illius montis cacumẽ superemus, ne solaribus radijs perculsi uramur.* HER. *O quot instrumẽta, quot machinas, quot caminos, quot homines, qui labori incumbunt.* BRA. *Omnia pro metallis parata sunt. Hic aurum euellitur.* SE. *Et hic purum, & defecatum redditur.* BRA. *Tibi purum aurũ hic emas. Quoniam principum ignauia, & innata quadam hominũ auaritia nunc obrizum illud. i. defecatißimum non habetur, sed omnes monetas adulterant, ut nulla nunc sit præter fraudem.* Veneti *etiam, quorũ moneta probatißima erat,* Scutos *(ita enim appellatur impuri auri moneta) cudere cœperunt, & omnes* Italiæ Principes *secuti sunt. Tibi ergo obrizum. i. defecatißimũ hic emas, ne ardentiũ aquarum*

rum ui,& ignitarum ab alijs metallis segregare cogaris,quãuis rarißimus sit apud antiquos eius in re medica usus. solus Plinius inter antiquos ad puerorum uulnera ualere censet,ut minus noceat. quippe multa sunt ad uulnera magis efficacia,sed aurum minus mordicat, fistulas sanat,& lychenas. Serapio,& Auicenna ad melancholicas ægritudines exhibẽt,in puluerem redactum,quos recentes ferè omnes imitantur. Arbitror ego ut melancholicis gaudium inferatur,pelui aurearum monetarum donandos esse. Ita melancholico humore potius priuabuntur,quàm auri puluere deglutito. Nempè de quibusdam medicis summopere miror, qui ut uires animales ægris augeant,& cor(ut dicunt)confortent,& exhilarent,aureas monetas inter capones decoqui iubent, ex quibus nihil aliud absumitur quàm multarum manuũ sudor,quæ ipsas tractarunt inhærẽs. Arbitrarer potius aurum pernitiosam naturam habere, ut cætera metalla: quia nihil aliud est aurum,quàm argẽtum uiuum purum condensatum,purißimam sulphuris partem actu recipiens. quamobrem aurum in honore habetur,quia gaudemus poßidẽtes,adeo stolidi effecti,ut rubram terram existimemus, & albam. nam argentum,& aurũ nihil aliud sunt, quàm terra rubra,& alba. Argentum enim est uiuum argentũ purum,condensatum sulphur potentia mixtum habens, quod ex hoc deprehenditur,quia si tractetur, Sulphuris odorem spirat,non est autem actu, alioqui auri colorem habuisset. Et hoc etiam purum,hic emes, quoniam maxima Italiæ Principum discordia,argenteas monetas adulterari fecit,& ære ad quandam normam miscẽtur, quod etiam Veneti in suis perfectißimis monetis fecere. Hæc autem alias deploranda sunt. futurum autem speramus,

ut monetæ in puram metallorum perfectionem reuertantur, ut sub diuersis Imperatoribus factũ esse annales testantur. Aurum à Gallis or, ab Hispanis oro, à Germanis gold, à Polonis zloto, à Cretensibus uulgo chrisaphi nuncupatur. Germani uero argentum silber, Galli argem. Hispani plata. Poloni szrebro. Cretenses uulgo aßij uocant, & aurum, & argentum frigida, ac sicca existimantur aqueæ naturæ. Aurum tamen minus frigidum est ob sulphur quod actu mixtum habet. SE. Calcecumenon sequitur. BRA. Quid illud est, quod calcecumenon dicis? SE. Aes ustum. BRA. Vocabuli corruptio fecit, ut intelligere non possem. Quippe dicendum erat chalcos cecaumenos. i. Aes ustum, de quo Galenus propè finem noni libri de simplicium medicamentorum facultati. tractat. & Dioscorides quinto libro. Aes notißima res est, & quomodo aduratur, norunt omnes. Ex eo adustum serua, & quam uos æris battiturã nũcupatis. Græce λεπὶς χαλκοῦ. Latine squãma æris dicitur. Squãma ex malleorum percußionibus decutitur, quæ duplex est, lota, & non lota, lauandi modum Dioscorides quinto libro ostendit. Pari modo, & ferri squãmam, & chalybis squãmã, & æris, ferri, atque chalybis scoriam in officina habere oportet. Est autem scoria latine recrementum uulgo cacaturam appellatis. Decipiuntur qui scoriam dictam putant quasi corium, ut squãmulæ sint, quæ ex percußione eleuantur, quoniam illæ propriè squãmæ dicũtur, & Græce λεπίδες. Nec plumbi scoriam despicito, immo, & ustum, & nõ ustum plumbum seruato, & ustum ablutum partim, partim non ablutum sit. Quomodo hæc fiant, à Dioscoride luce clarius edocemur, inter squãmas, partem squãmæ æris subtiliorem, quæ in superficie est, & craßiorem serua.

ua.

ua. Craßior pars proprie squãma dicitur, subtilior stomoma dici potest. Et adde æris stomomatis squammas esse squãmas æris iam laborati, ac roborati, & densati. Nomen etenim hoc stomoma, & de ferro, & de ære dicitur, ut apud Dioscoridem uidere licet. At rarius de ære frequentißime de ferro, ob metalli densitatem scriptũ reperitur. Squãmæ quæ ab his abducuntur, cũ prius uel in mucronem, uel in aliud instrumẽtum elaborata sunt, dicũtur squãmæ stomomatis æris, uel stomomatis ferri. i. æris laborati uel laborati ferri. Præter hæc æris florem habere curabis. Græce χαλκοῦ ἄνθος dicitur. Decipiũtur qui æruginem æris, florem æris putant, qui error plurimum est pharmacopolarũ, sed nihil hoc referret, nisi & probatißimi uulgo medici cum eisdem sentirent, maximo ægrorum incõmodo. Est autem flos æris, ut Dioscorides inquit, & Plinius libro. 34. capite. 11. id quod sponte fuso ære, & in alias fornaces comportato cum flatu crebriore, excutitur ueluti squãma, sed uidetur tãquam granula, differt uero à squãma, quia ipsa fit dum æs percutitur, sed sponte prosilit flos. Optimus est flos friabilis, & qui rufescit in attritu, & exiguis granulis ueluti grana milij constat. Ex ære præterea æruginem habere studeas, quæ à recentibus uiride æris appellatur. Apud Dioscoridem & Plinium præ citatis locis, quomrdo fiat uarijs etiam modis edocemur, & de naturali, & de ærugine rasili, & scoletia, & usta, & non usta. Tu hos authores considera, ni piguerit: non enim opus est, quæ ab illis exquisite dicuntur, enarrare. Præter æris æruginem, quæ à Græcis dicitur ἰὸς ξυστὸς, à nostris uulgaribus uiride æris, præterea ferri æruginem habere studeas, & chalybis, quamuis nihil aliud chalybs sit,

quàm

quàm depuratum, & defecatum ferrum, arte fit, si natura perfectum non sit. Eos etiam derideas, qui æruginem plumbi haberi uolunt, ut quidã amicus noster in foro absque ratione contendens. Nam plumbum (ut philosophi docẽt) ærugine penitus caret. Reliqua prosequaris. SE. Ex his quæ meo ordine in hac schedula digesta sunt, plura inter loquendum enumerasti, quæ ab Herbario prætermissa non sunt. HER. Nihil ego prætermisi, sed ipse aliarũ gentium nomina edocere desijt. BRA. Mente exciderat, tot simul confuderamus, tamen ne laborem subterfugere uidear. Plumbũ ustum, à Germanis bleigebraad, à Gallis pblong brule, à Cretensibus uulgo moliui caimenan, à Polonis palonij oloru nuncupatur. Germani uero kupfer schlag batitturam æris, & Poloni troski mijedziant uocant. Flos æris à Gallis uert degris, ab Hispanis cardenillo dicitur, à Polonis flos æris grmsz pau uocatur. SEN. Argentum uiuum sequitur. BRA. Hydrargyron à Græcis, quasi aqueum argentum dicitur, à Romanis ex motu uiuum argentum, nũc in maximo usu est pro Gallica scabie sananda: De eo prius dicendum erat, quoniam fomes, & materia omnium metallorum sit. In Hermolai Barbari sententiam inclino, quod argentum uiuum minerale, et naturale sit, Hydrargyrum arte factum. Tamen apud authores tam Græcos, quàm latinos nomina confundi inuenio. An calidum, uel frigidum sit adhuc certant authores & lis sub iudice est. Nos rem probe suo loco aperiemus, quod etiam uenenum sit contendunt. Recentes ex Dioscoridis, & Plinij sententia, non animaduertentes dici uenenum esse suo pondere, non aliqua letali qualitate: Nos infantibus ui uermium semimortuis exhibuimus, & illico sanati sunt, idq; in ultima desperatione. SE. Absurdum

uidetur per os uiuum argentum exhibere, quia letale uenenum est, nam omnia exedit, quæ illum ingrediuntur, & illa in quibus continetur, demptis argento, uitro, & plumbo. Et errant, qui per os dant in scabie Gallica graui sumentium periculo, Et eadem sequuntur, symptomata ad uiuum argentũ, quæ ad Lythargiriũ, ut antiqui testantur quæ plena sunt magni timoris, et si aurũ prohibes, cur potius uiuum argentum non prohibes? Et Galenus recenset hydrargyrium inter uenena, quorum modica pars necat, nosq; uidimus ex hoc argento uiuo non esse curatos homines, sed in sese incurrisse, symptomata. BRA. Ingenium tuum laudo quod per simplicia medicamenta, ita discurrere didicerit: At tibi respondemus, non esse letale medicamentum, si in paucissima copia sumatur, in qua tamen agit, sed per uentriculum, & intestina facillime discurrit, neque dãdum est nisi in ultima desperatione, cum alia omnia non contulerint. Nos in deploratis iam puerulis dedimus patribus, ac matribus annuẽtibus, & ex uoto semper successit. An tu exhibeas, uel non exhibeas, neque suademus, neque magnifacimus. Adde carnem humanam non exedere, neque intestina, sicuti neque argentum, neq; plumbum exedit, immo neque lignum, neque corium per quod tamen transit, & eliquatur. Adde in parua copia sumptum lythargyrium non lædere. Et aliquam inter ipsum, & lythargyrium differentiam inueniri. Neque aurum prohibeo, sed dico ex coctura in iure nihil accipi, et uires cordis non roborare. Præterea Galenus experimentum lythargyrij non fecit, ut ipse met, nono de simpliciũ medicamentorum facultatibus notat: Et quamuis de fictitio loqui uideatur, tamen neque unquam de naturali meminit se experimentum fecisse. Nos uero experti sumus

non interficere, & si uideris homines ex uiuo argento nō esse curatos, fuit error præbentis, qui & corrigere, & administrare nesciuit, quando opus erat. Pulchrum *id est si quid referamus quod experientia comprobatum nouerimus, statim alienis experimentis non credis, uisq; alios his quæ uidisti acquiescere:* In *summa igitur in uermibus experiatur, cui multa experiri cura est, idq;(si lubet) in beluis experiatur, ut nos in* Illustrißimi Ducis *nostri equis, cum ex uermibus integra armenta morerentur, illico cum per hos hydrargyrium præbebatur, uermes necabat, & equi qui iam iam expirare uidebantur in sanitatē reducebat.* Quatuor *argenti uiui genera apud authores, & re ipsa quam sequor inuenio, unum scaturiens sicut ex fontibus aquæ, quod à* Plinio *cap. 6. lib. 33. perpetua uomica dicitur, & hoc est in frequentißimo usu.* Aliud *quod inter metalla reperitur.* Tertium *quod ex minio fit.* Dioscorides *modum quo fiat. 5. lib. ostendit, &* Plinius *lib. citato ca. 8.* Quartum *quod ex marmore fit, ut* Victruuius *lib. 7. suæ architecturæ demonstrat.* Ex *minio facto, aliaue, re, non uterer, sed naturali tantum, quod est perpetua uomica.* Mira *in scabie* Gallica *uidentur, totus morbus ad os repercutitur, & qui deplorati ferè sunt, sanantur.* Modo *is qui medetur parare sciat, ut patientis constitutioni, ætati, morbo, & uirium intensioni, & anni tēporibus quadret:* sed *improbi quidam tonsores nunc prodeunt, qui similes illi sunt, qui omnes uno calceo calceare instituerat.* Ita *hi uno medicamento omnes sanare cōtendunt, magno ægrorum discrimine, nempe plures interficiunt, quàm sanent, quum nullus ferè non sanetur: sed ad rem nostram redeuntes, purgat ab omnibus metallis aurū, & omnia præter aurum illi innatant.* Aurum *descēdit utpote grauius,*

&

& statim liquescit, nihil mirabilius eo opere, quum aurifices pateras, lances, aut maluuia inaurant, argentum uiuũ auro miscẽt, corpus ueluti pasta redditur, ut facile supra pateram, aut maluuium extendatur, mox igne apposito, argẽtum uiuum euanescit. Aurum adeo inhærere inuenitur, ut nulla ratione seiungi poßit, nisi compositione altera, quam fortem aquam uulgo appellant, uel aqua da partire: Ea enim nũmularij, & aurifices ad segregandum aurum ab argento, & alijs metallis utuntur. SE. His multa symptomata contingunt, qui ex hydrargyrio inũguntur. BRA. Arbitror, aut te nunquam uidisse ex hoc linimento inunctos, aut praue inunctos tibi uidere contigisse. À tempore quo hanc artẽ exercere cœpi, quod fuit. 1520, Iußi, ut ex hydrargyrio plusquã mille quingenti homines delinirentur, neq; de tam magno numero mireris. SE. Nõ miror cũ sciuerim quantam uirorũ copiam sub medica tutela Ferrariæ habeas. BRA. Tamen neque unum referre scirem, qui sanitati restitutus non sit, uno symptomate solo deprehendebantur, oris .s. excesionem, uerum in præsentiarum nostra industria (absit iactantia) modum inuenimus, ut inungantur, & os nulla offensa corripiatur. Cum Ferrariæ erimus, si ad ægros curandos mecum accesseris mira tibi ostendere potero in deploratis ex hoc morbo, cum linimento ex hydrargyrio secundum uarias temperies, immutato. En, non'ne uenena sunt scamonium, colocynthis, peplion, & alia multa, quibus tamen utebantur antiqui & præparatis? inuentis semper uti non habes. sed miserimi ingenij est apud Boetium semper uti inuentis, & nunquam inueniẽdis. Antiquos perpetuo obseruare statuimus, noua tamen non despicimus: Ex Germania facile argentum uiuum ex perpetua uomica habere poteris

ris, uel etiã inter metalla inuẽtum: Quæ autem arte fiũt, omittas. In hoc autem uerum mihi spõte aperias: Qui pluri uiuo argento utuntur, medici, an aurifices? SE. Hos archimystæ superant in immensum. BRA. Dij boni adhuc suum Mercurium congelare quærunt? SE. Et nunquam deerunt, adeo ingens auaritia, & dira habendi cupido hominum mentes perturbat. BRA. Galli argent uif, Hispani azogne, Germani queckfilber, idest uiuum argentũ, Poloni vzthacz, Cretẽses uulgo diargyron uocant. SE. Cerussa sequitur. BRA. Et hanc inter uenena numerant: fictitia res ẽ Cerussa, à Dioscoride lib. 5. & Plinio lib. 34. cap. 18. & Vitruuio. 7. suæ architecturæ modus conficiẽdi edocetur. Præ omnibus autem Serapio ad unguem conficiẽdi modum ostendit, cap. 378. Nos uulgo biacam ab albedine uocamus. Decipiũtur qui cerussam æruginem plũbi faciunt, quoniam plũbum ærugine caret, tamen ex plũbo, & aceto fit, propterea, à Germanis pleivveis, idest albugo plumbi, à Gallis Latine Ceruse nuncupatur. Ex cocta, & cruda unguentum paratur. Olim Rhodia probatur & Corinthiaca, nunc opus non est Germaniam transire, immo sunt, qui Venetijs parent. Ita parandi modus apte ab authoribus ostenditur. Mulieres Italæ plures pro fuco cerusa utentes, halitus fœtorem incurrũt, & dentium putredines, & ante tempus facies uniuersa rugis aratur, à Cretẽsibus uulgo blagetto, à Polonis blaijuass dicitur, frigida, & sicca est ordine secundo. SE. Lithargyrium sequitur. BRA. Apud recentes authores duplex lithargyrium inuenitur, auri. s. & argenti. Auri lithargyrium dicitur ex colore quem habet, à Latinis, spuma argẽti uocatur, ut Plinium legenti cap. 6. lib. 33. apparet, qui eadẽ sub spuma argenti, quæ hic à Dioscoride sub lithargyrio

scribit

ſcribit. Tres lithargyrij ſpecies apud authores inuenio, unam ex molybdite arena, ideſt plumbari: alteram ex argento, tertiam ex plumbo. Modum faciendi Plinius præcitato loco, & Dioſcorides. 5. lib. docent. Nos flauam ſpeciem frequentem habemus, quæ à Dioſcoride chryſitis ex colore nuncupatur, & omnibus præſtat: habemus & albam ex ſicilia allatam, quæ ob colorem argyritis dicitur non quia ex argento ſit. nam ea quæ ex argento eſt cælauritis appellatur, unde frequētiſſimas habemus has duas ſpecies albam, & auream, ſed potiſſimum aurea abundamus. In qua multi decipiuntur, ex auro fieri putantes, nam aurea dicitur ob colorem quem habet auro fuſo, & in globum ducto, ſimilem. propterea à Dioſcoride chryſitis dicitur, nos uulgo lithargyrum auri, nomen ferè Græcum imitantes: Differunt tamen lithargyrum, & argylolithon, quamuis nomina idem ſignificare uideantur, quia unum lapidem argenteum, alterum argēteum lapidem importat: tamen primum ſpuma argenti eſt, alterum lapis, qui & à chymiſtis aphroſelenon nūcupatur: Probatiſſimū eſt aureum lithargyrum, & cætera uiribus antecellit. Nō mihi tempero, quin laudem illos Arabes, qui lithargyriū faciunt plumbum in argētarijs fodinis uſtū: Dicant quodcunque alij authores, quod uidimus, ita eſt. Laminis plumbeis tegunt argentum in fornacibus, poſtea ignem frequētant, nonnihil ueluti ſpuma fit liquefactis plumbi laminis, quod ferreo quodam baculo in unum colligunt. Id lithargyrum eſt quo utimur, & chryſitim dictum, unde non ab re ſpuma plumbi, à quibuſdam Arabibus dicitur, Galli literge, Hiſpani albayalde, Germani glett, Poloni gleyth uocant. BRA. Galenus in actiuis illud temperatum facit, & ordine ſecundo deſiccans. SE. Marchaſita ſequitur.

BRA. Pyritem lapidem. Plinius lib. 36. cap. 29. eam appellat, & .5. lib. Dioscorides: Duplex reperitur, una colore aureo, altera argenteo, quæ argẽteo colore est, à nobis frequentißime habetur. Alteram quandoque etiam habemus: lapis est, ex quo æs extruditur, probatur, qui facile percussus scintillat, & æri maxime similis: Modus cremãdi apud Dioscoridem, & Plinium idem est. Ad discutiendum, & exiccandum maxime ualet, ut nonnunquam pannos aliquos ex ui morbi Gallici in inguinibus factos per totum corpus discutiat imperitis medicis applicantibus, ut exiccent, quum potius materia Gallici morbi extrahẽda sit, ut exeat. Pyrites dicitur, non quia alij lapides non sint, ita uocati, et Ignarij, sed ob excellẽtiã celeritatis scintillandi. Immo & corallium pyritis dictus est. Plinio eodem loco teste. Quandoque frusta alijs densiora, & ponderosiora inueniuntur, hoc maxime ignem emittit. Magnificus Comes Galeazus Tassonus, in Apennini alpibus mõtem habet, in quo huius lapidis ingens copia reperitur.

Certus sum ibi mineras aliquas subesse, si quis profunde defodiat. Ad rẽ nostrã Pyrites quandoq; argentũ habet, quãdoq; æs, quãdoq; utrunq;, quãdoq; nihil habet, & adeo sterile est, ut nullum metallũ ex se admittat. Scitoq; eum Pyritem ex quo fit æs, aureum appellari, album uero argentum, quia ex ipso argentum fit. SE. Argentum ergo ex marchasita excuditur? BRA. Excuditur omnino. SE. Nullus antiquorum hoc monuit. BRA. Nullus quem nouerim, de qua re multum miror, ut id credere coactus sim aut antiquos ignorasse, aut de hac re scribere noluisse, ut pote præ sensu constare uideatur. hoc autem in Germanicis fodinis manifeste deprehenditur, & Pannonicis, quod etiam in suo Bermano Agricola scriptum reliquit. Immo

addit Pyritem inueniri aurei penitus coloris, è quo aurũ detruditur. Nos huius frustum habemus. Inuenitur & similis Galenæ pyritis, & cineritius, quæ tria genera multum solida non sunt. In Silesia uarijs partibus inueniũtur: miror autem de Alberto, qui è marchasita nullum metallum detrudi posse fateatur. Ipse forte in sterili pyrite expertus est, propterea in omni ita esse arbitratus est. Nam apud Arabes ex marchasita, apud Græcos ex pyrite, quæ idem sunt, æs detruditur. Vnum est in quo Serapionis codicem corrigere oportet. Dioscoridem adducit hæc uerba proferentem. Eligendam esse marchasitam, quæ quando ponitur in ignem saliunt ex eo scintillæ facile: Dioscorides autem id nõ dicit, sed εὐκαιρῶς δὲ σπινθῆρας ἀφίεντου, ideſt qui facile percussus scintillat. Non autem puto deceptũ esse Serapionem, sed interpretem errasse. Ibiq; legendum, & quando percutitur saliunt ex eo scintillæ facile. Mesue hũc lapidem stellatum uocat, quoniam ut stellæ radiat, præsertim si ante solem ponatur, aut aliã lucẽ, & lapidis stellati duas species enumerat. Altera est marchasita argenti, altera lapis lazuli, adeo clare loquitur, ut de excellentissimo quodam uiro mirer, qui Chaos esse dicat, præsertim quia in eadẽ minera, quandoque lapis lazuli, & marchasita inueniuntur, & ex radiorum emissione, hoc nomen stellatum sortiti sunt, quoniam & lapis lazuli aureas maculas habet, apprime splendentes, ut uiderim Ferrariensem sculptorem celeberrimum Franciscum Anedinum, qui in lapide lazuli cicindellam finxerat miro artificio, ut cauda accensa in fine uideretur, nam in maculam auream terminabatur, mirum artificis ingenium. At quia hoc nomẽ Aster, græce stellam significat, & Samiæ terræ speciem comprehendit. propterea

L Mesue

Mesue Mastigi placuit. Mesuem de Astro loqui, qui est Samia terra, ac si nihil aliud, quàm Samia terra Aster appelletur, quum tamen Plinius capite decimoquarto libri 37. de gemma stellata pertractet, quæ ponticarum gemmarum unum genus est, & quæ nunc sanguineis nunc atris guttis aspergitur, & inter sacras habetur, quũ uero Mesue lapidẽ stellatũ dicit, uel in Hebræo Mesue legimus, lapidẽ splendentẽ, forte suo Idiomate illos duos intelligit, maculas habentes, quæ splendorem faciant. propterea non erat adeo temere culpandus Mesue, quia constet (ut dicit) lapidem lazuli, & marchasitam diuersa esse, immo si tu recte perpendas in eo splendore idem sunt. Minus credendum est recentibus, ut Pandectario. qui marchasitam marmor esse contendit. Quum in Mesue legitur esse de genere marmorum, legendum est de genere lapidum, & non de genere metallorum (ut quidam dixere) & hoc propter marchasitam quæ inter lapides numerari debet, quum metallum esse uideatur, ideo non contẽtus quod ipsam splendentem lapidem, aut stellatum uocauerit, ad pleniorem efficaciam addit esse de genere marmorum idest lapidum. A Polonis marnezit uocatur. Auicenna calidam in secundo, & siccam in tertio illam facit. Et Galenus profecto calidas actiones illi attribuit, sed an calida sit, tu contra. SE. *Lapis lazuli inuenitur'ne apud antiquos?* BRA. *In re tam certa tanquam explorata dubitas? Quis nescit adeo pulcherrimum lapidem antiquioribus notißimum fuisse? A Dioscoride quinto libro, & Galeno nono de simplicium pharmacorum uiribus Cyaneus appellatur, à latinis autẽ ceruleus. Sed quidam Leonardus qui de lapidibus agit, ita hunc lapidem nouit, sicut omnes alios, nescio an aliquis ineptius de aliqua materia*

scripserit,

ſcripſerit, hic bonus uir Cyaneum, & cæruleum duos lapides eſſe arbitratur, tamen eiſdem uerbis in utriſque enarrandis, utitur. Plinius capite ultimo libri. 33. Cæruleum arenam eſſe ſcribit. tamen & lapis eſt Dioſcoride teſte. Theophraſtus animaduertit quum teritur, in quatuor colores immutari, quod & Plinius refert, candidiorem, nigriorem, craßiorem, tenuiorem. Denique Arabum lapis lazuli, eſt cyaneus græcorum, & latinorum cæruleus recentes in marem & fœminam diſtinguunt, Antiqui in perfectius, & in imperfectius, Serapio perfectißimum colorem cyaneum habentem probat, & guttas aureas admixtas, quique alterum lapidem mixtum non habet, nec facile frangitur. Vos pharmacopolæ hunc lapidem imperfectißimum habetis, quippe cui eius color deſit. Dioſcorides enim probat ſaturatum colore ſui nominis. Additq; in Cypro ex ærarijs metallis fodi, & eſſe perfectius quod ex arena litorali. Tu an in his fodinis habere poteris, experiaris ex ipſo, color ille exquiſitißimus ſit cyaneus, quem uulgo azurrum ultramarinū nuncupamus. i. (ut arbitror) magis intenſum quàm color marinæ aquæ. tamen & ille color ex terra etiam ita appel lata ſit, ſed qui ex hoc lapide, cæteris magis floridus eſt. Miror, & hic de Excell. quodam uiro, qui Meſuē legens dicentem hunc lapidem melancholiam educere, eo reprehendat, quia hoc à Græcis non dicitur, ac ſi neceſſarium ſit nihil noui inueniri, niſi à Græcis prius dictum ſit. Verum quum lapis lazuli eaſdem uires habeat cum armeno, in lapide lazuli autem fortiores ſint: propterea Serapio de lapide lazuli tractans, lazuli uires, ideſt cærulei Galeni, & armeni una commiſcuit, ut utriſque eaſdem uires ineſſe oſtenderet, quum & colores in idem inclina=

re uideantur. SE. Quum de hoc lapide sermo inciderit, non erit ab re ipsum quærere. BRA. Ne conteras tempus, quia in Armenia solum inuenitur. Mihi frequentissime uirides lapides pro armeno pharmacopolæ ostenderunt, qui armeni non erant, quem tamen potius habere optarim, quàm cyaneum. Nullus est Ferrariæ, aut Venetijs, qui uerum habeat. Leuis esse debet cæruleus, quàm planissimus, friabilis, sine arena. Plinius uiridem in cyaneum inclinantem esse monet. Nõnulla lapidis lazuli frusta armenum esse arbitrarer, si friabilia inuenirentur. Inter floridos colores numeratur, quos dominus fingenti præstat. Plinij tempore terra inuenta erat in Hispania, & nunc quoque habetur, quæ eundem colorem repræsentat, & uili precio uenditur. Optarim ut haberetur, tamẽ eius loco chrysocolla (ut Dioscorides inquit) uti possumus, marchasitam, & Galli marchasites nuncupant. Lapidem uero lazuli, pierre dasur. At Germani Pyritem, ut marchasitam kisz uocant. sed suis nominibus postea distinguunt, argenteam, & auream. Nunc armenum lapidem habemus, & ex armenia allatum, & ex Germania, & partim chrysocollæ mixtum. Non est adeo uerendus usus lapidis lazuli, ut Auicenna ueretur. nam in compositiones redactus, modestissime, & absque aliqua noxa educit, nisi quis copiam uoraret. SE. Argentum sublimatum sequitur. BRA. Nusquam apud antiquos sublimatum repperi, quod nunc sciuerim. Albucasis inter recentes, quem tu optime nosti, ex Calcantho, argento uiuo, & aceto fieri docet, nunc ut uehemẽtius fiat, salem armoniacum addunt. Venetijs paratur, ibi emere poteris, quanquam & tu ipse pro tua officina Ferrariæ parare nihil impediet, sed à fumo cauendum est, quo multi incauti interempti sunt,

sunt, alij mutilati, alij attonito morbo quem apoplexiam uocant correpti. Vtinam hoc uenenum in lucem nũquam prodijsset, plura facit incommoda, quàm commoda, nihil est æque inter simplicia uenenosum, quod semihora, & minori spacio exedendo interficit. nam omnia intrinseca, & præsertim præcordia uelut ignis urit. Linguæ apice quandoque sublimatum tangens ut eius gustum sentirem, intumuit protinus lingua, ut extreme refrigerantibus uti opus fuerit. casu inuentum est. eo mulieres Italæ nonnullæ se fucant, colorem album reddentes, sed maximo dispẽdio, utpote quibus breui dentes marcescant. halitus male oleat, oculi caligent, rugosæ efficiantur, morbo attonito corripiantur, & in repentinam mortem festinent. Olim ad morbi Gallici medelam in magno erat usu, nunc desiit, & uiuum argentum eius loco receptum est. Eius decoctum in modica etiam quantitate scabiem præter noxam tertia die sanat. Alphonsinus Trottus eques Magnificus eius rei testimonium exhibere potest, qui ut uir est ingenij sagax, ita multa experiri indies tentat. Smegma etiã odoratum idest saponem parare soleo, quo præter suspitionem aliquam, qui eo deliniuntur à scabie tertia die ad summum liberantur. Hoc experti sunt non semel magnifici Nobiles Alphonsius ziliolus, & Andreas Archius comes faecundissimus. ab Hispanis Solimam nuncupatur, sicut & à nostris mulieribus sulima, à Gallis argent sulime, à Cretensibus uulgo suluma, à Polonis rztexcz biala palona. SE. Minium sequitur. BRA. Res pluribus ignota, etiam celeberrimis uiris, qui de ipso scribunt, quũ nihil uiderint, aut experientia didicerint. Plures miniũ, & cinabarim confundunt, quum à Dioscoride plurimum differre ostendatur. minium duplex est, natiuum florido

colore insignitum, & factitium, in uiui argenti uenis gleba ἄνθραξ nuncupata effoditur subrusso colore, quæ circa se rubrum puluerem habet, hic puluis uerum minium est, & forte apud antiquos in magno honore, quo Iouem miniabant diebus festis, & triumphantes solus Vitruuius septimo libro suæ Architecturæ huius meminisse uidetur, quum Dioscorides, & Plinius minium fieri tradant, ex lapide argentariæ arenæ mixto, quamuis Plinius natiuum quodãmodo adumbrare uideatur. Rubinos (quos carbunculos uocat) eodem loco fieri dicẽs. Sed hæc aliud tempus expetunt. Tu hæc pro ueris, ratisq; habeto. Minium natiuum et factitium inueniri. natiuum in usu non uidetur, forte quia paucum, & in magno precio, factitium id est, quod in officinis habetis. SE. Natiuum arbitrabar, quod uendimus. BRA. Factitium est ex accensa harena coccinea argẽtariæ harenæ mixta. In primis autem pluribus loturis lauant, & alijs rubris adulterant. Probatissimum minium, quod igne fit, guttas argenti uiui mixtas habet, antequam colorem per uim ignis acquirat. Hæc ex uisu dicta sunt nobis, et nõ auditu. Vidimusq; Venetijs adulterari rubrica quadam simul mixta. Optimum minium ita deprehenditur, si supra candens ferrum positum ignescat quidem, sed nõ uratur (nisi pro minima parte) nec colorẽ amittat. Ferrariæ ex uarijs generibus periculum fecimus. Nonnulla minij genera non urebantur, & suum colorem seruabant, alia nigra efficiebantur quibus erat admixta rubrica. SE. Audiui cinabarim apud antiquos idem esse cũ minio? BRA. Surda aure audire debebas, quoniam diuersa sunt, ut Dioscorides censet. SE. Quod nos uulgo cinaprium appellamus, non'ne est antiquorum cinabaris? BRA. Nequaquam. Cinapriũ

etenim nostrum ex sulphure, & argento uiuo arte fit Venetijs. antiquorum uero cinabaris apud Plinium capite septimo libri trigesimitertij, est sanguis draconis ab elephante elisi, cuius Dioscorides in metallis meminit, nõ asserit autem, sed ita ferri dicit. Pliniusq́; eundẽ sanguinem ab illa gente appellari cinabarim tradit. Nec admiratione afficior quamuis cinabarim idem cum minio esse censueris, quoniam & Plinij tempore medici decipiebantur, minium cinabarim esse arbitrantes, quia eo nomine tũc appellabatur. At cinabaris in multo medico usu erat quum minium uenenum sit. SE. *Ex his nõdum accepi cinabarim.* BRA. *Quid sentiam uno uerbo expediam, & si ab authoribus cinabaris inter metalla numeretur. tamẽ de ipso tanquam de re ignota loquuntur, ideo nõ possum aliud agere, quin suspicer Cinabarim esse sanguinem draconis à nobis nunc appellatum, idest guttam illam, uel lachrymam quam in officinis habetis, & sanguis draconis dicitur, non id quod in rotulas conficiunt, quod me in hãc suspitionem duxit, est eius color, qui in nostro hoc sanguine draconis profundus est, ut de colore cinabaris Dioscorides scribit, & eo pictores utuntur ad fingendũ sanguinem, nec in uili precio est, non diu est quòd Venetias portatur. Nec dico esse draconis elisi sanguinem, sed lachrymam arboris. Plinius incerte illum tractat. Nos hoc nouimus & experimentis comprobauimus, adde id non esse, quod ab Arabibus describitur, succum scilicet quartæ speciei sideritis, quæ à nostris rusticis millefolium dicitur. Apud medicos, & pictores, & hæc, & factitia cinabaris in magno usu sunt, & præsertim sanguis draconis uocatus, qui lachryma est nec multa copia Venetias affertur.* SE. *Gaudeo prius quàm moriar plurima disce-*

re. BRA. *Minium ab Hiſpanis, & Gallis noſtro nomine, à Germanis menig uocatur. Cinabarim uero Galli uermylon. Germani cinober. Poloni cinobr. Cretenſes uulgo cochinauari appellant.* SE. *De his quibus in officinis utimur ad mineras ſpectantibus ſatis dictum eſt. Lapides ſequuntur in meo ordine, quorum uſus eſt in uarijs compoſitionibus apud medicos. Venetijs mihi emam cinabarim: Minium hic utrunque colligam & factitium, & natiuum, quamuis exiguum uideatur.* BRA. *Non erit ab re lapides recenſere, priuſquam prandij hora incũbat, quorum partem in mineris partem in his mõtibus inuenies.* SE. *Et tempeſtiua hora adhuc eſt, nec Herbarius laßitudine premitur.* HER. *Per duas horas adhuc uobis inſeruiam, poſtea prandendum erit, quippe os uentriculi iam fame titillare cœpit.*

DE LAPIDIBVS, QVORVM APVD FERRARIENſes *pharmacopolas uſus eſt.*

SE. *Nunc lapides enumerare incipiam.* HER. *Quid moraris?* SE. *Nondum locum inueni, ubi ordine digeſti ſunt.* HER. *Pone conſpicilia.* SE. *Heri neſcio quo loco amiſi.* HER. *Et uiſum ſimul amiſiſti? En ſiniſtra pagina lapides ſunt.* SE. *Non poſſum abſque uitreis oculis legere. Tu hunc libellum Herbarie ſume, & meo munere fungaris.* HER. *Et tu bipallium, ſacculum atque peram humeris apponito.* SE. *Id aſello cõdonetur.* HER. *En tuos emißitios oculos in herba reperi, atque ſeruaui.* SE. *Nihil mihi gratius, nunc lapides optime intueor.* HER. *Quomodo prius ambulabas, ſi lapides uidere non licebat? Miror cur frequenter non ceſpitaueris.* SE. *Iocaris? Ego*

ſcriptos

scriptos lapides intelligo. HER. Pingũtur potius, quàm scribantur lapides. SE. Cauillari desinas, primus lapis qui occurrit, Perlæ sunt. HER. De lapidibus tractaturus à re quæ lapis non est incœpisti. BRA. Forte nō ab re, quum ab Arabibus inter lapides numerentur. SE. Nō multum refert quo genere disponantur, modo quid sint addiscamus. BRA. Græci in re medica raro margaritis utuntur. ita enim appellant nō perlæ, & à latinis uniones dicuntur, non ut aliqui opinantur, quia una in una cōcha tantũ sit, sed ut inquit Plin. li. 9. c. 35. quia nulli duo reperiũtur indiscreti. Quippe Albertus magnus plures una cōcha inuenisse fatetur. Et qui per indicã nauigationẽ fecere Lusitani, centũ triginta uniones una cōcha capi testantur. Nos Venetijs una concha septẽ inclusos uidimus. Conchæ carne modicũ exiccata, Margaritæ suam maturitatem habent, & senio crescunt, antequam maturæ sint, si à conchis eximantur, breui corrumpuntur. Maturæ facile defluunt, quinque notis probantur, candore, magnitudine, orbe, leuore, pondere, ut nihil æque sit indignius homine, si Margarita nũcupetur. Nempe unaquæque illarum proprietatum ab homine quicquã demit, & in ipso imperfectionem significat nostro uulgato idiomate. Tamen mulieres nostræ alijs blandiri solent hoc nomine Margarita, aliquem aut aliquam perlam uocantes. Ex Indico mari ad nos afferuntur probatissimæ, & etiam ex Britannico, quod nunc uulgo Anglicum, & Flandricum uocatur, Diuersitas colorum, & turbulentiæ in ipsis ros est, ut Plinius refert, quem capiunt, quando in Venerem accenduntur suo anni tempore: Hoc genus cōchæ ex quo Margaritæ sumũtur, ab incolis Berberion, & berberi appellatur, inter epulas gratissima est illarum caro. Arabes

cor à Margaritis cōfortari, & roborari prodidere: quippe Arabes medicinarum ex unionibus inuentores sunt, quamuis & Plinius nonnihil meminerit: Venetijs pro tua officina integras Margaritas emes. nam in puluerem redactæ, & uires amittūt, & facile adulterari possunt. SE. Quum in receptis (ut inquiunt) perforatæ, & non perforatæ Margaritæ scribuntur, quid intelligendū est? BRA. Aliquæ Margaritæ sunt, quæ natura perforatæ inueniuntur, aliæ arte. quando perforatæ despiciuntur, eæ sunt, quæ natura foramen habent: nam aliquo malo affectu acquisiuere. Tamen non perforatæ simpliciter probatiores sunt, quamuis quæ arte perforatæ sunt despicere nō oporteat: hanc distinctionem nullus Græcus, aut Arabum posuit (quam legerim) sed recentes in causa fuere, qui in ordinādis apud pharmacopolas rebus ad suos ægros spectātibus, ut apud uulgus in admirationem ducantur, in hunc modum altiori uoce intonant. Recipe Margaritarum nō perforatarum, quum satis fuisset probo pharmacopolæ, Margaritarum simpliciter protulisse. Omnibus ferè gentibus hoc nomen Perla commune uidetur: ab eo enim parum dissentiūt. Nam Galli parles, Hispani perlas, Germani perlen, Neapolitani perne. Poloni perla nuncupāt. Ab alijs Hispanis aliofar, à Cretensibus uulgo Margaritari dicuntur. sunt frigidæ, & siccæ ordine secundo apud serapionem, & Rasim. SE. Corallia sequuntur. BRA. Gratissimum est Corallium, & merito inter gēmas numerari deberet. Gestantium animos lætificat: an lapis Corallium de quo Plinius lib. 36. ca. 19. loquitur, altera res sit à nostro corallio ambigimus. Antiqui authores duorum generum tantum meminere, rubri, & nigri. Nigrum appellari Antipathes, Dioscorides tradit. Plinius in rubro mari

nigrius

nigrius nasci, cap. 2. lib. 32. censet, nō tamen pure nigrū, sed nigrius nasci dicitur, quicquid ab authoribus scriptū sit. Nos Genuæ totius Liguriæ emporio tria Corallorum genera uidimus, quæ ramos amplos habebant, nigrum, rubrum, & album. Immo adde subrubrum, & modice uiride, quod & Genuenses pro nigro habebant. Nos subrubrum uulgo incarnatum uocamus, tamen idem cum rubro est, sed imperfecte rubrum: est enim medium inter album, & perfecte rubrum, ideo Auicenna alijs exquisitius in albū nigrum, & rubrū distinguit: alba imperfecta esse, & immatura arbitror, ideo magis adstringunt, subrubra, idest incarnata, magis matura albis, & rubris minus, rubra colore florido in maturitatis symmetria sunt, uiridia magis matura, quàm opus sit, nigra adhuc magis: ad hoc moueor quoniam in una planta omnes has differentias uidimus, immo in uno met ramo. Et Ferrariæ reuerendißimæ sacri Cœnobij diui Antonij initiatæ, Lucretia Malaspina egregia & probatißima mulier, & Bonifacia Buulaqua probitatis speculum, crucem ex corallo habēt suo lapidi innixam, & natura ita factam, cui ars modica addidit, & duas latronum cruces à latere, ita à natura factas, quæ suo lapidi tanquam radici inhærent, in quibus nonnullæ corallorum differentiæ uideri possunt. Quum autem de corallio apud authores simpliciter sermo sit, rubrum intelligere oportet, quo puerorū colla, & manus ornamus, effascinationes, & atram bilem quam brutam uocamus, & epilepsiam, atque apoplexiam euitare arbitrantes: Nunc in magno precio sunt, ut ferè haberi nō poßint, sed probandus esset in pueris usus, nisi & mulieres pro ornamento uterētur: uidetur enim comes esse albedinis, & eā floridam magis reddere. Dioscorides suum nigrum coral-

lium

lium à rubro specie distinguit. Nos *quæ uidimus perhibemus in una met planta album, & nigrum esse.* Immo *unus met ramus, parte una ruber floridus, altera niger uidebatur.* Rubrum *probatur, quàm maxime rubens colore florido, frangibile, odorem terræ, musci, & algæ habens, ramosissimum.* Damnandum *lapideum, scabiosum, scabrũ, & inane.* Vos *pharmacopolæ continuo pessimum genus habetis, quod scabiosum est, petrosum, & totum inane.* Album *probatur, quod maxime album, & nigrum similiter, ac lucidum, quum nigrum ad eadem ualeat, ad quæ rubrũ sed ægrius.* Ideo *pro nigro rubrum habere satis erit.* Album *uero seorsum emito, sed* Genuam *mittes non* Venetias, *aut in* Siciliam. *nam* Syracusis *apud* Pachinum *promontorium copiosissime nascitur, & apud* Drepanũ *eiusdem* Siciliæ *urbem, quam nunc* Trapani *uocant, quin & in* Gallico *sinu, circa* Orchadas, *& in* Lygustico *mari, & ante* Corniculum, *&* Neapolim *oritur.* Omitto *nunc rubrum mare, &* Persicum *sinum:* Quando *sub aqua est, uiride apparet, & tenellum est, quum euellitur ex circunstante aëre durescit, et colos ruber fit, si adeo maturuerit.* SE. *Est'ne arbor?* BRA. *Folia non habet, propterea substantiam quandam terream esse arbitror, quæ potissimum circa montuosa loca sit, ob caliditatem, & siccitatem loci & maris adeo exiccatã, ut in lapidem uersa sit, quæ prius ob eius lentorem extendi poterat, & in uarios ramos diduci, ut arbor uideatur, unde & Græci dendritin, quasi arboreum uocant, & Dioscorides lithodendron, idest arboreum lapidem nuncupauit, à Cretensibus uulgo coragha, ab Hispanis coralos, à Gallis coral, à Germanis coraln dicitur.* Nos *domi pulchrum ramusculũ habemus nigri coralli.* SE. Lapis Armenus *occurrit.* BRA. *In Pyrite lapide.*

pide, Armenũ edocuimus, quem uiridem in Cyaneum uergentem esse ostendimus, quo pictores pro Cyaneo, idest lapide lazuli, quandoque usi sint, Armeniacus etiam uocatur. Optarim ut Armenum potius haberemus, quàm Cyaneum, tamen nec Cyaneus, uel Cæruleus omittendus, quoniam, & ipse atræ bili mire aduersatur. SE. Lapis Hæmatites sequitur. BRA. Notissimus est hic lapis, ut simplici nomine, per excellentiam lapis, dicatur, hæma Græce sanguinem significat. hic lapis, uel ita appellatur, quia sanguinis colorẽ imitatur, uel quia fluentẽ sistit. In metallis inuenitur, quẽ si uras, Minij colorẽ habet. Plinius cap. 20. lib. 36. 5. genera distinguit: Sed tibi satis est, hoc genus uulgare habere, quod friabile sit, rubrum, uel nigrum, durum, atque planum, sine sordibus, nec lineas quibus uarietur habeat: ineptior enim est, qui lineas habet. SE. Aut Venetijs emam, aut rusticos quosdam expectabo, qui singulis annis in forum portant, & uendunt, à Gallis ematites, à Germanis pluet stein, idest lapis sanguinis nuncupatur, à Polonis kamyen ematites dicitur. SE. Lapis Iudaicus sequitur. BRA. À Iudæa in qua nascitur nomen sortitus est hic lapis. Nam ex Palæstina Syriæ Alexãdriam, & post Venetias affertur. Marmoreis frustulis adulteratur, adulterium deprehẽditur, qui arte facti in omnibus æquales sunt, & lineas semper æquales habent, sed naturales in uno latere, quandoque euariant. Nec putãdum est lineas illas naturales, lineas esse, sed ueluti pũcta sunt per quendam ordinem distincta, quæ simul ordinata linea quadam seiungi uidentur: Antiqui medici eo ad uesicæ lapidem utebantur. Ideo illi nomen imposuere: Tecolithos, idest calculos absumens lapis, quod. 9. de simplicium medicamentorũ facultatibus Galeno displicere uidetur, quã-

uis

uis in lib. Galeni adscripto de uitijs renum dignotione, et medicatione scriptũ sit, uesicæ lapides frangere: quicquid tamen sit, ego in lapide renum frequenter usus sum, & optime profecit: Venetijs emere poteris, sed ab adulteratis caueto. Hoc solo reuerendißimum Thomam Mustum Canonicum Ferrariensem à sæua renum ægritudine liberaui. SE. Lapis Lyncis sequitur. BRA. Ab antiquis lyncurium uocatur, ex urina lyncis esse fabulantur. unde sit, apud authores non constat, tamen multi de eo loquuntur, arbitrantes quum lynx oculatißimũ animal, & oblimosissimum mingit, ex terra, & urina lapidem generari, qui lyncurium, uel lapis lyncis dicitur. Ego hoc obseruaui in lyncibus duobus, quos Magnificus, & Generosus Comes Nicolaus Tassonus nutriri faciebat, in terram mingebãt, frequentißime obseruaui, terramq; permin ctam, & siccã seruaui, mire fœtebat, sed nihil unquam concreuit, fabulamenta sunt, quæ de hoc lapide circunferuntur. Constat tamen lyncurium esse ipsam lyncis urinam, quam in officina habere poteris. Lapidem uero cũ Plinio cap. 3. lib. 37 non inueniri censeo, ubi Theophrasti, & Dioscoridis uerbis non credit. Ostendunt uero nostri pharmacopolæ, & Veneti, lapidem quendam spongiosum, subnigrum, aliqua parte cineritium, quem pro lyncurio uendunt: Adeo omnia in præceps iere. Cõsulo ut hic lapis à tua officina absit. urinã uero lyncis, si habere poteris, seruato. SE. Vnde hãc urinam emam? BRA. Lyncem potius emas, ac nutrias, sed magna iactura hoc facies, propterea omittenda potius hæc urina paucißimis rebus utilis, quàm tam magno dispendio cõparanda. SE. Ita agere decreui. BRA. Neapoli imaginantur esse Tartufelam, quæ Latine tuber dicitur, quæ in lapidẽ uertitur, postea in fungum, & tũc

lapis

lapis lyncis uocatur, à Polonis camyen oſtra uidzoni dicitur. SE. *Chryſtallus ſequitur.* BRA. *Notißima eſt Chryſtallus. Gelu eſt uehementius concretum. Ideo nunquã, niſi in frigidißimis, & niuoſis locis inuenitur, hæc uera chryſtallus eſt: ſunt enim multæ aliæ imperfectiores ſpecies, ut ea quæ uos utimini in Italiæ alpibus, inuẽta: Venenũ eſſe chryſtallum piſtam in famam uenit, quum tamen non ſit, ſed potius ueneno aduerſetur, nullus eſt, qui poſſet, nõ minutißime piſtam bibere: ita uero non ſentitur. ſi autem in maiores micas redderetur, forte uentriculi parietibus inhærent. Illud uero non fit, quia natura omnia ad inteſtina dirigit per hunc modum infeſta: Quam ob rem neſcio, unde emanarit hoc, quod uulgo ita fixe receptum in hominum animis, ut nullus non credat pernitioſißmum uenenum eſſe chryſtallum: quum ſit ueneni Antidotum, de quo Plinius lib. 37. cap. 3. diffuſe pertractat. Nomen commune habent Galli, Hiſpani, Poloni, & Germani criſtal, ut nec una litera differant, à Cretenſibus uulgo cryſtagli dicitur.* SE. *Magnes ſequitur.* BRA. *Lapis hic ob effectum quem facit in trahẽdo ferrum, notißimus eſt. Immo ut inquit Dioſcorides, eo perfectior eſt quo magis trahit. ab inuentore eo nomine inſignitus, probatq́; Dioſcorides magnetem, qui in cæruleum colorem magis inclinet, tamẽ quem nos habemus, optime ferrum trahit, cæruleus uero non eſt, ſed potius ferrugineus: Sed ea parte qua in cæruleũ inclinat uehementius trahit, ut Dioſcoridem uere loqui, manifeſtum ſit. fabulantur ex Magnete integrum mõtem eſſe, quum in mineris inueniatur. In Hiſpania, atque Germania potißimũ in uenis ferri colligitur: Sub principatu Illuſtrißimi Saxoniæ Ducis Suacembergi, & Eibẽſtoci, quamuis Plinius lib. 36. cap. 16. uaria loca aßignet,*

ubi inueniatur, & quinque ipsius species enumerat. tu si lubeat domi omnes species legas, sed satis est hanc speciē habere, quæ ex Germania affertur, & Hispania, quamuis ex Aegypto Venetias etiam comportent. Albertus Magnus in Amatorijs deliramenta de hoc lapide fabulatur, inuentus est ob naues maria sulcantes circa horum lapidum mineras (ut ferunt) unde tractis clauis, omnes periere, uel ut inquit Plinius ex clauis crepidarum, & cuspide baculi ferrata hæretibus, quū armenta pasceret quispiā. Qui nauigationem Indicam in Calechut fecere, naues clauiculis ligneis cōpaginatas, ob Magnetem, se uidisse testantur, ne ferreis clauis à Magnete tractis submergerentur. Alijs pluribus nominibus insignitur. Lapis Heraclius lapis Herculeus, Sideritis: Diogenianus author est uerum Magnetem adeo argento similem, ut decipiat. Hūc autem lapidem, quem Magnetem appellamus Heracleotem nuncupandum. Quicquid Diogenianus dixerit, nos alioqui apud authores, & re ipsa comperimus. Venetijs emes, aut Genuæ, uel in Germania mittas: Sunt qui pro ueneficijs, & incantationibus album Magnetem quærāt: Si aduratur, rubrum colorem enanciscitur, ut pro hæmatite uti poßimus. A` Germanis maneth, ab Hispanis aymante, uel piedra iman, à Cretensibus uulgo petra calamita magnes appellatur. SE. Lapis Aquilæ sequitur. BRA. O` quot superstitiones, & infinitæ uanitates, & propè puerorū deliramenta in hoc lapide fiunt, hoc uolūt furta detegi, hoc non possunt etiam optima cibaria edi: hoc futura prædicere tentant, hoc deprehenduntur uxorum furta, sed hæc ab instituto nostro aliena. Plinius lib. 36. cap. 21. quatuor Aetitis genera describit. quippe idem sunt lapis Aetites, & lapis Aquilæ, in aquilarū nidis duos inueniri arbitrantur

tur, nec aquilam oua parere, nisi hos lapides in nidum comportauerit. Apud nos duo genera sunt, album unum marmoris colorem & effigiem habens. Nigrum, subnigrum, uel cineritium alterum. Etiam prægnantes lapides uocant, quasi intus alterum lapidem album habeant, qui sonet, si quatiatur. colorem non distinguit Dioscorides, sed cuicunque sit modo prægnans læuo brachio suspensus fœtum continere, coxæ parere facit. Plinius & recentes id fieri arbitrantur, quoties in Aquilarum nidis inuenti sunt, quod nunquam accidere iudicamus, nec Dioscorides hoc sentit. In Apulia frequens inuenitur in monte Gargano, & in Apennino monte uarijs locis. Qui albus est in fluminibus inuenitur. Si per hos montes quæras, ubi scaturiunt riuuli, & magnorum fluminũ initia sunt, fortaßis inuenies. Ex Apulia ferri iubeas, aut Venetijs emas quia ex Armenia Alexandriam, post Venetias fertur, si officina tua hoc lapide careat, non multum curæ sit. A Gallis pierre de legle, à Germanis adlerstein, à Polonis orloui kamyen, ab Hispanis piedra de lagla nuncupatur.

SE. *Antimonium sequitur.* BRA. *Ex lapidibus ad mineralia iterum transire uideris, sed hoc nihil impedit, quoniam & lapides mineralium naturam sapere uidentur. Plinius libro trigesimotertio capite sexto, Antimonium à recentibus dictum quatuor nominibus appellat: Stimmi, stibium, alabastrum, larbason, sed hoc nomen stibium potißimum seruat, & stimmi. Mox nomen à Dioscoride positum addit, Platiophthalmon, quia oculum dilatat, & in oculorum medicinis plurimum ualet, ut Galenus nono de simplicium medicamentorum facultatibus testatur. Gynæceum præterea appellatur, quia eo mulieres fucantur, eliquata aqua nunc in aliqua Italiæ parte. Dioscoridis au-*

tem & Plinij tempore aptabant sibi oculorum supercilia antimonio, præsertim mulieres Hispanæ quibus nullæ in luxum magis pronæ. In metallis argẽti inuenitur. est spumæ candidæ lapis, nitet, & non translucet, si comburatur, odorem sulphuris habet. In hoc à plũbo differt, quia teritur, & non funditur. Plumbum funditur, & non teritur, tamen arte quadam antimonium fundi potest, sed nõ facile ut plumbum: sunt qui putant in prima fusura esse antimonium, in secũda plumbum. in marem & fœminam distinguunt, mas horridior, scabrior, & minus ponderosus ac minus radians, & arenosior fœmina. Ex Germania ad nos affertur, licet adulterinũ quoddã Venetijs fiat. SE. Ergo quod nos antimoniũ uocamus, stibiũ est apud antiquos authores? & stimmi, de quo chymistæ magna sibi promittunt ex lapide argentum exprimere? BRA. Illud est. Galli latino nomine utuntur. Germani spiesglas. Poloni szpisklass appellant. est frigidum ordine primo, siccum in secundo. alia prosequaris. SE. De lapidibus nihil amplius habeo, quorum in mea officina usus sit. De lapide lazuli exequi superesset, nisi in marchasita illum tractauisses. HER. Non possum deinceps effodere, nisi prandeamus. SE. Prandebimus, si ad hanc offam coquendam te accinxeris. HER. Ignem ex hoc silice excutiam, & in fungum illum siccum excipiam. SE. Age citissime. BRA. Interim dum prandium paratur. alia nonnulla prosequi conueniet, ne tempus spectantes offam, conteratur: quum melioribus intenti esse possimus. SE. Preciosa fragmenta sequuntur, quæ quum paucissima sint, interim breui, expediri incipiemus. BRA. In montibus inueniuntur, non tamen istis, sed cur inter lapides non enumerasti? SE. Quoniam ita consuetum est nobis fragmenta appel-

lare

lare, & à lapidibus distinguere. BRA. *Esto, tua hæc preciosa fragmenta recenseas.i.si latine loqui uelimus, tuas gemmas, aut gemmarum partes.*

DE GEMMARVM FRAGMENTIS, QVORVM *in pharmacopolarum officinis usus est.*

SE. *Primum fragmentum Zaphirus est.* BRA. *Sapphirus dicũt authores. Ita Sapphiri sunt, quos pro Sapphiris uenditis, ut tu ipse sapphirus es. Qui gemmas aptant, atque tractant, gemmarij latine dicti, inter Iaspidũ genera sapphiros numerant. Ceruleum colorem habent i.similem cœlesti in perfecta serenitate, quem nostra uulgari lingua azurro chiaro perfetto nũcupare possumus, nomen autem hoc, azurro corruptum est à lazulo. Sapphiri tamen perlucidi non sunt, nec possunt facile scalpturam admittere, ob centra crystallina aduenientia, & lapidis duritiem. quæ uero scalpuntur suo colore saturata esse debent, si sole percutiantur fulgorem ferè ardentem emittunt. Ex India optimi cõuehuntur, ex alijs partibus non probati, suaderem ut omnes sapphiros paruos, nigros, quos in officina habes proijceres, quoniam sapphiri non sunt, & Venetijs præsagmina eorum qui aptantur à gemmarijs emas, immo id in causa est, cur fragmenta appelletis, quia frustula sunt in aptandis fracta, quæ pro ornandis digitis, aut mulierũ collis inepta sunt, deinde compositiones tuas pro expensæ portione uenderes.* SE. *Emptores pretio deterrerentur, & à mea officina abigerentur.* BRA. *Ergo eligis decipere potius, & in tam magno hominum dispendio uita.s.fallere, quàm unũ, uel alterum emptorem amittere? suadeas emptori sapphi*

ros hyacinthos, smaragdos, & alios preciosos lapides fictitia uitra esse, quæ ueneni naturam sapiunt, postea quæ lubent agat ille, aut uerorum sapphirorum fragmenta habeas, & emptoribus pretium indicato, quod ingens non erit, si fragmenta illa emeris, quæ aptantes abradũt. SE. Deinceps ita agam, ne quis à me defraudetur. BRA. Ab Hispanis zaphira, à Gallis saphis, à Polonis szafier nuncupantur. SE. Smaragdi sequuntur. BRA. Et hi quoque quos habetis in aliqua officina uitra sunt, in alia uiridis marmoris frusta. Venetijs apud gemmarios uera fragmenta, & minutissimas micas ad ornatum ineptas emas. De Smaragdo Plinius libro trigesimo septimo cap. quinto diffusissime scribit, pulchriorem uiriditatem habet, quàm haberi possit, omnes etiam herbas uiriditate uincit, soli gemmarum (ut Plinius inquit) contuitu oculos implent, nec satiant. duodecim genera enumerat. qui ex Scythia afferuntur, cæteris præstant. Genuæ uas amplũ habetur ex smaragdo, pulcherrimum quidem, & pretio carens, si ex smaragdo sit. Contigit me semel uidere cum Illustrissimo Hercule Estense, nunquam uiriditatem pulchriorem, aut floridam magis uidere licuit, sed an smaragdus sit ignoro, non ex eo quia magnum uas sit, nam multo ampliorum smaragdorum Plinius præ citato loco meminit. fabulantur ipsi paropsidem esse, in qua Dominus noster Iesus Christus cum Iuda intingebat manum, quod an uerum sit, alijs iudicãdum relinquo. Satis est Plinium prædicto loco magnos smaragdos, & aptos ad uas parandum enumerare. In aliquibus officinis iaspidem uiridem pro smaragdo uidimus, idq; minori ægrorũ iactura, quoniam uiridis iaspis in re medica plurimum ualet, præsertim, qui ex India affertur, et æquas ferè uires sma

ragdo

ragdo habet, ut Galenus nono de simplicium medicamentorum facultatibus, & Dioscorides quinto libro referũt. A Gallis emerandes, ab Hispanis smeralda, à Germanis smerald, à Polonis smaragot nuncupantur. SE. Hyncinthus sequitur. BRA. Mira in diuersis pharmacopolarum officinis uidere contigit, sunt enim qui pro Rubino .i. carbunculo lapidem quendam sumant, & qui eodemmet lapide pro hyacintho utantur. Veros hyacinthos habent aliqui uestrum, alij uitra illius coloris transparentia, ex quibus fenestræ in templis fiunt. facillimum est hyacinthos habere, & Venetijs frustula à gemmarijs uili precio emere. Gemma est hyacinthus in qua fulgor uiolaceus dilutus est. Plinio teste, tria genera inueniuntur, ut etiam Serapio. 398. capite fatetur, & Albertus libro de lapidibus, & re uera ita est. Aliqui sunt citrini, inquiunt .i. colore citri, Alij coloris antimonij .i. in ceruleum, & cœli colorem inclinant, unde apud Poetas, Cœlum hyacinthino colore aspersum dici reperitur, & nonnulli ex hyacintho factum arbitrantur. Alij rubri sunt .i. fulgore rubro splendentes, cæteris ad rem medicam aptiores. Tu potius omittas, quàm uitra sumere, ut multi faciunt. Apud nos ruborem habentes frequentiores sunt. A Gallis iacintes, ab Hispanis iacinta, à Polonis iacinct, uocantur. SE. Rubini sequuntur. BRA. Eundem lapidem (ut diximus) aut idem uitrum pro rubino idest carbunculo, & hyacintho plures accipiunt, immo omnes pharmacopolæ tam Ferrarienses quàm Veneti. Huius etiam carbunculi Venetijs micas, à gemmarijs non magno precio emes. Plinium lege capite septimo libri trigesimi septimi si de carbunculo plura uidere animo sit. Anthrax, altero nomine dicitur, nosq; non sine ratione rubinum à rubo-

re appellamus, nihil patitur ab igne. authores duodecim species enumerant. Multi sunt qui rubino à nobis de Rocha uocato utantur, qui minus ægre agunt, quum in carbunculorum genere sit rubinus de roccha, à nobis dictus. Hispani, Galli, & Germani una tantum litera differunt in hoc nomine. Nam primi rubi, alij rubis. Germani, & Poloni rubin, ut nos ferè appellant. SE. Granatæ sequũtur. BRA. In hac re pharmacopolas pudere deberet, qui pro granatis uitra seruent, & uendant, quum copiose, & uili precio granatæ habeantur, & de eo magis mirandum, cur pro carbunculis granatas non sumant, quæ in eodem genere continentur. tres species habent granatæ, aut tribus distinguuntur, una species est, quæ ruborem in modum floris mali granati habet. Propterea granata nuncupatur, & inde nomen à nostris uulgaribus accepit antiquum nomen non est, quia antiqui carbunculum uocant. Altera species est, quæ ruborem habet, sed in hyacinthi colorem inclinatum, tertia species rubra est, in uiolæ colorem tendens, hanc cæteris perfectiorem arbitrãtur, & rubinũ de roccha uocant. Apud nos in uilißimo precio sunt, ideo ueris granatis carere nõ debes, & si rubini desint, pro ipsis granatis utaris, grenas à Gallis, ab Hispanis granada, à Polonis granat nuncupatur. SE. Sardius sequitur. BRA. Quem colorem habet? SE. Album, nigro, rubro, aut nubilo commixtum. BRA. Ergo sardonix proferre oportebat, à loco in quo potißimum nascitur appellatus, de quo Plinius libro trigesimoseptimo capite sexto agit. Antiquitus in summo honore erat, ueluti unguis est, sub quo rubor, aut nigredo uideatur, ut duo lapides appareant. Propterea Albertus Onychem, & Sardum simul esse putauit, quod ante ipsum diu. Plinius

nius animaduerterat inquiens habere candorem in Sarda. In hoc etiam lapide idem quod in alijs usu uenit, Vitro quodam utimini rubro colore supposito. Idem in hoc agerem quod in alijs, uel hos lapides à mea officina abigerem, tum quia rarus est eorum usus, tum quia proprietates, quas illis uniuersim tribuunt authores, uanas esse arbitror, in aliquibus saltem. de qua re suo loco disseremus, à Polonis sardyn uocatur. Tu interim alias gemmas enumera. SE. Nullas alias habemus, quibus utamur. HER. Offa cocta est, & omnia in promptu sunt. Instat prandendi hora. BRA. Et nos preciosa fragmenta (ut dicunt) exigimus. SE. Da manibus lymphas. HER. Ex hoc riuulo sinistrorsum scaturiente laua. BRA. Immo ex hoc fonte potius, qui rusticorum opera per lignū descendit, quo uice gutturnij fungemur. SE. Vrit adhuc offa. HER. Inspira uehementer, ut frigescat, & minutim incide. BRA. Prandium hoc omnes regum dapes exuperat, quoniam uehementi fame detenti comedimus: HER. Diui Bernardi intinctum (ut aiunt) ore gero. SE. Quid est Diui Bernardi intinctus? HER. Fames. BRA. Intinctu profecto non egent ad irritandam famem, qui famescunt. SE. Iam hora est ad alia animum uertere, ut omnibus peractis in patriam regredi liceat. BRA. Quid impedit schedam sumere, & quæ sequuntur prosequi? HER. Sine parum, ut cibus uentriculo aptetur. SE. Satis accommodatus est. uaria terræ genera consequuntur, quibus in officina utimur. BRA. A prima terra initium sume.

TERRARVM GENERA SECVNDVM RE-centes quorum apud pharmacopolas usus est.

SE. Sulphur primas partes in nostro inordinato ordine seruat. BRA. De hoc ut Dioscorides, & Galenus agendum erat, ubi de mineralibus sermo factus est, à Græcis θεῖον dicitur. In duas species Dioscorides separat, in uiuum, & in eum, qui expertus sit ignem. Plinius capite decimoquinto libri. 35. in quatuor species dissecat, sed quæ sub duabus Dioscoridis contineantur, uiuū Apyron dicitur, idest ignis non expertum, ut Cornelius Celsus, cap. 18. 5. lib. docet, & Plinius præcitato loco, quē (si lubet) legas, per distincta nomina has species appellantem, & per loca, in quibus nascantur assignat. Notissima res est. Illud tantum addam, in medicinæ usu potissimum esse uiuum, idest quod ex uena sua sine aliqua coctura sumitur, tamen uos pharmacopolæ hoc non sumitis, sed id quod ignem expertum sit. De Hermolao miror, qui dixerit tam firmam confusionem partium habere, ut eius oleū arte nulla separari possit in rebus cæteris, quum tamen constet apud nos fieri oleum sulphuris, & nos artem habemus à sulphure id oleum educendi. Cura igitur ut uiuū sulphur habeas, in omni minera inueniri potest. Philosophi compositionem metallorum ingredi, ueluti formam quandam putant. Argentum uiuum ueluti materia in auri, & æris compositionem actu ingreditur in argenti, & stamni, ac plumbi potentia. De eius caliditate disputandū esset, quo gradu intelligatur. Galenus calidum quidem dicit, sed gradum prætermisit. Auicenna, & Arabes, quos recentes imitantur, in 4. gradu calidum, & siccum facit, re uera aberrantes, quum uenena sint, quæ. 4. gradu cali

da

da existimantur. Nos tamen sulphur quotidie propinandũ exhibemus. Dioscorides in ouo suspiriosis tribuit quãtitate cochlearis, quæ duos homines interficeret, si in. 4. gradum calidum esset. in ouo etiam sorbili fellis suffusiones habenti exhibet, & Plinius per os sulphur deglutiendum tradit. Nosq; in ouo sorbili quotidie scabiosis damus & sanantur, quam ob rem in tertio gradu calidum tantũ iudicamus. nec refert quod ardeat, quoniam alia tertio, immo secundo gradu calida facillime ignem admittunt. Viuum probatur, splẽdens, lucidum nec calculosum: quod uero non est uiuum, uiride, & pinguissimum esse debet. Apud Baias pulcherrimus inuisitur locus à Neapoli octo millibus passuum distans plus minus, qui solphatam nuncupatur, in quo è montibus sulphur eliquatur, & à lapidibus exudat, tanta dulcedine, ut ego ex pane, & sulphure illo exudante, ac si flos, è lapide egrederetur, prandere contentus fuerim pane recipiebam quod exudabat, & comedebam, dulcissimũ erat. Hæc de re tam nota sufficiũt. Venetijs emere poteris, aut eos expectato, qui in Telonium portant Ferrariam, ut uendant, à Gallis sonfre, à Germanis schvvebel, à Lusitanis enxufre, & azuphre, à Polonis sziarka, à Cretensibus uulgo apyri nũcupatur.

SE. Asphaltum sequitur. BRA. De Asphalto, idest bitumine tractaturus nescio an alijs cõsentaneus ero, uera tamen referam, Græci Asphalton dicunt, Latinum bitumen generali uocabulo, omnem materiam crassam, lẽtam, quæ sponte, uel ex montibus, & lapidibus, uel ex terra scatu-rit, uel in lacum, uel in terram ipsam descẽdat, in densum & molle diuiditur. in uarijs mundi partibus nascitur, & ut inquit Plinius cap. 15. lib. 35. alibi limus est, alibi terra. Nos uero ita separemus, Asphaltus aliquo loco liqui-

dus est: aliquo ut limus, aliquo ut terra, aliquo ut cera, ut terra nascitur in Cœlesyria, idest caua syria circa syndonem oppidũ maritimum, ut Plinius inquit. Limus à lacu Iudææ emergit, & ideo Gale. primo eius meminit, quod in Apollonia Epiri urbe fit, sub quo etiam Iudaicũ intelligit. Postea id quod est in Cauasyria tractat, hoc autem in mari mortuo nasci inquit. Mare autem mortuum nuncupatur lacus ille: Mare ob salsedinem, mortuum ob minimũ motũ. Qui nuper terram sanctam descripsere, Iudææ lacum, & Cœlæ syriæ idem faciunt. Strabo lib. 16. suæ geographiæ. Sirbonis lacum uocat, ambitu mille stadiorum, longitudine ducentorum stadiorum, hoc loco nostri theologi Sodomam & cæteras urbes, ob nefandum illud Sodomiæ uitium submersas esse tradunt, & eum lacum in earum urbium locis situm esse. Nonnulli deinde fabulantur bitumen illud è lacu, uirorum semen esse: propterea adeo glutinosum est, ut non posit absque mulieris menstruo seiungi, cuius oppositum experientia ostendit: sed hoc prius animaduertit. Solinus cap. 3. sui libri de mirabilibus mundi. Idem Strabo. 16. lib. ubi tredecim urbes eo loco sitas olim ostendit, quarum Metropolis Sodoma nuncuparetur. Additq; omnes in eum lacum esse consumptas, præter Sodomam, & spacium sexaginta stadiorum. Ipse uero ut philosophus, causam nõ in Deum, qui de probris illorum ulcisci uoluerit, sed inquit ex terræ motibus, & ignis afflatu, & aquis calidis, & bituminosis, ac sulphureis lacum erupisse. Eratosthenes uero sentit, quum ea regio stagnis abundet, ex excrescẽtia urbes illas exũdasse. Volunt autem bitumẽ esse terræ glebam liquefactam, postea ui aquæ induratam. Posidonius, qui in hoc fabulosus author est illius regionis homines, magos esse censet, qui

incantationes faciunt, lotium & fœtida inspergentes, ex quibus bitumen fit. quod autẽ uane sentiat, ex hoc liquet, quia perpetuo non duraret, nisi sponte scaturiret, uel ex montibus descenderet. In Iudæa Asphaltites lacus uocatur, in quem Iordanis influit. Est autem liquidum bitumẽ in Sicilia, & in agro Mutinẽsi in Italia, & in regno Neapolitano, quodam loco, qui dicitur, Il tocho, & supra Caietam in loco, qui dicitur Scaole. Et supra scholiũ in Castro amaro, Scholium uocatur, Loncino: distat à Neapoli quindecim millibus passuum plus minus: tui pharmacopolæ pro asphalto, idest bitumine Iudaico, quod cætera præcellit Dioscoride teste, quandoque pice sicca utuntur. Alij uocatum ab ipsis petroleum densatum, aut ui ignis, aut sponte habent, quum tamen, & hoc in genere bituminis censendum sit, tamen non est Asphaltum Iudaicum. SE. Quid est ergo Iudaicum Asphaltum? BRA. Tibi uno uerbo quid sentiã enarrare decreui: quod uos Mumiã nuncupatis, Asphaltum Iudaicũ esse, certus sum. SE. Quomodo hoc probas, quia exiccati Mauritani nostra Mumia sunt. BRA. Dicas potius Syriaci, quàm Mauritani, sed hoc nihil ad rem. Mumia non est Maurus exiccatus, uel Syriacus, sed compositio quædam ex myrrha, aloe, croco, balsamo, & alijs huius generis pluribus, uel paucioribus cum humana pinguedine. Ita sentiunt Arabes, & ita uere est. Nam Syriaci (Hebræorum adhuc morem seruantes) suos mortuos uelant, & re aliqua conseruante implent, ut preciosiora, & uiliora emere possunt. Ditissimi, aloe, myrrha, croco, & balsamo implentur. Minus diuites balsamum relinquunt, quamuis nostro communi sermone eam compositionem balsamum appellemus, & ita agere, Imbalsamare uulgo dicimus. Pauperes autem Asphalto implẽtur, quod

non ſolum mores earum partium ſcribentes aduertunt: ſed & qui illuc ſingulis annis nauigant Veneti. Immo, et Strabo. 16. lib. ubi de bitumine, & Sodoma tractat, inquit bitumine illo ad mortuorũ conditũras Aegyptij utuntur: quum autem ad nos affertur Mumia, integri homines bitumine pleni afferuntur, & præſertim Iudaico, & Babylonico. SE. Ergo noſtra Mumia eſt bitumen Iudaicum, uel Aſphaltum? BRA. Mumia nomen Arabum eſt, quod omnem mortuorum conditũram cum ſua pinguedine ſignificat: Diuites Syriæ, & mediocres propria habent ſepulchra, quare pauperes ſolum habentur, qui ex more regionis bitumine pleni ſunt: Decipiuntur, qui aloe plenos exiſtimarunt, nam ſi guſtetur, nulla amaritudo ſentitur, quam ſeruat aloe, & etiam myrrha, quæ compoſitiones illas ingreditur. Adde picis odorem habere, quem odorem bitumen Iudaicum ſeruat, ut Auicenna inquit, & ueritas ita eſt. ſi enim Mumiam noſtram maſticaueris, picis odorem ſenties, quod in Aſphalto perſentiri Auicenna tradit. Quum igitur, Aſphalto uti contingat. Mumiam ſume .i. liquorẽ in corporibus mortuorũ inuẽtum. Nã aſphalto ideſt bitumine pleni ſunt apud Syros defuncti. SE. Quãdo Mumia uti uoluero, hoc ne utar? BRA. Si ex mortuis aloe, myrrha, croco, & balſamo plenis habere poſſes, probatiſſimum eſſet. quum uero hi haberi nequeant, hoc bitumine pro Mumia utaris. Telas autem illas, & oſſiũ fruſta, & carnem exiccatam abijcito, & eum liquorem tantum habeto, qui in aliqua cauitate collectus ſit. SE. Eſt'ne hoc quod Arabes Mumiam uocant? BRA. Eſt. SE. Reperitur'ne apud Græcos Mumia? BRA. Reperitur. Nam & ſi Serapio Mumiam dixerit myrrham, & aloen eſſe, & quod admiſcetur illi ex corporibus mortuorum, etiam

compoſitio

compoſitio ipſa Mumia uocatur. Immo non una ſola compoſitio Mumia eſt, ſed plures. Intelligo autem cōpoſitionem, antequā corpus ingreſſa ſit, quod ex hoc colligitur: quia Serapio ubi de Mumia ſcribit cap. 293. Dioſcoridem adducit, ac ſi ipſe de Mumia, ideſt cōpoſitione loquatur. Locus uero citatus primo libro eſt, ubi de Piſſaſphalto .i. picibitumine tractat: eſt autem Piſſaſphaltum duplex, arte factum, ut ſi quis picem, & bitumen ſimul iungat, aliud naturale: quod uero Serapio Dioſcoridem in Piſſaſphalto adducat, eius uerba oſtendunt. Inquit enim ex Dioſcoridis ſententia, eſt in terris, quæ dicuntur acoloniæ, ubi codex errore interpretis corruptus eſt. Legi enim debet eſt in terra, quæ dicitur Apollonia: ſubſequitur. deſcendit ex montibus, qui dicūtur fulmina. Ingens error interpretis oſtenditur, nam illi montes, à quibus in Epiro deſcendit, Ceraunij appellātur: κέραυνος uero Græce fulmen dicitur: ideo interpres, qui nomē montium ignorabat, fulmina dixit, quum legendum eſſet, Ceraunij montes. unde Dioſcorides fluminum impetum ex Ceraunijs mōtibus deſcendere teſtatur. Mox ſequitur in Serapione, & eijcit eam aquam fluminis in ripis, ita Dioſcorides fluminum impetu delatum in littora eructatur: Deinde in Serapione ſequitur. Et eſt coagulata, & fit ſicut cera: Dioſcorides loco ceræ dicit βωλοειδῶς .i. glebarum modo, ſed et bitumina aliqua ceræ formam habent. In Pannonia bitumen eſt, quo funalia parant, & mirum in modum ardet: Sequitur, & habet odorem picis mixtæ cum Aſphalto, quod Dioſcorides inquit odore picis bitumini mixtæ: denique Serapio addit, quæ à Dioſcoride non dicuntur, forte in ſuo erant codice: cum aliquo fœtore, & uirtus eius eſt, ſicut uirtus picis, & Aſphalti mixtorum, ut hinc colligere

gere

gere poßis Mumiam non solum esse compositionem illã, cum aliqua mortuorum parte, sed compositionem per se solam, quæ naturalis est in Apollonia Epiri. Artificio autem fit pice, & asphalto mixtis, aut alijs etiam. Nam aliqui in mortuorum condituris solo asphalto non utuntur, sed picem addunt. Alij myrrham, aloen, crocum, alij usque ad opobalsamum ueniunt. Tu igitur pro asphalto Mumiã sume, quæ ex Aegypto affertur nunc, & quam tu habes, & cæteri pharmacopolæ Venetijs, sed eam sume, quæ in aliqua cauitate collecta sit. Idem igitur erit Mumia Serapionis (eam intelligo, quæ mortuorum cadauera, nondum ingressa, & hoc in una specie, & generaliori Mumiæ) & pissasphaltum, Dioscoridis, quod etiam ex Auicẽna colligi potest, dicente. Mumiam esse in uirtute picis, & asphalti commixtorum, & naturis utrorumq;. Ideo non sunt adeo temere reprehendendi Arabes, sed ab eis quandoque discendũ, quando opus sit. Nullus enim ex Græcis asphalti odorẽ tradidit, quippe Dioscorides εὔτονον τῇ ὀσμῇ dicit. Marcellus interpretatur, firmo odore. Hermolaus odoris cõtenti. sed Auicenna odorem picis habere, quum masticatur, inquit. Quod uerũ esse, quisque qui experiatur, statim primo gustu noscet. SE. Quid est id, de quo Dioscorides inquit, ubi de pissalphalto tractat, Gigni in Sicilia agro Agrigentinorum liquidum bitumen fontibus supernatans, quo incolæ ad lucernarum lumina uice olei utuntur? siculum oleum falso appellantes, si quidem liquidi bituminis genus. BRA. Quid sit hoc petis? si aliquid persoluis edocebo. SEN. Quicquid lubet soluturus sum. BRA. Et ego gratis elargiri uolo: quod uos petroleum uocatis, fœtẽs adeo, ut promeruerit stercus Diaboli nuncupari, & ab Hispanis azeyte de minera uocatur, par

tim

tim ex Siciliæ agro illo Agrigentino, partim ex Liguria partim ex loco in Neapolitano agro, ubi uulgo dicitur, il Tocho, & ex alijs supradictis, & potißimum ex hoc loco ad nos affertur, hoc est quod Dioscorides in fine pissasphalti edocuit. Quod ex Sicilia portatur, non adeo nigrum est, & minus fœtet. SE. Hoc frequenter obseruaui aliquod petroleum minus alio fœtere. BRA. Hoc ex Sicilia affertur. SE. Petroleum dicitur, quoniam ex petra ortum ducit, sed istud fontibus innatat, de quo Dioscorides. Quomodo igitur Petroleum. i. ex petra oleum erit? BRA. Ne dubites, quoniam ex petris, & montibus in fontes eliquatur, & per aquæ impetum trahitur. In aliquibus locis ex saxo ipso eruitur. SE. Quæ res ea est, qua nos pro asphalto utimur? BRA. Petroleum est, idest bitumen liquidum, igne, aut senio induratum : sed errorem alterum priore maiorem detegam. Petroleum induratum, asphaltum, idest bitumen est, non tamen Iudaicum. Aliqui autem phamacopolæ eo pro pice dura utuntur, idest rem naturalem accipiunt pro re arte facta. SE. Hoc equidem est, de quo frequentißime admiratus sum: Asphaltum nostrum, quo scilicet utimur pro uero Iudaico, petrolei odorem habere, admiratio nũc cessat, quia eius odorem habet cuius est. Dic autem non'ne multis locis petroleum nascitur? BRA. Omne ueluti oleum, è petris fluens, petroleũ, quasi petræ oleum dicitur. Vnde id oleum, quod apud nos Oleum montis zibi, aut oleum saxi quod in Mutinensi agro scaturit, Petroleum dici potest, & debet, à Dioscoride Naphtha, & bitumen, uel asphaltum liquidum nuncupatur, ad se ignes mire trahit. Authores fabulantur pauca aqua non extingui, propterea bitumen liquidum, & Naphtha erit oleum montis zibi dictum, & petroleum.

De quo Plinius lib. 2. cap. 208. nec mirum quod in fontes Siculum petroleum colligatur, quoniam prima origo è saxis est, quemadmodum omne bitumen, è saxis oritur, nam à subterraneis partibus, aut ex montibus defluit. SE. Quid est quod ab Auicenna scribitur, nigrum petroleum esse picis Babylonicæ colamentum? BRA. Codex peruersus est: quippe legi debet: nigrum petroleum esse colamẽtum non picis, sed bituminis Babylonici. interpres fuit, qui loco bituminis picem uertit. nam bitumen circa Babylonem induratur. Apud Auicennã quod eliquatur petroleum erit. SE. Ab his dissentire non possum. BRA. Hæc uarijs locis emenda: Siciliæ aut Venetijs bitumen liquidũ quod petroleum uocatur, Lygusticum Genuæ: asphaltum ex Iudæa portari feceris, aut ex cadauerum cauis sume, si purum habere non contingat, de quo tamen miror, quũ singulis annis Veneti in Iudæam nauigent. Idemq; sit tibi Mumia, cuius non est usus, nisi apud Arabes, eius præsertim quæ cadauerum pinguedinem simul habet, uel si opus sit Mumia, à Dioscoride secundum Serapionem descripta uti, quæ est pissasphaltum ipsius. ex pice, & bitumine præpara: Germani aliqui petroleum densels drecx idest Diaboli merdam uocãt. Alij hoc nomen assæ fœtidæ attribuunt, alij asphalto, calidum & siccum est ordine secundo, quamuis Auicenna in tertio scriptum reliquerit. SE. Non possum hoc asphaltum probare quãdo habet aliquid putrilaginosi mixtum, pinguedo. s. illa mortuorum, ideo ab officinis arcendum. BRA. Si purum haberi posset, laudarem potius, at cum purum non habeatur, alijs utamur, illius loco, ut sicca pice. Tamen in mortuorum ciuitatibus sunt globi, satis magni in quorum medio non potuit pinguedo aliqua penetrasse, aut aliquid putrilaginosum

trilaginosum, id erit purum asphaltum absque alterius rei miscella, quod ad ea, ad quæ ualet, omnia alia excellit. SE. *Alumen sequitur.* BRA. *Quod Alumen? Nam multa aluminis genera existunt.* SE. *Omne genus quo utimur intelligo.* BRA. *Ea numera quibus utimini.* SE. *Alumen rocchæ. Alumen zuccharinum, alumen plumæ, alumen scaiolæ.* BRA. *Mihi uisus es quatuor genera enumerasse.* SE. *Ita est.* BRA. *Forsan in his montibus aliquod genus inuenies.* SE. *Experiar, modo tu edocere tentes.* BRA. *Nihil aliud est alumen, ut Plinius libro. 36. capite. 15. censet, quàm salsugo terræ. Est enim ueluti terræ exudantis natura, hyeme corriuatum, æstiuis solibus maturatur: ex aqua & limo fit: hoc modo lapides accipiunt, & aqua macerant per aliquot dies, deinceps ad mensuram quandam ebullire faciunt, aquam illam in uasa conijciunt, & alumen fit liquidum, illi autem lapides uariorum sunt colorum, sed pro maiori parte subrubri. Duobus in locis fieri uidimus apud centumcellas à Roma distans. 40. millibus passuum, plus minus, qui locus nũc dicitur la Tolfa. Et prope Baias in loco qui nunc dicitur, la Lumiera, hoc in loco in plano fit sulphur, in montibus alumen. Est ergo aqueæ naturæ, & aqua alumen, in qua lapides illi sint macerati, et ebullierint. Pluribus alijs locis nascitur, ut præ citato Plinij libro habetur, & à Dioscoride quinto libro. Nos ex Germanis fodinis accepimus. Quippe ubi fodinæ sunt, ibi alumẽ, aut prope reperitur. Verum apud antiquos, aluminum genera inuenire oportet, quæ uos diuersis nominibus appellatis. Marcellus putauit Dioscoridem tria tantum aluminis genera nouisse, quoniam inquit ab alijs Græcis plura alia genera edoceri, quàm à Dioscoride scripta sunt. Galenus enim*

tria genera edocuit, sed non animaduertit uir ille, multa genera esse Dioscoridem fateri, sed tantum tria in usum medicum uenire. Hæc autem alias. Tu species tuas singulatim enumera, ut eas particulatim edocere poßim. SE. *Alumen catinæ.* BRA. *Fictitium est hoc alumen, & non sponte nascens, quo uitrum purgatur, & purius efficitur. Ex catino in quo fit, quod est genus uasis, catinæ alumē dicitur, uel cathinum dicitur, quasi catharon, quia purum reddat uitrum.* SE. *Quomodo fiat, enarra.* BRA. *Herba est quam Arabes cali uocant, in litoribus maris sponte nascens, & ab aliquibus gentibus seminatur, ut in Gallia fit. Ad nos enim ex Nursia & Gallia alumen catinum defertur, herbam cali exiccatam accipiunt, & cōburunt, postea ex illo cinere lixiuium fit, quod si aut ui ignis, aut solis induruerit, quum subtiliores partes exhalarint, id sal alcali appellatur. Cinis uero ille induratus alumen catinum dicitur. forte catinum dictum, quasi ex cali factum, quandoque & sal, & cinis mixta sunt.* SE. *Quæ herba est apud græcos ea, quam cali Arabes nocant?* BRA. *Apud Serapionem. c. 253. Vsnē species dicitur. Nam & usnem, & cali similes sunt, quippe cali formam usnæ habet, sed folia in cali longiora sunt, Aizoi minoris. i. à nobis uocati digitelli similia. Leonicenus in libro de Morbo gallico. Cali apud antiquos Telephion esse putauit, triplex autem telephion apud Dioscoridem inuenitur, unum secundo libro sub nomine Andrachnis syluestris. Aliud in fine secundi libri sub nomine telephij. Tertium quarto libro sub nomine Aizoi leptophyllon, quanquam hoc tertium cum primo idem sit. Si uero hæc tria telephij genera considerentur, nullam similitudinem cum usnæ, uel cali habere deprehendes. nam in omni telephio*

lephio Dioscorides portulacæ folia habere tradit. Cōstat autem cali, uel usnæ longe diuersa habere, quàm portulaca folia. Nos quandoque suspicati sumus genus anthyllidis esse, quod ibiga uocatur, nam folia ferè similia ibigæ i. à nobis uocatæ iuæ habet, sed adhuc incerti sumus. SE. *Serapio usneæ muscum esse censere uidetur, immo Dioscoridem, ubi de musco tractat adducit.* BRA. *Nescis uocabula recte distinguere quæ, & si barbara sint, tamen nota aliqua inuicem separantur, quia usneæ est bryon. i. muscus: sed usnem est herba cali. quicquid ergo sit, alumen catinum factitium est, ex herba cali, quæ usnem species est, quam nos frequentissime Comacli uidimus circa salsarum aquarum riuos. Mirorq; nostros uitrearios alumē catinum aliunde quærere, quum propè fieri possit, & eadem ratione sal alcali, quo & frequenter chymistæ utuntur, salem & impensam perdentes. Optimum smegma, quod sapo nuncupatur fieri potest, ad pannos nitidos reddendos optimum, immo ut Serapio inquit, herba est qua panni lauantur. est enim multum abstergens, utpote qua mulieres ad fucandas facies utantur.* SE. *Alumen zuccharinum sequitur.* BRA. *Vos hoc alumen facitis, & ipsi nomina imposuistis, sed factitium est, ex alumine liquido, aqua rosacea, & albumine oui, massas quasdā turbinatas in modum globorū sacchari fingitis, ex cuius forma zuccharinum alumen nuncupatur: tamē nec sacchara inest illa forma, quam habet à natura, sed ab arte datur. habet etiam miram albedinem, ut exquisitum saccharum, quod uulgo finum uocamus, imitari uideatur. Mulieres ad dealbandas, & abstergendas facies eo utuntur.* SE. *Alumen plumæ sequitur.* BRA. *Prædicta duo aluminis genera ab antiquis non tractātur. nec à longe ostē*

duntur, hoc autem quod nuper enumeraſti à Plinio, & Dioſcoride *alumen ſcißile uocatur à* Græcis *ſchiſton, & trichitim, quoniam in capillamenta diuiditur, hoc genus ab omnibus, præſertim* Dioſcoride *cæteris præfertur, ex lapide etiam fit, propterea dicitur chalcitis, unde (ut* Plinius *inquit) eſt ſudor quidam eius lapidis in ſpumam coagulati, quanto minus commixtos lapides habet, tanto exquiſitius putatur.* Pruritũ *maxime cauſat, ſi inter humeros alicuius imponatur.* Nonnullæ *mulieres, eo ſibi fricant genas ut rubeſcant, qui rubor ad tertium uſque diē perdurat, adeo intenſus, ut ignem in genis habere uideantur, immo ipſi pulchrum nomen inuenere mulieres ex natura rei, forte magis aptum quàm latinum & græcum, florem lapidis appellantes, nam proprie quidam canus flos ex lapide exiens uidetur. Adde nos perfectionem rei florem appellare.* Nec *nomen, quo utimini uos ineptum eſt.* Alumen *plumæ, quia ſi frangatur, capillamenta illa ueluti pluma eſſe uidentur. propterea ab antiquis alumē ſchiſtõ dicitur, ſcißile, trichitis, chalcitis, ſed duo potißimum nomina in uſu ſunt ſchiſton, & ſcißile. ſunt qui alumen ſcißile pro lapide amiantho ſumant, quum non ſit, tamen & hoc alumen inflammatur quidem, & non uritur, ſed paulatim conſumitur, quod non facit amianthus lapis.* In *maioribus fruſtulis lapidis amianthi uenæ quædam ſunt in modum ligni, ut multi lignum eſſe putarint, immo adeo res incaluit, ut plures pro ligno crucis, ſupra quam* Saluator *noſter infixus fuit accipiãt, ducti hoc experimento, quia non uritur, ac ſi neceſſarium ſit, lignum ex quo* Crux *facta eſt, non uri.* Nobis *fruſtulum à quibuſdam religioſis magna ueneratione datum eſt, pro ligno* crucis, *ſed eos admonentes lapidem eſſe oſtendimus, non lignum.*

lignum, cuius natura ſit inſlammari quidem, ſed non uri. Eos quoq; chriſtiana charitate exorauimus, ne deinceps quenquam fallerent, ſuadentes lignum Crucis non eſſe, quum ſit lapis. Illi uero, ut probi rem agnoſcentes paruere. À Gallis alun de plume nuncupatur. Arabes alumen iamenum appellare uidentur. Pandectarius Sciptereũ uocat, in nomine deceptus, nam ſtypteria dicendũ erat, quia ita Græci appellant ςυπ]έεια ex ſtipticitate ſua. Errat præterea quia id uocabulum, eſt uocabulum generis, ipſe autem pro una ſpecie tantum utitur. SE. Alumẽ rocchæ ſequitur. BRA. Hoc & liparinum nuncupatur, ex lipara qua conuehitur, ſed recenti nomine potius quàm antiquo, nam et ſi ex Lipara Dioſcorides & Plinius haberi cenſeant, tamen liparinum dici non aduertunt. apud ipſos alumen liquidum eſt. SE. Igitur alumẽ rocchæ, liquidum alumen appellare oportet? BRA. Equidem, nam ex lapidibus fit, tantum tribus diebus maceratis, deinceps aqua illa ebullit, & poſtea dureſcit, huius rei experimentum ſumere poteris, ſi igni admoueas, ſtatim liqueſcit. Si fruſtũ aluminis rocchæ tuæ lucernæ admoueris, ſtatim ebullire, & diſſolui uidebis, quare alumen rocchæ à loco in quo naſcitur ita uocatum, ab antiquis alumen liquidum dicitur, quod integrum non reperitur, ſed arte fit. A Gallis alun de rocche nuncupatur. Germani nomen commune omnibus aluminibus habent alaun. Hiſpani alumbre. Poloni alum uocant. Calidum & ſiccũ tertio ordine existimatur, quamuis & nonnulli quartum attingere fateantur de ſiccitate in tertio quidem ordine eſſe fatemur, ſed de caliditate ambigendum cenſemus. Tu rem hanc æquo animo conſidera, quoniam in ſciſſili forte uerum eſt, non tamen in liquido. SE. Alumen ſcatolæ ſequitur. BRA.

Hæc tria alumen schistum de pluma, & scaiolæ, à Pandectario idem esse existimātur, quod res ipsa falsum ostēdit. Nam quod scaiolæ alumen dicimus, lucens sicuti uitrum, in capillamenta non dissoluitur, sed ex gypsi minera defoditur, immo in gypsi massis quæ Ferrariam portantur alumen hoc pellucet. Est enim gypsi exquisitissima pars, unde & ab antiquis flos gypsi appellari uidetur. Forte genus illud gypsi est quod à Galeno 9. de simplicium medicamentorum facultatibus libro Plinthitis uocatur, hoc est latercularium, ex similitudine quam habet, quæ nisi satisfecerint, perfectiorem partem crudi gypsi esse iudicato. SE. In gypso inueniri certū est, & ego frequenter ex gypso alumen scaiolæ collegi, tamen unum aliud genus apud Dioscoridem, & Plinium inuenio, quod ipsi alumen rotundum uocant, quid autem sit ignoro. BRA. Pandectarius alumen zuccharinum esse arbitratur magno errore, quia zuccharinum artificiale est. At ipsi nominibus utantur, ut libet, & hoc rotundum zuccharinum uocent, hoc nihil ad nos, modo id noscamus, alumen rotundum non esse apud nos frequens. formam rotundam habet qualem multi calculi qui in montibus reperiuntur. Nonnunquam alumen rotundum inter figulorum lapides uidimus, quibus ustis, & plumbo mixtis uitrum paterarum, & lācium parant. Hoc etiam genus rotundum, astragoliotem à Galeno uocatum. i. talare comprehendit. Hæc de aluminum generibus dicta supersint. SE. Arsenicum sequitur. BRA. Græci auripigmentum arsenicum uocant, ut in metallis dictum est, sed uos arsenicum appellatis album, quod per uim ignis factum, & in laminas Venetijs arte concretum ab aliquibus falso existimatur, qui arsenicum etiam in laminas redactum, sed

breui

breui coctura,& arte risagalo à nobis dictum, ab Arabibus arsinagal putarunt magno errore,quum hæc ex minera effodiantur,& sponte nascantur , sed de his plura dicta sunt à nobis. SE. Vitriolum sequitur. BRA. Duplex uitriolum apud pharmacopolas inuenitur. Romanũ, & absolute uitriolum appellatum,ita nuncupatum arbitror,quia uitro aßimilatur. Apud recẽtes magnæ sunt nominum ambages,& plura confundunt . Vitriolum à nobis dictum corrupto uocabulo colcothar uocant,quum potius dicendum esset chalcanthum,hoc usu uenit in omnibus ferè rebus,ut nomina corrũpant,postea errores multi sequantur,ex nominum inscitia. Constat apud Dioscoridem, Plinium libro.34.capite.12.& Galenum 9.de simplicium medicamentorum facultatibus libro, chalcanthũ appellari,& corrupto uocabulo à recẽtibus cholcothar, non tamen ab Arabibus. Ex eo oleum fit,adeo urens , ut pro igne potentiali utamur,est enim causticæ naturæ,& cum pauco dolore incidit membra, si ex olea cultro inuncto tangantur, dum oleum paratur fumum cauere oportet,quoniam non solum hominem interficit , sed & uicinas arbores exiccare cogit . Cuius experimentum nouit Franciscus de monte fractorum oßium, & dislocatorum reparator egregius,cui omnes arbores uiridarij præ uitrioli fumo periere,dum eius oleum pararet. nunc ad authores redeuntes Pandectarius id,quod à Serapione zeg, dicitur uitriolum esse putauit . Et Serapionis interpres zeg,idest uitriolum exposuit,quos recentes omnes ferè sequuntur,tamen re uera,ita non esse constabit. Nã quod nos uitriolum,ab antiquis authoribus calcanthum , & à latinis atramentum sutorium appellatur , quia ad pelles denigrandas,& aptandas uitriolo utuntur,quæ postea in

usum sutorium ueniũt. Quod autem à Serapione zeg dicitur, non est calcanthum, sed antiquorum mysi, hoc luce clarius deprehendes, si antiquos Serapioni conferamus. Nam Serapio Galenum adducit in hunc modum de zeg loquentem, uidimus in mineris uenas tres extensas unam super aliam, per longum spacium, & una inferior erat zeg, rubrum, & secunda, quæ erat super eam colcothar, & tertia superior erat zeg uiride, & hoc est quod zeg, rubrum cõuertitur, & fit colcothar, & colcothar fit zeg uiride, si modo Galenum nono de simplicium medicamentorum facultatibus legamus, manifeste deprehẽdes. Mysi de quo tractat id esse quod à Serapione zeg nũcupatur, inquit enim (quum ingressus esset minerarum loca) quasdam conspexi in longißimũ porrectas ueluti zonas alias, super alias numero tres, infima erat ipsius soreos, supra quam erat altera chalciteos, suprema misyos. Mox Galenus historiam quandã interponit, & omnia scribit, quæ à Serapione referuntur, de craßitie subtilitate, & eius uiribus, ut hinc colligas zeg rubrum Serapionis. Antiquorũ sori cholchotar Serapionis, antiquorum chalcitim, & zeg uiride Serapionis, antiquorum mysi esse, uiride autẽ intelligere oportet, ut uulgo dicimus uiride clarum, latine flauum, aut aureum dicendum, quia Serapionis interpres latinam linguam ignorabat, ideo uiride pro flauo, aut aureo interpretatus est. SE. Habemus'ne hoc misy, quod sexcenties audiui, nunquã noscere datum est? BRA. Immo maxime habetis. Quod enim uos uitriolũ Romanum appellatis, antiquorum misy est, nam auri speciem habet, & durum est, & quum friatur, aureas scintillas emittit, & stellarum modo splendet. En Romanum uestrũ uitriolum omnes has notas habet. SE. Frequenter expertus

tus sum. BRA. *Constat igitur recentes aberrare, ut Herculanus in capite de sebel, & Nicolaus cholchotar uitriolum esse contendentes. Nã ut ex Serapione ostensum est. Colchotar est Galeni chalcitis, Dioscoridis, & Plinij, quæ in album colorem. At uitriolum Romanum in aureũ uergit, unde uides summe aberrare recentes ipsarum rerum ignaros, & per aliorum scripta perperam intellecta loquentes, quamobrem antiquorum misy, est uitriolum Romanum, uel flauum. Ad rem igitur primam redeuntes, quod zeg Serapionis misy antiquorum sit, eum lege, qui Dioscoridem adducit dicentem zeg, aliud Babylonicum, aliud Cyprense, ubi certa fide cognoscitur eum adducere in capite misy. Ita in Cyprium, & Aegyptium distinguẽtem. Pro Serapionis recto intellectu scito Dioscoridis codicem quem habebat Serapio, hæc uerba adiuncta habere, quibus in Babylonicum & Cyprium distinguit, tamen in fine capitis. Dioscorides Babylonici meminit, sed sub nomine Aegypti. Mos autem est Serapionis, quum Dioscorides aliquod Aegyptium nominat, in suam linguam Babylonicum uertere, in reliquis optime quadrant, ut in eo quod colorem aureum habet, quod lucet ueluti stella, quod eãdem uim cum colchotar habet, sed addit Serapio in aliquibus codicibus legi calcadis, cuius loco scribendũ est chalcitis. Idem uero sunt colchotar, & chalcitis apud Serapionem, sed apud uarias interpretationes, diuersum erat nomen, res eadem. Nec mirum si ubi Dioscorides Aegyptium, Serapio Babylonicum dicat, quia Babylonia est primaria Aegypti urbs. Omnia alia uiribus excedit. Aegyptum tamen in medicinis oculorum, à Cyprio superatur. Ex his etiam constat multos recẽtes aberrare, qui Chalcanthum colchotar uocant, & ferè omnes pharmacopolæ*

copolæ

immo si ex ætate Chalcanthum, idest Vitriolum in Chalcitim transeat: Dissoluta Chalcitis, Vitriolum efficitur, quod non animaduertit Galenus, quum ex Chalcãtho per tempus Chalcitim fieri monuit. Tamẽ animaduersione dignũ erat, quia ex hoc facile excipitur Chalcitis ex Chalcantho facta: Chalcitidis perfectionem nõ habere, alioqui per solam aquæ ablutionem non reuerteretur in Chalcanthum. unde arbitror potius Chalcanthum ob senium glaucedinem sua amittere, & albũ uideri, quàm proprias uires perdere, & Chalcanthi proprietates deserere, remittuntur potius, quia omnia tempore corrumpuntur. Quã ob rem eo pro Chalcitide non uterer, salua semper Galeni reuerentia, nisi aliquo loco essem, ubi deficeret Chalcitis, nam in easdem uires ferè inclinant, sed in Chalcantho sunt intensiores, ob hoc cum non desit Chalcanthum, eo semper potius uterer, quàm Chalcitide. calidum, & siccũ ordine tertio existimatur. Venetijs Vitriolum emas, & id quod Romanum appellatur, non quia Roma ad nos cõuehatur, sed ex Cypro. Est autem antiquorum Misy, quod autem ex Germania affertur, negligẽdum esse censerem.

SE. *Sicut Atramentum sutorium Chalcanthum dicitur, non'ne adest, & scriptorium?* BRA. *Adest quidem, & ab antiquis in usu erat, ex fuligine tædarum factum, temperaturq; in libram gummi, quadrante addito fuliginis, fit & de fuligine resinarum, & pictoria huius pondo gummi. p. Semis. Taurini glutinis denarius, Semis Atramenti sutorij tantundem, hæc Dioscorides in ultimo. 6. lib. cap. Apud nos uaria sunt Atramentorum scriptoriorum genera. i. à diuersis pharmacopolis diuersa fiunt Atramenta, unum est ualde commune, ex Gallis, Vitriolo, Gummi, & Vino. Quam compositionem nescio, qui duobus carmini-*

bus

bus perpulchre complexus est, quæ si noscere uolueris., Hæc sunt.

Vitrioli quarta, media sit uncia gummi,
Integra sit Gallæ, superaddas octo Phalerni.

SE. Non displicent hæc carmina. BRA. Fit & Atramentum chalcographorũ ex picis fuligine, & oleo, cuius Dioscorides meminit, appellatq; pictorium atranẽtum, quãuis adhuc non sit octuagesimus annus, quod modus imprimendi literarum characteres inuentus est. SE. Quomodo ostẽdere poteris atramentum scriptorium aliud esse, à Melanteria, uel atramento sutorio apud antiquos? BRA. Id facile demonstrari potest, quoniam Galenus. 9. de simplicium medicamentorum facultatibus, & Dioscorides, de atramento sutorio seorsum, & de Melanteria, ab atramẽto scriptorio: Adde atramentum scriptorium cõpositionem quandam esse, non terram mineralem nigram, qua atramentum ad scribendum fiat: Hispani Vitriolum, Coparosa, Galli couperosre, Germani kupfer vvasser, idest aqua cupri, Poloni koperuasser, Veneti ueriolo uocant, Et re uera condensatur quod absoluto uocabulo uitriolũ nos dicimus, & ab authoribus chalcanthum. SE. Terra sigillata sequitur. BRA. In Lemno insula rubrica nascitur seorsum, & sigillata terra, quæ duo diuersa esse Leonicenus aduersus Plinium ostendit, qui cap. 6. lib. 35. terram sigillatam, & rubricam lemniam idem esse censuit, ubi et ipsam inter natiuos colores annumerat. sed excusandus erat Plinius, quoniam Galenus, & ipse eam rubricã prius appellat: Quicquid tamen sit (quoniam hæc ad nostrũ institutum nihil faciunt) constat non fieri eodem modo apud Galenum, ut Dioscorides incolas loci facere arbitratus est: Inquit enim per miscellam hircini sanguinis fieri,

& signo capræ insigniri, sed Galenus, qui illuc nauigauit data opera uisendi gratia scribit, nec sanguine misceri, nec signo capræ, sed Dianæ insigniri. Immo incolas loci derisisse Galenum, qui de sanguine interrogabat. Sunt autem tria terræ genera in Lēno insula, una sacra, quæ in colle nascitur, qui totus colore fuluus est, in quo nec arbor, nec saxum est, ut collis adustus uideatur. hinc poëtæ Vulcanum è cœlo in eum locum cecidisse fabulantur, hæc terra est, & terra nuncupari debet, non rubrica. hanc lauant, & crassam partem abijciunt, & aquam supernatantem, mediam uero in pastillos diuidunt, & sigillo Dianæ imprimunt. unde terra sphragis propter sigillum nuncupatur. nunc ad nos affertur sigillo Turchico munita, ex Turchicis literis confecto. Turcharum Imperator arce facta eo loco, principes hac terra donat. Primus qui nostris temporibus in Italiā ferri curauit, fuit Carolus pharmacopola Campanæ Venetus, qui suis expensis in Lemnum misit. Adest & rubrica in Lemno, qua fabri utūtur. Adest & terra, quæ extergit. hac utuntur, qui lintea, & uestes lauant uice saponis, ut hi retulerūt, qui per aliquot menses in Lemno habitarunt, terram habebant, experti sumus optime lintea abstergere. superioribus autem annis, immo & multi nunc, rubrica quadam fictitia pro terra sigillata utuntur, quæ huius naturæ nihil habet. Veram emas Venetijs, sed ne decipiaris, recte perpendas, quoniā & hanc (quæstus gratia) adulterare cœperunt, simul & terram ipsam sigillatam, & bolum armenum miscentes. Hi uero decipiūtur, qui in Lemno ueluti tumulum esse putant, è quo semper emanet, uel tanquam bitumen crescat sed terra est, quæ lauatur, in lutumq; ducitur, exiccatur deinde: superior pars aquea, & inferior terrea abijciuntur,

tur,

tur, media pars, quæ lutosa ē, in pastillos unius drachmæ plus, minus'ue distribuitur, & Turchico sigillo munitur. SE. *Bolus armenus sequitur.* BRA. *Hactenus in publicis officinis rotundos quosdam globos in medio pressos pro armeno luto uendebant, & adhuc multi uendunt, factitios & illos, nunc terram Armenicam, uel armenicum lutum habemus. Bolus ex forma dicebatur, ut Galenus. 9. de simplicium medicamentorum facultatibus suo tempore fieri monet. ubi de terræ samiæ lotione sermonē cœperat. Decepti uero sunt & nostro æuo, qui terram armenam, uel bolum armenum, lapidem armenum esse putarunt. nam lapis armenus uere lapis est inter colores floridos numeratus: uiridis autem est in ceruleum inclinas, de quo supra egimus, & Plinius lib. 35. cap. 6. in fine, & Dioscorides 5. lib. pertractat, quin & Galenus præcitato loco dicit, à quodam fuisse donatum terra Armena, & ille qui donauit, uocauit eam lapidem unde non mirū sit, si nostro hoc tempore, nonnulli lapidem, alij terram appellent, quoniā & Galeni tempestate à nonnullis lapis uocabatur. Terra adstringēs est, & pro qua alias pharmacopolæ terra quadam utebantur, quam ex Germania portabant.* SE. *Nūc ueram armenam terram, lutum, uel bolum mauis appellare habemus, quæ ex Armenia affertur. Nam masticata, ueluti butyrum liquescere uidetur, & si apice linguæ tetigeris, adstrictionem manifeste senties.* BRA. *À quo didicisti hanc terram liquescere debere ueluti butyrum, si masticetur?* SE. *Hoc à pueritia imbibi, nō à certo authore, sed à præceptore meo pharmacopola uiro egregio, cui mendacia credidissem.* BRA. *Ni pigeat, notas illas edoceas, quibus præceptor ille tuus bolum armenum cognoscebat.* SE. *Hæ sunt: Rubrum esse debet in citrinum incli*

nans

nans, fragile, unctuosum, & quod si masticetur, in modum butyri liquescere uideatur. BRA. Quod de colore sentiebat, ex Serapione, & Auicenna colligere potuit, quod fragile ex Galeno, de assimilatione autē butyro, si masticetur, & de unctuósitate, quæ animaduertenda erant, nihil ab aliquo authore scriptum reperitur. SE. Igitur in ea terra, quam nunc habemus, an armena sit dubitas? BRA. Immo in hoc inclinor, ut ea terra, quam nunc bolum armenum uocatis, nuper comportata (non illa quæ ex Germanicis mineris olim portabatur) terra Lemnia sit. SE. Quomodo terra Lemnia? stupeo nunc. BRA. Ne stupescas, quoniam tibi certe ostendam, terram, quam uos armenam uocatis, armenam non esse. Immo nec propè Armeniam sumptam. SE. Rem miram ostendes. BRA. Nisi audire grauaberis, optime demonstrabo. SE. Immo nihil uehemētius opto. En totus in aures abeo. BRA. Eam terram non esse Armenam, quam uos Armenam dicitis, hoc argumentum est, quia Galenus. 9. de simplicium medicamētorum facul. dicit terrā Armenam pallidam esse, hæc autem pallida non est, & ne fugias dicens Galeni codicē ibi esse mendosum. ita etiam suo Idiomate habetur: τὴν χρόαν ὠχρὰ, idest colore pallido. quod si fugias, quia id uocabulum, ὠχρὰ croceū significet: unde & ochra, quæ in mineris inuenitur, flaua est, & quum uritur, rubra, saltem hoc habeo, luteum interpretari debere, sed manifestū est, hunc nostrum bolum armenum colorem luteum nō habere: Vnde Hermolaus Barbarus. 5. sui corollarij, ubi de terra in communi tractat, hæc uerba Galeni interpretatur. τὴν χρόαν ὠχρὰ luteo colore, aut pallido, uolens duo significata huius uocabuli ὠχρὰ ponere, quæ in unū uergunt. Optimi aūt, & probatissimi interpretes ὠχρὰ

pro

pro pallido semper interpretari uidentur: Arabes tamen colorem croceum interpretati sunt: Nam Serapio Galeni uerba adducẽs, croceo colore ad rubedinem uergente, interpretari uidetur, & Auicenna rubro colore inquit ad cineritium uergente, tamen uocabulum ὠχρὰ nõ interpretantur ad unguem, sed opus est pro ipso uel pallidum, aut luteum exponere. Constat autem nec pallidam, nec luteam esse quam uocatis nunc, ueram terram Armenam. Præterea addidit eo loco Galenus facile teri Armenum bolum, sicut Calx, uel lapis coctus, propterea quũ in puluerem pistillo redigitur, ueluti calx est: At in nostro nunc inuento bolo, hoc reperiri non potest: nam & si in puluerem teri poßit, non tamen apte sicut Calx, ob unctuositatem illam, quam habet. Comparatq; ipsam in leuore Samioastro, qui albus est, uel pallidus. Immo calcẽ in colore bolus armenus imitatur: Vidi ego, & nũc domi habeo terram quandam ex Armenia allatã à religioso diui Frãcisci, qui eam dono dedit Illustrißimæ Lucretiæ Borgiæ, Illustrißimi patroni mei Herculis Carnutum Ducis genitrici. Est autem pallida, & ueluti sicca Calx, quæ si teratur in puluerem, ut calx redigi potest. Hanc armenum bolum à Galeno descriptum suspicor. Deniq; uiliori precio bolus hic armenus uenditur, quàm terra sigillata. At in duplo magis Armenia Venetijs distat, quàm Venetiæ Lemno. Vnde uiliori precio terra sigillata uendi deberet quàm bolus armenus. Nec opus est fugere in maiori copia bolum armenum haberi, quàm terra Lemnia, quoniã mons est in Lemno, ut Galenus docet, non locus particularis, & paruus qui deficere poßit. Illudq́; superaddere nõ grauabor, eadem nauigatione mercatores terram sigillatam, & bolum armenum Venetias ferre, quod indi-

cium esse potest ab eodem loco, uel propinquis haberi. Nec opus est tergiuersari, hanc ex nauigatione Alexandriæ ferri. At prius ex Armenia Alexandriam delata sit, quia breuior est, & commodior uia per mare Euxinum. Adde qui hunc bolum armenum portāt, non transire Aegeum mare, in quo est Lemnus insula, ut in nona Europæ tabula Ptolomæus describit. At si in Armeniam irent, opus esset fauces illas maris transire, quæ uulgo strictus Garipoli nuncupatur. Vbi Galipolis urbs sita est. Latine Hellespōtus dicitur. Postea Bosphorum Thraciæ, & Propontidem pertransire. Denique totum Euxinum mare quousque in Armeniam Cappadociæ conterminam peruentum sit. Vbi terra Armena colligitur, sed non est satis naui huc appellere quum & terrestri itinere egeant, si in statutum boli locum peruenire uoluerint. Tamen qui bolum armenum quærunt, & Venetias portant, breui reuertuntur, nec mare Aegeum transeunt. SE. Quid ergo est hæc terra, quam bolum armenum certe arbitrabar? BRA. Terrā sigillatā esse arbitror. Mastica nuper ex Lemno allatā terram. SE. Mastico. BRA. Mastica & bolum armenum nuper inuentum. SE. Masticaui. BRA. Quo differunt hæc? SE. Nullo altero, quàm quòd in sigillata terra quædam granula tanquam sabulum persentio, quæ in bolo non sunt, immo bolus penitus liquescit, & nihil palato occurrit, aut in ore moratur. Terra sigillata, & ipsa liquescit, uerum granula quædam uelati terræ micæ, & arenæ relinquuntur, quæ solui non possunt. BRA. Hoc ideo est, quia idem sunt, bolus nūc uocatus armenus, & terra sigillata, etiam si gustes eadem adstrictione insigniuntur. SE. Optime noui. BRA. Addam & aliud, terra illa quæ sigillum turcicum habet adultera-

ta est, ueluti album sabulum illi addidere, ut commodius sigillum recipiat, ideo minus rubra efficitur, & in pallorem uergit. Quod autem hic color, quem habet bolus iste armenus sit terræ Lẽniæ color facillime probari potest, ex hoc in primis testimonio, quoniam poetæ fingũt è cœlo Vulcanum cecidisse, & suo cruore terram eo loco conspersisse, ideo sanguinis colorẽ habere dicitur, qui in dicto bolo armeno uidetur. Plinius etiam de rubricis tractans .i. rubris terris, inquit Lemniæ rubricæ palmam dari, quia sit minio proxima libro.35.cap.septimo. Terra autem sigillata rubricæ colorem habet, quem præcise in hoc bolo uidemus: nã nulla terra est magis proxima uero minio hoc bolo armeno. non intelligo hic per minium nostrum fictitium quo nũc utimur, sed antiquum, quo sanguinem pictores fingebant, immo quendam hoc armeno bolo dicto pingere iussimus, omnino color ruber floridus uisebatur, ut quisque poterit per seipsum experimento comprobare. Adde hac minium sublinere, & adulterare, quod facile hoc bolo armeno fieri potest. Veteres etiam ea utebantur ad splendorem, sed mirum splendorem hic bolus armenus picturis facit. Non possum abstinere quin & tu experimento probes. SE. Immo summopere cupio, sed de rubrica Lemnia non de terra sigillata fieri scripsere. BRA. Idem de terra sigillata fecissent, sed ob minorem copiam rubrica utebantur, immo adde Cornelium Celsum eam appellare Minij glebam. nam.15. capite quarti libri inquit, minij glebam ad cancrum intestinorum ualere, Dioscorides & Galenus ad dysenteriam proficere censent, & Hermolaus Barbarus eo loco quinto libro Celsum exponit minij glebam .i. Lemniam terrã: Nulla autem est magis propinqua minij glebæ isto bolo

armeno,quãuis aliquid proprie de minij gleba posset Celsum exponere,unde arbitror,bolum armenum à uobis dictum esse terram lemniam,quia ex Lemno affertur, non ex Armenia.Et Galenus ubi de samiæ terræ lotione scribit.Terram lemniam esse tenacem,& paululum uiscosam docuit,qualem esse bolum hunc armenum constat. Denique sume tu hanc terram armenam, & in aqua macera, ut docet Galenus nono de simplicium medicamentorum facultatibus,ubi de differentijs nominatarum passim terræ scribit,uidebis ablata aqua quum exiccatur in mollitiem ceræ deuenire,tu mox eam tuo sigillo imprime, & deprehendes pro terra sigillata uendi posse,præsertim si illi sabulum miscueris album. SE. Nusquã à Galeno uel altero authore dictum inuenitur sigillatam terram sabulo adulterari. BRA. Omnia ab omnibus scripta nõ sunt, neque opus est ut omnia scripserit Galenus , alioqui hoc mihi scribendum non reliquisset.Ad rem nostram redeuntes,unum solum obstat,quod est Galenum dixisse colorem fuluum habere,quamuis & hic boli armeni dicti , fuluus nuncupari possit,quo modo fuluum leonem uocamus,qui similem colorem habet. Hoc saltem habeas,si non sit sigillata terra esse rubricam Lemniam, quoniã ex lemno affertur , & id argumentum esse potest rubram esse, quia Dioscorides sanguine hædino,uel caprino cõformari credidit,quod sibi persuaserat etiam Galenus,antequam uidisset,ideo ruborem talem habere debet , qualem faceret sanguis terræ mixtus,præsertim etiam ipsa ruborem habente,alioqui hi summi uiri nõ putassent sanguine hædino pararibic :autem noster bolus armenus eiusmodi colorem habet.Immo Galenus eo loco addit colorem habere combusto similem,qualem habet hic noster bolus , nuper inuentus.

inuentus. Ex his certus sum bolum armenum nunc uocatum, non illum, qui ex Germania habetur esse terram lemniam, uel rubricam lemniam, & illam forte ex qua terra sigillata dicta fit per dissolutionem, & abiectionem supremæ, & infimæ partis. SE. *Hæc me in admirationem, & cupidinem trahunt uisendi illa loca, nisi senio confectus essem, & nisi à Barbaris, & infidelibus nationibus poßiderentur illæ partes. Nam facillimum est senio confectum nauali itinere peregrinari. Si nũc uigenti ætate essem, & iter tutum præstaretur illuc omnino, & ad alia plura loca proficiscerer.* BRA. *Si Principes liberalitate præditi essent, multi reperirentur, qui orbem perlustrarent, ut Galenus fecit, noua semper experiendo, & discendo: uel si diuites literis operam nauarent. sed usu uenit ut nullus simplicium medicamentorum facultates, res ipsas consideret, nisi medicus sit. Medici uero nostro æuo, ut plurimum pauperes sunt, quia diuites nõ dignantur medicam artem addiscere. adeo inepti sunt ad propria bona noscenda. Putant enim idem esse medicam artem scire, & ea uti. Medici uero paupertate ducti, lucris incumbunt, & accumulandis opibus intenti sunt, quid hoc, uel illud sit discere spernentes.* SE. *Immo ignorant an pharmacopolæ eiusmodi simplicia habeant, quibus in dies utuntur.* BRA. *Oportebat equidẽ Aristotelem summum philosophum imitari, & eius præceptis parere, qui prius ditari utile esse censet, quàm philosophari, sed quũ diuites effecti sunt, tunc philosophandum erat: nam alibi edocuerat, Philosophos acquisitis necessarijs, cœpisse philosophari, non sophistico modo & apparenti, ut multi nunc faciunt, sed rerum causas inquirentes, & abdita naturæ archana detegentes. At ex nostris plurimi quan*

to magis diuites efficiũtur, tãto minus philosophiæ præceptis incumbunt, & indagandarum rerum sciẽtiæ. Hæc autem alias deploranda sunt, nunc ad institutum nostrum reuertamur. Ego id intra me decreui, natos meos bonis literis primum instituere, deinde per diuersas mundi partes relegare, ut per uaria regna, & prouincias euagati sapientiores reuertantur. SE. *Optarem ut de terra lemnia distinctius locutus esses, atque exactius, nam ea quæ terræ lemniæ conueniunt rubricæ attribuisti.* BRA. *Distinctißime locuti sumus, & ex unius cum altero affinitate satis probabilibus argumẽtis probauimus bolum armenum, nunc orientalem uocatum, lemniam terram esse.* SE. *Quas habet qualitates lemnia hæc terra?* BRA. *In actiuis qualitatibus temperata est, quamuis nonnulli digladientur, & dicant esse in primo ordine calidam, alij frigidam, in paßiuis qualitatibus secundum ferè attingit exiccandi ordinem, quippe Galeno teste absque mordicatione exiccat.* SE. *Boracis sequitur.* BRA. *Lapidem boracem Albertus in capite buffonis inuentum arbitratur, quem omnes ferè recentes sequuntur. hic tamen non est quem uos in officinis habetis. Ego ex buffonis capite eum lapidem, uel potius os eduxi, in nigrum colorem inclinat, sed nunc de isto sermo fieri non debet, sed de illo quo aurifices utuntur, immo aurum cõglutinare non possent, si deesset borax.* SE. *Reperitur'ne apud antiquos?* BRA. *Equidem à Dioscoride Plinio, Galeno, Chrysocolla nuncupatur, quasi auri colla, & gluten dicatur. propterea ab Auicenna, capistrum auri nuncupatur.* SE. *Ergo & Arabes de illo pertractant?* BRA. *Omnino, & tincar uocant suo idiomate. Serapioq; inter species salis numerat, de quo mirandum est, qui nihil meminerit*

Galeni, aut Dioscoridis, quos tamen in omnibus refert earum rerum quæ ab ipsis tractantur. Vno autem remoror, ut arbitrer Serapionem non intellexisse quid esset borax apud antiquos, quia scribit Mesuem dicere, radicem boracis artificialis urinam infantis esse. Si autem antiquorum boracem nouisset nõ fuisset sibi mirum hoc, nec ueluti magnum quid adduxisset, quia omnes artificialem hunc lapidem ex urina constare monent. Nascitur autem naturalis in fodinis auri, argenti, æris, & plumbi. Ad nos defertur chrysocolla uarios colores habens, alba, flaua, uiridis, subnigra. Conquerũtur aurifices quia à pharmacopolis ementes, non assequuntur plerunque suum finem, quia falsa est chrysocolla, uel alter lapis pro ipsa. Plinius colorem chrysocollæ esse herbæ segetis læte uirentis scribit. Nero arenam chrysocolla sterni fecit, quum & ipse, & sui eodem colore induerentur, ut deprehendatur, antiquos eas fatuitates in colorum distinctionibus seruasse, quas nostrum uulgus impresas, & leureas uocat. Dioscorides dicit. τῆ χρόα κατακορῶς πρασιζόντα. Marcellus interpretatur. Colore usque ad satietatem uirente. Hermolaus Barbarus Dioscoridem per Plinij uerba interpretatur inquiens, quæ colorem herbæ segetis læte uirentis reddat. Interpretari possemus colore omni parte uirente. Quam pharmacopolæ nunc habent, uirenti colore infecta est, sed non omni parte, nec lætæ segetis, nec usque ad satietatem uirente. ideo imperfecta est. Venetijs nonnunquam uirentem uidimus blando colore. Et domi habemus pulcherrimam, simul cum lapide armeno iunctam. Nostri aurifices eam probant, quæ maxime colore aureo assimilatur. nam & si exquisite uiridis esse debeat, in nostra tamen alba &

flaua, & subnigra reperitur, flaua ad aurum ferruminandum apta potissimum est. Quanquam & chrysocollam faciant puerorum urina in æreo mortario, & æreo pistillo. Conficiendi modum Dioscorides libro quinto, Plinius libro trigesimotertio capite quinto, & Galenus nono de simplicium medicamentorum facultatibus libro designant. hac etiam aurifices ad aurum glutinandum, & ferruminandum utuntur, quippe diuersa metalla uarijs rebus iungunt aurifices: Chrysocolla, aurum (ut Plinius docet) argilla ferro, cadmia æris massis, alumen laminis, resina plumbo, & marmore. Plumbum nigrum iungitur albo, & ipsum album sibi oleo, stannum æramentis, stanno argentum, sed hæc ad nostrum propositum nihil, quia nos alios plures modos hæc ferruminandi scimus, quàm hi qui à Plinio traduntur, arte inuentis semper addente. Ex Germania Chrysocolla affertur, inepta tamen, nostri etiam eam habent quæ ex puerorum urina fit, odora. SE. *Odoraui, urinam persentio.* BRA. *A Gallis bourax, ab Hispanis esclarimēto, à Polonis puriss nuncupatur.* SE. *Talchum sequitur.* BRA. *Sunt qui Arabice talk nuncupari uolunt. Alij stellam terræ, ex luce quam habet, & splendentes radios nuncupant, quamuis & nonnulli stellam terræ herbam uocent, quæ uulgo lunaria dicitur, folliculum rotundum habentem, in quo semina conduntur, qui folliculus nocturno tempore aperitur, & adeo radios lunæ recipit, ut lucens stella uideatur, loci incolæ ubi uident, diabolum esse putantes aufugiunt, hac ueneficia parant, hac dæmones irritant, hac Chymistæ suum Mercurium fixum, stabilemq; reddunt. Tamen hoc nomen stella terræ, in maiori usu est, ut Talchum significet, quàm aliquod alterum, nec immerito, quo*

niam ab antiquis Aster, idest stella uocatur. SE. Reperitur ergo apud antiquos? BRA. Suspicor Astrum samium à Plinio dictũ lib. 35. cap. 16. & Dioscoride. 5. lib. & Galeno. 9. de simplicium pharmacorum facultatibus lib. hãc rem esse, quam uos Talchum in publicis officinis nuncupatis: Quippe duas terras Samias ponunt authores, ambas albas. Prima à Dioscoride collyrion dicitur, à Plinio Syropicon. Altera Aster samius, quam Dioscorides crustæ similem dicit, & densam, ut coticula, & quam Galenus non indigere lotione testatur, hanc puto Talchum esse. Vim adstrictoriã habet, & nomine Stellæ ab antiquis dicitur: Lapidem samium esse alias arbitratus sum, nunc in Astrum Samium inclinor. Ad nos ex Germania affertur, supra montes, præsertim post pluuias inuenitur, à longe splendescere uidetur, ut stella. Ideo stella terræ à nobis, et Aster ab antiquis appellatur, in Samo perfectißimum nascitur Talchum: propterea Samius aster dictum est. Adstringit adeo, ut mihi gustare uolẽti, os corrugauerit: sũt qui Talchum ceruleum, qui uiridem, atque croceum quærant, præsertim Chymistæ, ut id quærentes, quod inueniri non potest, tẽpus uitæ suæ in falsis nugis conterant. Vsus in medicina, crematio, & lotura etiam nunc est, ut Dioscorides de Samia terra dicit, sed præsertim crematio, quia pauca lotura indiget, propterea Galenus non lauari, idest quambreui lotura tradit. Hoc Venetijs emere poteris, uel ex Germania petere. Nascitur, & propè nos in Apenninis alpibus inter Regium, & Mutinam è regione Herberiæ arcis Illustrißimi Ducis nostri munitißimæ. Locus autem in quo inuenitur uulgo nuncupatur il zesso, à Magnifico Iulio Scandiano possessus, potißimũ ubi Gypsum esse reperitur. Gypsum uero Alumen Scaiolæ est, quando nõ=

dum

dum coctum sit. quū uero decoquitur hoc alumen in Gypsum uertitur: Galli gypsum plastre uocant, Hispani yesso, Germani gips, à Polonis panny mariey loden. mulierum animi discrutiantur, ut aquam Talchi habeāt, quæ è talcho educi non potest, nisi alia simul misceantur. Existimāt hac aqua futuras esse pulchriores. Auicenna frigidum in primo esse iudicat, siccum in secūdo. Putamus nos ad tertium attingere, & aliquid caloris participare: Ad alia te uertas. SE. *Nullæ supersunt terræ, quibus utamur.* BRA. *Multo plures à Dioscoride, Plinio, Galeno describuntur, quam eæ sint, quas supra enumerasti. At quum de his solum, quarum usus est nobis tractare instituerimus, prædicta supersint, quoniā & hora in aliquod diuersoriū proficiscēdi imminet.* SE. *Imminet profecto, id castrum uersus proficiscamur: Nam Ferrariam eundum est, quum omnia ferè collegerimus, quæ ad nostram officinam reparandam his locis haberi potuere. Intereundum uero, ut cœna sapidior sit, de salibus loquamur.* BRA. *Immo hoc sermone uia breuior reddetur.*

DE SALIBVS, QVORVM IN OFFICINIS *usus est.*

SE. *Sal communis alijs salibus initium facit.* BRA. *In diuersis mundi partibus uarij sunt salis usus, in Italia Marino utimur, qui partim arte factis areis, ut aqua solis feruore exiccari posit, partim sponte innascitur. Fertilissimæ sunt Illustrissimi Ducis nostri salinæ, quæ in cōuallibus Comaclięsibus patent, ut ferè tota Hetruria, Insubria & Flaminia eo uescātur: spissum esse oportet, candidum & planum, in Germaniæ aliquibus partibus, Pannoniæq;*

fosili

foßili sale, atque metallico uescuntur. Montes usque ad duo milliaria in profundum excauant, sursum ingentes salis massas funibus trahentes. Saxeus dicitur hic sal, & marmoreus. ferreis pistillis teritur, & optime salit, probatur in hoc genere, qui candidus, perlucidus, & densus. At qui candidißimus in hoc genere ualde lucidus, & densus inuenitur, Salem gemmæ uocant, quoniam ueluti gemma nitet. In Germania ubi salem effodiunt, & Pannonia quandoque inter globos salis ingentes. Aliqua salis gemmæ portio, sex, octo, & quindecim librarum plus minus inuenitur. Hic uero est perfectißimus sal foßilis, & ueluti flos eius, qui rarus, & paucus in tam magnis, & frequētibus maßis inuenitur, propterea gemma dicitur. Ex Germania Venetias comportatur. Nihil tamen impediet, ut Ferrariā deferatur, curare. De marino sale nihil in præsenti dicemus, quia notior est, quàm ut de illo tractemus. Sal à Cretēsibus uulgo dicitur alaci, à Polonis solprosta. At sal gemmæ, ab Hispanis sal piedra, à Polonis sol oczkouata nuncupatur, est calidus, & siccus ordine secundo. SE. Armeniacus sal defoditur'ne & ipse? BRA. Dicendum est, Ammoniacus, quasi arenarius. SE. À Pandectario armeniacum dici legeram, quoniam ex Armenia portetur. BRA. Nunc altero labore indiges, didiscere, scilicet & eius nominis obliuisci. Ammoniacus appellatur, quia sub arena inuenitur in Aphrica apud Ammonis oraculum, ubi loca sitientißima sunt, & in Cyrenaica regione. Ibi Arena defossa, frusta salis oblonga, extra nigra, uel eruginosa, intus alba, & ad similitudinē aluminis scissilis, non multum lucet, & adeo salsus est, ut ingrato sapore gustetur, tamen medicinæ utilis pro balanis fingendis in difficilioribus morbis, quibus opus est, ad opposita de=

riuare

riuare: Venetijs emes, quãuis ex Germania simile genus salis portetur, qui sapore ingrato adeo salit, ut eo pro ammoniaco utamur. Adeo salsius est hic sal, ut mihi fastidium pepererit inter loquendũ, nisi de sapidiore sale tractemus. Poloni sal ammoniacum salmyan, à Cretensibus uulgo zaparico nuncupatur. Calidus est, & siccus in fine ordinis tertij: Commune nomen salibus Germani habent salez, Hispani sal, Galli sel. SE. Si hic sal ob salsedinem fastidio fuerit: dulcem salem inueniamus. BRA. Quomodo sal, si dulcis est? SE. Nihil impediet idem æque salsum & dulce esse. BRA. Equidem. SE. Sal de quo loquor, Indus sal dicitur. BRA. De hoc in saccharo expeditum est, in India nascitur, in cannarum extremitates, nam calore solis exudat, & extra cannas duratur, & nostro sacchTaro cando similis uidetur, uocatur etiam Mel supra cãnas inuentum. Ad nos non defertur, & eius uice sacchTaro di cto cando utimur, arte parato, quamuis nostri pharmacopolæ, nescio quid, extra nigro, pro hoc sale utantur, quid uero sit incompertum habeo. SE. Salnitrum sequitur. BRA. Nitrum & litrum à Græcis dicitur, uos nitro caretis, & antiqui uestrum non habebant. Nitrum nunc terra, & scrobibus circa parietes inuentis paratur. Antiquũ nitrum sponte in aqua fit, & illac transeuntes, aquæ nitrosæ efficiuntur. Antiquorũ nitrum colore rosæ, aut candido erat. Nostrũ uero aut cãdidum est, si perfectum sit, aut subnigrum, si perfectionem non sumpserit, & nõdum exquisite ebullierit. Antiquum nitrum, à Germanis salez peter, ab Hispanis sal itre, à Polonis saletra nuncupatur: antiqui pro sanandis hominibus, & in uita seruandis utebantur: nos pro necandis, pro eruendis urbibus, depopulãdis gentibus nostrum nitrum paramus. Ex tenuitate, &

esse spongioso, ac fistuloso antiqui suum nitrũ probabant. Nos quod parũ crepitet, in machinis bellicis bombardas uocatis, bombum facit nitrum, nec uehemens esset ictus, nisi nitrum adderetur. Iamq; puluis inuentus est, qui glandẽ sine bombo proijcit, non tamen uehementer, ut uel pullum interficere posset. Illustrißimus Alphonsus Ferrariæ Dux Inclytus in omnibus rebus diligentißimus, hunc puluerem inuenit, qui sine bombo glandem emitteret. fit nitrum hoc modo in præsentiarum in œnotria, in antris caprarum stercus colligunt, & per tres dies in aqua macerant, postea ebulliunt, quousque digitis resiliat, quod residet sal nitrum est, præter nitrum quod fluminibus innatabat etiã nitri spumam habebant, à Græcis aphronitrũ, ab Arabibus baurach appellatur, quamuis baurach, & nitrum confundant Arabum sectatores, & ipsi Arabes, ut Mesue facit, tamen re uera apud Arabes baurach est, nitri spuma. In salibus etiam opus erat te halosachnem, id est salis spumã habere, & florẽ salis, quẽ halosanthos uocãt. Est aũt fauilla salis, de his omnibus Plinius capitibus 7.8.9.&.10.lib.13.agit, & Dioscorides.5.lib. Galenusq; 11.de simplicium medicamentorum facultatibus propè finem. calidum, & siccum existimatur ordine secundo. SE. Sal napticus sequitur. BRA. Quis meminit huius salis? SE. Mesue tamen scire optarim, an apud antiquiores inueniretur. BRA. Inuenitur quidem, sed uos eum non habetis. Plinius lib. supracitato, Salem in Babylonia fieri ex aqua bitumine ablato docet, & Galenus.11.de simplicium medicamentorum facultatibus in mari mortuo Salem fieri monet, quem Sodominum uocant: Ibi enim Sodoma est, ubi asphaltũ colligitur, uos hoc sale caretis, nec opus est, expendere, ut habeatur, quoniam facillimum est sine hoc

sale

sale uiuere, & ab omni ægritudine liberari. Naphricus appellari debet, non napticus, peius proferunt, qui nauticus legunt. SE. Sal Alcali sequitur. BRA. De hoc in aluminibus locuti sumus, arte fit ex herba Cali combusta, quæ dictæ usnæ assimilatur. Vitricinus etiam nuncupatur. Cinis hic emollitur, & in furnũ ponitur, postea additur arena alba, quæ ex Sicilia affertur, & iterum ad ignem ponitur, postea fit sal alcali dictum, quod ueluti aqua est, deinceps uocatur maxacanna, quæ est uiride nitrũ, post additur lapis, qui ex Genua affertur. Et uitrũ album fit. Si autem aqua illa sit ex uitro macerato fit, Vitrũ christallinum nuncupatum. Tamen ex pluribus alijs herbis, et carbonibus, ac lignis, uaria salis genera fieri possunt pro diuersarum gentium moribus. SE. Id scio uerum prædictis tantum in officinis utimur. BRA. Napticum habere non poteris: ammoniacum præterea, uerum ammoniacum non est, sed aliqui fictitium parant. Alij ex Germania cõportatum habent. Salem Indum habere ne magnifacias, quoniam in illo non sibi constant Arabes. nam Auicenna eius proprium colorem nigrum esse censet. 2. lib. sed. 4. libro, inquit eẽ in colore salis, & in dulcedine mellis. Quo autem pro illo uos utimini ex Germania defertur. Alios sales prosequaris. SE. Nullus est alter sal, quo utamur. Iam ad hospitium peruenimus. Herbarie cœnam para, interim de nonnullis loquemur, quæ ad nullam seriem deducere noui. BRA. Age quambreuius fieri poterit, quoniã fame, sitiq; ingentibus corripior.

NONNVLLA QVAE AD CAPVT NESCIunt pharmacopolæ deducere.

SE. Ex his unum est Tutia, & Spodium non quidem illud Auicēnæ ex cannis. BRA. Hæc ad Metalla, aut terræ species adducenda erant, de ipsisq; in radicibus egimus. Nā Tutia à Dioscoride, Plinio, & Galeno Pompholyx dicitur. spodiū uero pars crassior existit, unde in fodinis ærarijs quū Cadmia, uel Climia in camino perficiūtur, fumus subtilior camino inhærens pompholyx, & Tutia est. Crassior uero, & quandoque carbonibus mixtus spodium, unde Galenus quū pompholygem habebat. nunquam spodio utebatur, quum uero spodium, nunquam Antispodio. quod ex cannis Auicenna facit, antispodiū est. Tu quum pompholygem, idest tutiā facillime habere possis, antispodium, & spodium abijcias. SE. Si quispiam medicus spodium ordinaret, quid agendum? BRA. Pompholyge pro spodio utaris, ut Galenus faciebat. Nā pompholyx, idest tutia ē perfectissima pars spodij. Ideo à Germanis utrunque Nix appellatur, quamuis & nonnulli sint, qui Nil Latino uocabulo utantur. frigida in primo ordine existimatur pompholyx, sicca in secundo. SE. Rasura Eboris sequitur. BRA. Ex Elephantum ossibus Ebur fit. Immo ossa ipsa Ebur sunt, & quamuis Græci ebur elephantum appellent, omnia tamen eius ossa ebur dici possunt. Ex dentibus autem, uel dicas cornibus pulchrius fit. Scoben eboris paronychia tolli Dioscorides cēset, & Plinius lib. 28. tamē Paulus Aegineta ex unguibus etiam fieri monuit, à Polonis eburis rasura estrozinij szlonyoucy noszczi uocatur. Sed & Vnicornis, uel Monocerotis cornu habebis. non autem falsum, nā multi lapidem uice cornu Monocerotis habēt. Immo omnes ferè. subniger est color, aut subcineritius. Duo integra cornua Venetijs in Aerario diui Marci reconduntur, omnium quorum uiderim pulcherri-

pulcherrima,& maxima. Si hoc cornu aliubi habere poteris cura, quippe ueneno aduersatur, & puerorum uermes interficit, ut publico consensu receptum est, quod à nullo unquam antiquiore dictum est. uerum si Cerui cornua in hoc usu sunt, cur & illa Monocerotis in eodē usu esse non possunt? At à nullo proditum est, uel ratione comprobatum, Poloni iednorozecz uocant. SE. Nec cornua Cerui omittenda. BRA. Vt habeas curabo, quum Illustrissimus Princeps, & patronus meus Hercules Estensis aliquem Ceruū insecutus defiget, à Gallis Cerui cornua, corne de cerf, à Germanis hirshorn dicuntur. Monocerotis autem cornu, à nobis Alicornio, ab Hispanis cuorno de licornio, à Germanis eodem modo sua lingua einaorn, idest cornu unicornis dicitur. Germani uero Ebur, elephant dicunt, cuius rasuram Galli xachese dinire uocant. SE. Copulæ glandium sequuntur. BRA. In Ferrariensi agro copiose prouenıunt. In Mutinensi copiosius: ego è montanis glandibus potius seruarem. Scutellæ illæ quibus integuntur, & ferè pileola adstringunt, propterea Germani nomen inuenere eichel bueteil, idest glandis pileolum, in his rebus natura prouidit in quibus non est opus, nisi occulta aliqua necessitate factum sit. sunt frigidæ, & siccæ ordine secūdo, à Polonis sxorni zolox dziouc uocātur. SE. Tegname sequitur. BRA. Hoc inter ligna numerare oportebat. SE. Ad me nihil refert, modo apud antiquos agnoscam. BRA. Nihil equidem refert, tamen congenera congeneribus propè esse oportet: scito tegname uocari, quasi Thymiama à suffumigio, eo nempe domus suffumigātur, ut redoleant. Id enim nomen thymiama multis odoratis rebus commune est suffumigio aptis, modo ex floribus non sint. Nos duplex genus corticis habemus, quæ pro

thymiamate

thymiamate pharmacopolæ uendunt, unum craſſum nigrum,& combuſtæ rei faciem habens, cui nigra fruſtula connexa ſunt,ac ſi conglobatæ arboris ſuccus ſit. Alterum ſubtile,& rubrum.ſi hoc ſuffumigaueris,redolet magis quàm primum,immo pluribus primus ille cortex male olet,quem paßim uenditis. SE. *Quid eſt apud antiquos?* BRA. *Dioſcorides primo lib.de Naſcaphtho pertractat,quod ueſtrum tegname, aut thymiama eſſe arbitror,Ex India defertur naſcaphthon, natura corticoſum eſt,& additur ad ſuffimenta,ſed ingrato odore.Recentes Naſtatimon legunt,quum naſcaphthon legere oporteat.* SE. *Loquũtur'ne de ipſo Arabes?* BRA. *Loquuntur quidem,nam Serapio capite centeſimo octuageſimo ſexto, ſub nomine Laſabatem de naſcaphtho pertractat.Genuẽſis decipitur,qui nabach Serapionis eſſe arbitratur,& errandi anſam Pãdectario præſtitit qui ex aliorum dictis, & non ex ipſo fonte colligit.Quippe nabach fructus arboris eſt,ut de illo Auicenna quoque ſcribit, ſed laſabatem,Dioſcoridis naſcaphthon uere eſt. Interpres aut librarius aliquis deceptus eſt,qui in Serapione nabach poſuit,quum laſabatem ſcribere debuiſſet. hæc autem nihil ad rem,modo noſcas ueſtrum tegname, uel thymiama,id eſt corticem illum apud nos in ſuſpitionem ueniſſe, ut Dioſcorides naſcaphthon, & Serapionis laſabatem dici oporteat.Cõparato enim laſabatem Serapionis naſcaphtho Dioſcoridis, idem eſſe pictura demonſtrat, immo à Serapione exquiſita Dioſcoridis uerba adducuntur. Sed unus eſt in Genuenſe,& Pãdectario adeo ſupinus error, ut dißimulari non poßit,ubi Dioſcorides corticoſum dicit,ipſi ſine cortice legunt,quum tamen cortex ſit, de eo Galenus,& Paulus eodem ferè modo pertractant, ut Se-*

rapio Pauli uerba adducens, eadem scripsisse Paulum fateatur, quæ Galenus antea edocuerat. SE. Certum est nostri thymiamatis odorem multis displicere. Aliorum forte miscella gratus efficitur. BRA. In compositionibus etiã ingratissimum odorem spirat, ut diebus proximis in uarijs miscellis, quas Illustrissimus, & Excellentissimus Ferrariæ Dux Alphonsus suis manibus me præsente parabat, ut uir erat nouarũ rerũ sitientissimus expertus sum, quem nuper mors impia, crudeles parcæ nobis abstulere. O incertæ, & inconstantes mundi res, o curas hominum, quantum est in rebus inane. Clemens Pontifex septimus intestino odio Alphõsum Illustrissimum Principem prosequebatur. Septimo kalendas Octobris obijt Pontifex Anno à Christi ortu milleno quingẽteno trigesimo quarto. Quinto kalendas octobris uigesimaprima hora Illustrissimo Duci relatum est Clementem obijsse. hora prima noctis Illustrissimus Dux ægrotare cœpit pridie kalendas nouembris hora sexta noctis sextadecima horæ parte dempta, Immortali Deo animam reddidit rebus suis Christianissimo more dispositis. O iniqua fata. O Syrenes usque in exitium dulces humanas res, quæ quum blandiri incipiunt, mox necant. Nõ potuit hic generosissimus Princeps res suas pacatas unquam uidere. Nã ab initio principatus usque in uitæ calcem omnia aduersa, quæ Principi contingere possunt, habuit, & egregie superauit. Potentissimi hostes eum non modo pungere, sed uorare, & deglutire tentarunt. Ipse dimicans, & sapientia omnes expulit, uicit & trumphauit. Toties ei factæ sunt insidiæ, ut pigeat, ac pudeat à quibus, & quoties referre. His omnibus denique superatis, quum tempus quietis instaret, morte præuentus, dum excogitabat ipse reliquum

uitæ in noscendis rerum causis, in uarijs experiũdis transigere. O quoties mecum loquens dum ægrotabat, in hæc uerba prorupit. Mi Antoni, si à præsenti ægritudine euadam, ingens uiridarium tibi decreui, & nuntios quorsum iusseris mittam, ut herbæ, quæ apud nos non sunt, afferantur. adeo simplicium medicamentorum notione delectabatur, ut integre Andromachi Teriaca fieri posset. Spoponderat nuntios ad omnes mundi partes mittere, in quibus simplicia medicamenta efficaciora inueniuntur, quod infectum non relinquet Illust. & Excell. patronus Hercules Estensis, eiusdem Illustrißimi Alphonsi primogenitus, qui post dulcißimi, & sapientißimi genitoris obitum, magno omnium gaudio, & plausu in festo omnium sanctorum dux creatus est, quem uideo integerrima pace, & quiete diu uicturum, nempè omnia plausere nouo Duci. Nec cœlum potuit ingentibus pluuijs prius patris mortem deplorans, non ostẽdere lætitiã. A summo Olympo risit Apollo, & nubes fugauit, ut diem lætam nouo Principi daret, & quietem perpetuam ostenderet, cum quo Deus est, qui in bonorum animis insidet. S E. Audiui de hoc Principe talia, qualia à Iuuenum animis abesse soleant ut diuinus potius quàm humanus dici mereatur. B R A. Multa quidem de illo digna circunferuntur, sed non talia ut eius benignitas expeteret, ut eius frugalitas, & clementia expostulant. Pius est, mitis, iustus, Dei præceptorum summus custos, & quod nunc rarum in Principe est liberalis. Cuius testis sum ego, quem amplo prædio in Carpensi agro donauit. Vt deinceps mihi nec succidia, nec panis (ut Ciceronis parœmia utar) deesse poßit. Non est autem hic locus Herculis Illustrißimi Ferrariæ Ducis Encomiũ canere, sed alias plenius (ut dignũ

est tanto Principe) aggrediar. Interim alia prosequaris, calidum, & siccum est ordine secundo intenso, uel in principio tertij. SB. Tartarum sequitur. BRA. Nec aliunde quæras quàm Ferrariæ ad quam præ potentia uina confluunt, quamuis mediocria nascantur, separatim ex nigro, & albo uino, ex præpotenti, & debili tartara serua. Tartari drachma in iure bibita ter, aut quater, præter noxam soluit. Hispani latinum nomen sequuntur, alij rasura de botas. Germani vvein stein appellant. i. lapidē uini, Neapolitani nitro de bota. Poloni vaystyn. Cretenses uulgo groppeda, Veneti grepola. SE. Antale, & dentale sequuntur. BRA. Tot ab antiquis authoribus testarum genera in usu medico recepta sunt, ut difficile sit species interstinguere, & difficillimum omnia demonstrare nunc tamen conabimur has duas species (si poßibile erit) apud antiquos inuenire. nonnulli quod uos dentale appellatis, dentes esse illius optimi piscis, quem uulgo dentale uocamus, putarunt, sed falso: nam dentale piscis auratæ aßimilatur, sed magnitudine eam excellit. Constat autem dentale uestrum, citrinum unguentum ingrediens, piscis dentes non esse, sed inter conchas numerandum, de quibus ab antiquis sermo fit. Dentale, & antale in purpurarum genere à Plinio libro nono capite. 36. & Dioscoride libro secundo numerari uidentur, & à Plinio eodem loco dentale buccinum dicitur, à Galeno buccinum marinum, quia similitudinem habet cum buccino, quo sonus editur. Antale à Plinio purpura uocatur, tamen & in genere buccini quoque est. Galenus in emplastro albo Ariobarzanio inter alia, buccinorū cinerem addit. Ceryces à græcis buccina uocantur. nam idem est ceryx quod præco apud græcos, propterea buccinum dicimus, quod

ipsi

ipsi cerycem nuncupant. Recentes dentale appellāt, quia cum dentibus similitudinem habere uidetur, uiuunt hæc, sed an sensum habeant immerito multi dubitāt, quum sensu uigere oculata fide constet, post marinos æstus supra maris litora inueniuntur: sunt qui hæc cocta, & qui cruda edunt, sicut alia conchylia, antale diuersis inuolucris circungyratur, tamen buccinum est. Accidit quandoque flante uento, per antalis anfractus sibilum emitti, ut tuba uideatur. Hæc Venetijs emes, aut circa mare quæras, quum in Malatiam, post ingētes æstus uenit. optarem ut buccina carnem habentia emeres, quoniam (ut Paulus inquit) oleo decocta aurium doloribus proficiunt. Quamobrem dentale buccinum est. Antale apud antiquos purpura, ideo Galenus undecimo libro de simplicium medicamentorum facultatibus eodem capite de buccino, & purpura tractat, & Dioscorides primo de purpura, mox de buccino, tanquam de congeneribus expediuit. Tamen murex plura amplectitur, quàm buccinum faciat. qui uero tellinas ex nominis uicinitate dentale esse arbitrati sunt, aberrarunt, quoniam tellinæ albæ sunt in genere cōcharum, lenes & perpolitæ, nullo modo striatæ, & sunt tellinæ quas nostrum uulgus peucrazze, & peucracinas nūcupant, exiccant omnia ordine secūdo. Et ferè temperata sunt in actiuis, uel ad frigiditatem inclinant. Ad alia te conferas. HER. Cœna parata est, & iam frigescunt pultaria. SE. Vmbilici marini supersunt qui nos paululum remorantur. BRA. Pulchrum nomen est à re ipsa sumptum, quoniam hominis umbilico similes spectantur, ab antiquis in genere cochlearum marinarum numerari solent. Vnum uero in genere admonēdum, omnes has testas exiccare. propterea Galenus in buccino de omnibus

unà pertractat, & in genere. ab Hispanis beligoli uocantur, emblici marini. Et à Cretensibus uulgo, amathias talassas. i. oculus marinus, ad imagines suspendunt dicentes oculis succurrere. SE. Lauemus manus, & è regione huius ostij sedeamus, ubi suauis aura spirat. HER. Et ego in hunc angulum secedam, ne sudans laterali morbo capiar. BRA. Considerare oportet, nunquid alia sint in his montibus quærenda, aut aliò eundum ut habeantur. SE. Nihil amplius est quod hic desiderem. Cras Ferrariam reuertemur, ea conditione, ut comes sis, & alia nonnulla meæ officinæ commoda necessariaq; tractemus. BRA. Non possum tibi non obtemperare, quamuis mihi alio eundum erat. Nunc autem tempus quietem exigit potius, quàm uerba, & dulcis sopor influit per membra. HER. Dormiamus igitur, ut summo mane surgentes, magnam itineris partem perficiamus. SE. Iam somno capiebar, nisi tuis uerbis interturbasses Herbarie.

DE PINGVEDINIBVS, QVARVM IN OFFICINIS pharmacopolarum usus est.

HER. Surgite iam. Diluculum instat. en Venus iterum eradiare cœpit. BRA. Lucifer mane appellatur. SE. Inter eundum alia simplicia excogitare, & percribrare oportet, quibus indies utimur. BRA. Quæ sunt hæc? SE. Primo pinguedines occurrunt. BRA. Quorum animalium? SE. Gallinæ, anatis, anseris. BRA. Ferrariæ eiusce modi pinguedines perquam commode habentur. Tamen glocientes gallinas euitare oportet, & antiquas. Anserum uero, atque anatum syluestrium pinguedinem seorsum à domesticis serua. nam syluestrium pinguedo calidior,

calidior,& subtilior existit,debentq; citra salem inueterari,ut Dioscorides secundo libro,& Galenus undecimo de simplicium medicamentorum facultatibus ostendunt. Tu si seruare cupies,hos authores considera, qui plures modos seruandi secundum diuersas etiam pinguedines docent. Ad nonnulla etiam recens ualet,ad quæ non inueterata,& econtrario. Nec te prætereat marium pinguedinem calidiorem,& sicciorem fœminarum pinguedine esse,ideo seorsum marium & fœminarum pinguedines serua. Differunt pinguedo, & adeps, quoniam adeps in ualde obesis animalibus pinguedo est. pinguedo uero subtilior. propterea obesa animalia etiam uulgo adipem habere dicimus. Animalia uero quæ macilenta non sunt,& integra sanitate fruuntur, pinguedinem habere,& pinguia esse fatemur,non tamen adipem habere,ideo pinguedo intra carnem. Adeps in fine carnis existit. SE. Seuum quid est? BRA. seuum,uel sepum in ruminantibus adeps est,in fine carnis in sue. Sepum,sed ineptum etiam ad candelas, & axungia seruantur. in renibus sumenda esse Dioscorides secundo libro animaduertit. seuum,& adeps facile gelantur, non gelatur facile pinguedo. Tamen inter loquendum quandoque pinguedine pro adipe,& adipe pro pinguedine utar,ut sere recentes faciunt. At tu in officina pinguedinem ab adipe separatam habeas,quoniam pinguedo calidior, & minus humida est. Vbi autem magis humectare opus sit. adipem sume, Vbi minus pinguedinem. Nũc in usum uenit uitulinam pinguedinem seruare ad circumlinenda catapotia, ne amaritudo sentiatur. Pinguedo ab Hispanis bordura, à Polonis chostosczian, à Cretensibus uulgo pachi nuncupatur. Galli uero galinam poule. Poloni kokos

si.Cretenses ornitha. Germani henn. Hispani ut nos uocant.sed anas à Gallis canart, ab Hispanis anade, à Polonis kaczki. Cretenses uulgo papices, à Germanis ent, dicitur. Appellant uero Hispani anserem, ansaron, Galli oyee. Poloni goxsszi. Neapolitani. Papare. Cretenses uulgo chines. Germani bans, quod nomen apud Germanos antiquissimum est. Nam Plinius capite uigesimosecundo lib. 11. banzam uocari apud Germanos anserem scriptum reliquit, ac si Plinius Germanum nomen declinaret à bans, quod quum ipsi proferunt, adeo aspere referunt, ut s. π. sonare uideatur. SE. Taßi, ursi, ceruiq; pinguedines sequuntur. BRA. Non parum etiam refert an pinguedo ex iuniore, uel seniore animante sit. In his montibus tassorum, ursorumq; pinguedines à rusticis emes, priusquam discedamus. Vereor autem ne decipiaris, & aliam pinguedinem pro ursi pinguedine uendant rustici hi montani, omnium rusticorum perditißimi, qui continuis factionibus sese mutuis necibus interficiunt, sed en occasio offertur, qualem uolebamus. Ab hoc rustico ursus interfectus est, pinguedinem emere quid prohibet? ut ex urso sumptam certi simus. Deinde Ferrariæ Dioscoridis more aptabimus, seruabimusq;. nec tassum illum uiuum prætermittamus quem mulier funiculo ligatum habet: cum Ferrariæ una comedemus, & pinguedinem seruabis. Dioscorides, Galenus, & Paulus huius animalis pinguedinem prætereunt. Constat autem plurimum emollire. Cerui pinguedinem ut habeas curabo, quum Illustrißimus patronus Hercules Estēsis nūc nouus Ferrariæ Dux creatus, cui fata secundent, Ceruos uenatione defiget: Taxus animal est ferè in murium alpinorum genere, à quo Ferrariæ

rariæ nobilißima Taxonorum familia nomen sortita est, in quo sunt duo ingentia uirtutis lumina, Galeaceus patruus, & Nicolaus nepos, quorum minora non sunt, Hercules, Camillus, & Alphōsus, de quibus alias: Galli ursum ours, Hispani, ut nos Germani beer, Poloni myedzwiedzie, Cretenses uulgo arcuda uocant. Ceruum uero Germani hirs, Galli cerf, Hispani cieruo, Poloni zelenij, Cretenses uulgo laphi nuncupare solent. SE. Equi pinguedo sequitur. BRA. Curabo ut hanc pinguedinem à Magnifico Petro Manfredo Mauro cognominato habeas, qui ea frequenter ad equorum ægritudines utitur. Tamen ipse pinguedinem comarū equi appellat, quia ex collo potißimū eliquat, è quo comæ prodeunt, Germani equum pfert, Galli cheual, Cretenses uulgo alogu, Poloni konskie, Hispani ut nos cauallo nuncupant. SE. Hirci pinguedo sequitur. BRA. Et hanc Ferrariæ habebis: Est enim Hircus caprarum maritus, quem uulgo becho nuncupamus, & per similitudinem eos homines bechos appellare consueuimus, qui sponte eorum uxores ab alijs uitiari sinunt: quippe omnia animalia ægre ferūt, si compares suæ alijs iungantur, & pro hoc actu dimicant, præter hircum. Quam ob rem inter Ferrarienses institutiones sancitum est, si quis patiatur sciens, & uolens uxorem eius ab alio uitiari, supra currum ligatus, caput hircinis cornibus redimitū habens per totam urbem ducatur, ut hoc probro uilescat. A Gallis hircus bonetti, ab Hispanis cabron, à Germanis pocn, à Polonis kozloue dicitur. SE. Castrati pinguedo præter dictas habenda. BRA. Hanc etiam ne aliūde quæras, quàm Ferrariæ. Agnus est dum pueréscit, quum creuerit Aries efficitur, ouium maritus. si castretur, ueruex dicitur, uos autem castratum nominatis. Dioscorides modum

dum seruandi lib. 2. docet, quamuis & alij sint modi post Dioscoridem inuenti: Galli castratũ mouton, Hispani carnero, Germani semmel, Poloni skopoue, Cretenses uulgo munucho appellant. SE. Hominis pinguedo sequitur. BRA. De humana pinguedine exordiar. Si in primis animaduertero, castratorum pinguedinem à Galeno fœminæ aßimilari, ut eandem ferè qualitatem habeant pinguedo fœminæ, & castrati in suo genere. Adeo ingentes uires nobis tribuũt testiculi, qui in causa sunt, ut tauri nunquam aratro assuescant nisi castrati. Pro humana autem pinguedine seruanda, quum suspensi alicuius sectio fiet, ut assequaris curabo: Quippe illi displicent, qui his detrahunt, qui ex homine medicinas parant, ut Alexander Benedictus: quoniã apud antiquos medicos cum Græcos, tũ Arabes ex homine plures ad artẽ medicã spectantes compositiones fieri colligitur. Et Galenus ex humano stercore quosdam affectus leuari docet, & ex aurium sorde, atque totius corporis. Adde hominem homini magis aßimilari, quam aliquod aliud animal, sed hæc alias disputãda sunt, & diffusis ac certis argumentis comprobanda. Nũc nunc etiam Ioannes Sinapius Germanus uir omni bonarum literarum genere refertißimus, & noster in naturali philosophia Discipulus, libellum ostendit ueluti Enchiridion Botanologicon inscriptum, quem ueluti per transennam non quidem legi, sed una nocte uoraui. In quo libelli author eos taxare uidetur, qui ex hominũ partibus quicquam in re medica faciunt: Sed ipsius pace dixerim, quum humanæ partes per notas qualitates alicui ægritudini succurrunt, in his præsertim, quæ exterius applicantur, humanis partibus potius utor, quam alterius animalis, & ita cuicunque agendum suadeo. Nomen authoris libelli

belli, Euritius cordus est, Simesusius, quem coram ex facie noui, quum Ferrariæ literis incumberet. In contubernio excellentißimi Vincentij Caprillis, Euritius uere cordatus uir longa experientia præditus. Cuius libellum antequam ad hāc usque nostri laboris partem peruenissem, legisse optarim. quippe maximo mihi adiumento fuisset, præsertim in Germanis nominibus agnoscendis. Et quāuis Galenus .10. de simplicium medicamētorum facultatibus illos reprehendere uideatur, qui partibus humanis utuntur, intelligēdus est. Cum alia potiora habeantur, neque alijs in locis prætermittit ad quæ ualerent diuersa, quæ ad hominem spectant edocere, pace præterea Plinij dixerim lib. 28. cap. 1. Cum potiora non habeantur, quæ de homine haberi poßint in usu esse debent, potißimum cum extrinsecus est eorū usus. Nō enim hoc abominabile est: At quid abominabilius, quàm caninum stercus exhibere in Angina? tamen & Galenus hoc præsidium laudat, quanquam in genere .10. de simplicium medicament. facultatibus reprehenderit. Ad rem nostram redeuntes, Germani hominem mensch, Hispani hombre, Galli homme, Poloni czlouiecze nuncupant. SE. Serpentis pinguedo sequitur. BRA. In hac pinguedine errores innumeros faciunt, & pharmacopolæ, & qui sine distinctione indicunt medici. Nam uocabulum serpens, omnia serpentia significat indiscrete, quæ innumera sunt, ut etiam Quintus Serenus, & plures alij antiqui, puerorum uermes, & terrestres serpentes appellarunt. SE. Rari sunt qui hac pinguedine utantur. Immo nunquam probos medicos ea uti uidi, sed Agyrtas solum & ethologos. BRA. De pinguedine uiperæ apud authores sermo sit, de aliorum serpentū adipe, nihil ferè legi apud quēquam probatū, nisi apud

Albertum

Albertũ magnũ,quẽ tamen nõ ausim,nec uolo inter probos rei medicæ authores numerare. Quũ igitur serpẽtis pinguedo simpliciter quæritur,uiperinũ adipem intelligẽdum censeo,qui per decoctionẽ colligitur. Bononiæ pharmacopolas uidi,qui ex quocunq; serpentis genere(puerorũ uermibus,& terrestribus lumbricis dẽptis)indiscriminatim acciperẽt. Serpentẽ,Galli couleuure,Hispani culebra,Germani schlang,Poloni uoxzoue, Cretenses uulgo ophides uocãt. SE. Sunt & qui Leoninã pinguedinem,in suis compositionibus,quas recept asdicunt accipiant, sed an leonina sit,quam Venetijs emimus,ignoramus. Ideo in mea officina hanc habere paruipendo. BRA. Nec immerito,quũ rem ipsam an talis sit ignores,à Germanis leua,à Gallis,& Hispanis,ut nos lion,uel leon nuncupatur primi lion,Hispani leon uocant,à Polonis liuouc,à Cretẽsibus uulgo lendari. SE. Nullis alijs pinguedinibus utimur,sed Medullæ sequuntur. BRA. À Dioscoride autem & Galeno plures aliæ enumerantur rei medicæ necessariæ. SE. De illis nihil ad nos, quum ea planitie, quæ in decliui uidetur, potiti erimus. Medullas quibus utimur, enumerare incipiam. BRA. Scito interim Galenum pinguedinem omnem calidam,& siccam existimare: differũt tamen ratione specierum animalium,ætatum,sexuum, & castratorum,atque integrorum.

DE MEDVLLIS, QVARVM IN OFFICINIS usus est.

BRA. Expedit Medullas,quibus uteris enumerare. SE. Id faciam,si in primis animaduertero, Medullas potissimum,è cruribus accipi. BRA. Tamen Galenus. 11. de sim

plicium

pliciū medicamentorum facultatibus, etiam ſpinalem medullā ex brutis colligi cenſet,& ſeorſum, à Medulla crurium ſeruari: Nempe medulla proprie crurum dicitur, eſt autem ſpinalis medulla durior, & ſiccior alijs, has ſeorſum collige, ut Galenus præcitato loco,& Dioſcorides ſecundo lib. docent, diuerſo tamen ingenio. SE. Prima medulla crurum oßis Cerui eſt, ſecunda uituli, tertia bouis. BRA. Et merito per hunc ordinem numeraſti, quoniam Galenus,& Dioſcorides medullæ ceruinæ primum locum tribuunt, ſecundum uitulinæ, tertium taurinæ,& hircinæ ſub taurina Bouillam comprehendimus, Germani medullam marck, Hiſpani tuetano, Cretenſes uulgo emniato, Poloni mozgi uocant. Vitulus autē à Gallis uran, ab Hiſpanis bezeron, à Germanis kalb, à Polonis czieloxczia à Cretenſibus uulgo muſchari dicitur. Sed Galli bouem beuf, Hiſpani buey, Germani rindt, Poloni uolu, Cretenſes uulgo budi appellant. SE. Agni medulla ſequitur. BRA. Ferrariæ probatißimam habebis, ubi curabo, ut ceruinam aſſequaris: Agnus ab Hiſpanis cordero, à Germanis lāb, à Polonis barana, à Cretenſibus uulgo argni uocatur. SE. Poſt medullas pulmones ſequuntur, de quibus ſtatim agemus ſi prius hoc flumen tranauerimus. Calefaciunt medullæ omnes,& humectant, ſed pro animalium ratione.

DE PVLMONIBVS, ET TESTICVLIS.

SE. Vno tantum Pulmone utimur nos pharmacopolæ. BRA. Ergo & uno corde? SE. Immo nullo corde. BRA. Forte nulla mente intelligis. SE. Rem non accepiſti, intelligebam nullius animalis cor noſtras officinas ingredi. BRA. Tui autem ſerui animalia ſunt. Igitur nec tuorum ſeruorum



ſeruorū corda in officinis habes? SE. Vtinam mendaciū eſſet, & ſalibus tantum iocaremur. ſed re uera meorum famulorum corda extra officinam ſunt, quia amaſijs, & puerilibus deliramentis uacant. Ad rem uero proficiſcentes. Pulmonem uulpis ſolum medici recipiunt, & noſtras compoſitiones ingreditur. BRA. Hunc pulmonem ſiccatum, potumq; ſuſpirioſis mederi Dioſcorides cenſet. Compoſitionem habetis ex hoc pulmone probam, & quæ ſuſpirioſis magnopere proſit. Dioſcorides, & Galenus de pluribus Pulmonibus unà ſcribunt, quos omnes ad attritus calciamentorū ualere iudicant. À Gallis pomnon de renart, à Germanis fuchs lumgen, ideſt uulpis pulmo nuncupatur, à Polonis uero liſſzion plucze, & à Cretenſibus uulgo phlegmagni tis alopus. SE. Vnius etiam animalis teſtibus utimur. BRA. Cuius? SE. Caſtoris. BRA. Et Caſtorium dicitur ipſe Teſticulus ad tot in re medica ualet, quod (ut Galenus. 11. de ſimplicium medicamentorum facultatibus refert) Archigenes integrum librum de ipſo perſcripſerit, hoc animal Dioſcorides Amphibium appellat. quoniam, & in aqua, & terra uiuat; ſed potiſſimum in aqua moratur, ob piſciculos, & cancros, quos ſedulo expiſcatur, & quibus ueſcitur. Nos uulgo hoc animal Biuaro nuncupamus, Poloni bobrouij ſcroij. Galli latinum nomen ſequuntur. Caſtor, Germani à pelle quā ſupra dorſum in cauda habet, ut Oropygium in auibus, biber geil nuncuparunt. Receptum eſt, & adeo animis hominum impreſſum, ut nunquam dimoueri poſſit, hoc animal ſibi teſtes amputare, quum uenatores eum ſequuntur, quum nouerit cauſam cur inſequantur, aut quia nobis inuidet, ne illam partem habeamus, propter quam illū inſequimur. Fingunt autem Recentes, quum eo deuentum eſt, ut fuge



re nequeat, sibi eam partem amputare, quæ mali causa est, ut hoc ansam dederit pluribus amantibus picturas ex hoc animali sibi fingere. Idem Plinius cap. 30. octaui lib. quamuis. 3. cap. lib. 32. dicat medicorum uulgus id existimare, At Sextius medicus diligentißimus falsum esse obseruauit. Immo adeo paruos, & substrictos habere, & spinæ adhærentes, ut adimi non poßint, nisi uita animalis simul adimatur. Dioscorides idem sentit non posse adimi, quoniam substricti, & adhærentes sunt, quales sues habēt & nos hoc obseruauimus ter, aut quater in uiuis fibris, et mortuis, non sunt quales ab aliquibus venetijs uendūtur. Lutræ similitudinem habet, cauda solum differt, & habitu corporis, tamen & lutrarum testes eadem ferè ualent, ad quæ Castoreum. In Ponto nascuntur, & in fluminibus aliquot Hispaniæ frequentes sunt, & apud nos ubi Padus mari iungitur. Quum annis proximis essem cum Illustrissimo Principe Alphonso Duce Ferrariæ, circa loca eius maritima, ubi dicitur, caput Gauri uulgo Codegoro, in aquis Castorem conspicatus pilosum piscem putabam, sed nautæ uenatores eum sequebantur. Vnus erat in prora contum ferratum habens, alij paulatim nauem ducebant uersus eam partem, in qua fibrum submergi uiderāt, quū fiber motu exterritus, caput exereret. hic qui contum habebat illum cōfixit quem Illustrißimo Duci præsentarūt. Ego autem illum membratim dissecui. Denique testes, & paruos, & ferè dorso inhærentes inuenimus, Reperiūtur & eo loco lutræ, quamuis in Neapolitano agro frequentiores sint: Intra pelliculam castorei liquor est, qui cerosus esse debet, odore graui, & redolente uirus, gustu mordaci, & acri, friabilis. Ex uno principio, hi testes sunt. Vos autem pharmacopolæ nescio quid Venetijs pro Castoreo

ſtoreo ematis, quum facile apud nos haberi poßit fiber, nec in Pontum, *aut* Hiſpaniam *mittendum, eius morſum euitant inſequentes, quoniam nunquam deſerat, niſi perfracto membro: Ad alia pedem conferas.* SE. Olea *ſequũtur, de quibus ſtatim agemus quum* Alpes *iſtas ſuperauerimus.* BRA. Immo *ut uia breuior uideatur, inter eundum enumera.*

DE OLEIS QVAE EX MINERA SVMVN*tur, & quæ per expreßionẽ fiunt, & quæ igne parantur.*

SE. Olea, *quæ mineris innaſcũtur, & ſubterraneis meatibus in hoc ordine carceres habent.* BRA. *Eorum nomina edoce.* SE. Petroleum, *oleum de monte* Zibio, Oleum *de ſaxo.* BRA. *De his ubertim in* Aſphalto, & Naphta *prædiximus, addidimusq́;* Petroleum, *ex regno* Neapolitano *adduci, e particulari loco, qui uulgo nuncupatur il* Tocho. *quanquam & in aliјs fiat locis.* SE. *Ad olea igitur, quæ per expreßionem fiunt deſcendam, inter quæ in frequentiſsimo uſu ſunt, quæ ex* Amygdalis *amaris, & ex dulcibus fiunt.* BRA. *De his in fructibus dictum eſt:* Non *pigebit tamen addere, quo ad guſtum perfectius fieri, ſi pellicula circundans dematur.* Nec *temperare poſſum, quin pinguiuſculum quorundam pharmacopolarũ errorem detegam, qui ab ethologis oleum* Amygdalarum *dulcium emunt, in ueßicis portantibus, quum tamen oleum ſeminum lini ſit.* SE. Id *mihi diebus ante actis accidit, propterea ſtatui deinceps nunquam emere, ſed in officina expreßis amygdalis parare.* BRA. Para *& alia ut oleum ſeminum lini.* Oleum *ex uitellis ouorum, quod falſo nonnulli pharmacopolæ cicatrices delere contendunt*

dunt, ut oua à ſatuis detrahant. Nunc tamen *mulierum uſus eſt, ex hoc oleo ſacies decorare, aut ſimpliciter, aut alumine, ſaleq; gemmæ additis*. SE. Itaque *ex ſeminibus cucurbitæ oleum parabo, ex glandibus, atque nucibus*. BRA. *Oleum ex nucibus in uſu medico non uidetur*. HERB. *Saltem ad accenſas lampades ſeruandas habendũ*. SE. Tamen *et multis ægritudinibus ſuccurrit, quomodo fieri oporteat*, Dioſcorides *ſecundo libro oſtendit*. HER. *Cur aliarum nationum uocabula prætermittis?* BRA. *Vt tibi morem geram exarabo*, Galli *oleum huille*. Hiſpani *azeytes*. Germani *oel, uel oeuel, e ſupra o ponentes, & ſono quodam inter o & e medio proferentes appellant*. Nuces *ab* Hiſpanis *nuezes*, *à* Polonis *orzech, à* Gallis *noys, à* Germanis *nuſſ uocantur*. Linum Germani, *&* Galli *lin, uel* Germaniæ *lein*. Poloni *len*. Hiſpani *ut nos lino dicunt*. Ouum *ulx* Galli. Hiſpani *iueues* Germani *ey* Poloni *iayt, nuncupant*. *oleum cucurbitæ, ab* Hiſpanis *azeites de pepitas de calabacas*, *à* Gallis *huille de courges nominatur*. *glandes* Hiſpani *bellotas*. Galli *glans*, Germani *eichel*. Poloni *zolexcz uocant*. SE. *Perſicorum oleum, & chryſomalorum ſequitur*. BRA. *Ex horum ſeminibus oleum fit, non ex fructibus*. Tamen *perſicorum oleo raro utimur, quoniam eius loco amygdalarum amararum oleum ſumitur, quãuis ex perſicis oleum exiccet magis, quàm ex amygdalis amaris, per chryſomela autem quid intelligis?* SE. *Fructus illos quos muniacas appellamus*. BRA. *A* Germanis *amarellem uocantur*. Dioſcorides *in cotoneorum genere, chryſomela numerat. colorem aureum, & ſuauiſſimum odorem habẽt, & per coſtas diſtincta ſunt*. *Alij melimela eſ-*

se à melleo sapore, quæ à Varrone Mustea appellantur propter celeritatem mitescendi, & re uera nullum pomum celerius mitescit nostro dicto armeniaco. In persicorum genere, aut prunorum potius numerāda sunt, quæ armeniaca nuncupamus, quoniam ut inquit Plinius, ex armenia delata sunt. Nos uocabulum corrupimus, & muniacas, quasi armeniacas uocauimus, quæ Palladius inter persica numerat. Oleum seminum horum fructuum hæmorrhoidum doloribus succurrit, & à nobis pharmacopolis in hoc usu tantum fit. Hominum ingenium, quod nunquam desinit noua rimari per uarias insectiones, medias quasdam arborum species, uel indiuidua inuenit quæ nunquam excogitauit antiquitas. nos uulgo albercocco uocamus fructus inter persicum, & armeniacum medios, cuius sapor nonnihil etiam persici repræsentat. Appellant Germani persicum psirsn. Poloni brzoscinya. SE. Glandis oleum sequitur. BRA. Apud authores glans unguentaria reperitur, quam nos uulgo been Arabico nomine uocamus, balanus ab antiquis, & balanus myrepsica. De balanino oleo Dioscorides primo libro tractat, quod nos uulgo oleum de been nūcupamus. SE. Nunc de hoc oleo non loquor, sed de oleo ex roborum glandibus facto.

BRA. Esto Ferrariæ exprimes, nunc autem glandes in his montibus collige, ex robore tantum, non ex ilice, aut altera arbore, quamuis suas uires, & hæ glandes habeāt. A Polonis glandes zoloxez uocantur. SE. Laurinum oleum sequitur. BRA. De hoc in herbis scriptum reliquimus, ubi omnia quæ ex hac arbore colligi oporteat monuimus. In his montibus baccas collige, quas ad oleum conficiendum Ferrariæ exprimes. Sunt enim hic efficaciores

ciores quàm Ferrariæ. Tamen frequentissime lauri Ferrariæ uirent, & aliquot locis adeo Ferrariense solum amat, ut ferè sponte crescat. Vestalium uirginum pudicissimarum, probatissimarumq; cœtum nostra patria habemus, inter quas nõnullas sanctas numerare possem. Corporis Christi sorores nuncupantur. Claustrum habent, in quo adeo crescunt, pullulant & multiplicantur lauri, ut uix recidentes agere posint quin ubique scaturiant, immo ipsis inuitis pullulant. SE. Est'ne claustrum illud in quo Illustrissimi Ducis filia moratur? BRA. Illud est in quo Eleonora Estensis uirgo pudicissima, huius mũdi illecebris sponte derelictis, uitam sanctissimam uiuit, & in continua dei obsequia ducit, quæ ueluti morum specimen ac speculum. Alijs optime probatissimeq; uiuendi exemplar incõparabile tribuit. Ipsamet etiam patre prius inuito, qui filia unica spoliari nolebat, sese diuinæ speculationi, & Christi obsequijs tradidit, & Domina, ac Imperatrix aliorum imperio semet sponte subiecit, literis diuinis operam nauat sedule, & nulla est liberalis ars in qua non sit exquisite uersata, sed pro hoc oleo Dioscoridem primo libro consule. SE. Certe (ut de ipsa audiui) semper in melius proficit. Oleum de spica sequitur. BRA. Apud nos duplex oleum de spica reperitur, odoratum unum. Alterum simpliciter de spica nuncupatum, sed apud antiquos odoratum solum de spica reperitur, quod nardinum uocant, apud nos confectum suauiter non olet, quoniam ex herba uulgo dicta lauandula, & non ex nardo fiat, sunt nonnulli qui lauandulam nardum Gallicam credidere, immo Genuæ multi ex lauandula nardinum oleum magno errore parant, quum apud ipsos uera

nardus sit. Alij, quum lauandula ab indigenis aliuca nuncupetur, saliuncam apud antiquos esse existimarunt. Alij libanotidis coronariæ speciem censent. oleum quod apud nos fit uiride est, si autem ex Gallia deferatur, aut ab aliquibus Genuensium officinis, flauescit, & magis redolet. Diuersis modis conficitur, per expreßionem seminum, ui solis, aut ignis, sub terra ad statutum tempus in uitreato uase conditur, ut Nicolaus in eius antidotario præcipit. SE. Oleum myrtinum sequitur. BRA. De hoc à Dioscoride primo libro, & myrteum uocat. SE. Sesaminum oleum sequitur. BRA. Sesamum in Græcia, & Aegypto frequentißimum est, immo nullum alterum oleum in cibis, & usu habent Aegyptij: Græci, & oliuarum oleo, et sesamino utuntur, sed ad dulcorandum panem sesamum addunt. Plinius libro decimo octauo capite septimo, illud tractat, & eius effigiem pingit. Dioscorides uires tantum tractat, Arundinem habet, ut milium, sed ampliorem, & radicem numerosiorem, quàm milium caulis est ferulaceus. propterea solum uehementer emacerat, foliaceum florem habet, & grana eius in siliquis distincta sunt ut lupini. Candida grana magis probantur, & dulciora sunt, ex his granis expreßis Dioscoridis more primo libro oleum fit, in medico usu, & coquinario. Antiquitus in Italia serebatur, ut Columella scribit, & Plinius, sed nunc non solum non seritur, immo nec noscitur. Non desunt autem qui putarint grana quædam quæ in Ferrariensi agro nuper seminari cœpere, ad oleum parandum, Sesamum esse. & re uera optimum oleum ex illis granis efficitur, quo Magnificus Albertus bendedeus utitur, tamen nec caulem, nec florem sesamo similem habet,

bet, ſed ſylueſtri raphano potius. Promiſerat Illuſtriſſimus Alphonſus Ferrariæ Dux ex Græcia ſeſamum haberi curare. At morte præuentus non potuit. Verum Illuſtriſſimus Hercules Dux nuper electus patris promiſſa reintegrauit, ſpopōditq́; in Bondonij campis latum agrũ daturum, ut ſeratur, nam ſumme terram emacrat, ſed Bondonij campi luxuriant magis quàm oporteat, & lætiſſime, ac fertiliſſime cultoribus reſpondent, ut facile exhauriri non poſſint. At cum. 1535. Neapolim equitarem Illuſtriſſimo Patrono meo Hercule Ferrariæ Duce in Campania ſeſamum uidi, atque collegi, Ferrariæ ſeminaui, oritur ægre. Neapoli copetas mire ſapidas faciunt ex ſeſamo, quem uocant georgeoleon, ab Hiſpanis Alegria dicitur, Neapoli pro lacte mulierum augendo ſeſamum edendum præbent. SE. Olea quæ per expreſſionem fiũt expedita ſunt, ea ſequuntur quæ igne paramus, & à iuniperino ſcheda noſtra initium ſumit. BRA. Ex iuniperi ligno hoc oleum dupliciter fit aduerſus peſtilentem morbum apprime ualens. In duplici uaſe cōficitur, quorum alterum perforatum in altero ſit, & igne circundetur, ut recentes docent, fit etiam ex iuniperi baccis, ſed per expreſſionem, ut alia quæ ex ſeminibus parari Dioſcorides monuit. A Gallis iuniperus geneſure, ab Hiſpanis genebro, à Germanis urachelderbeer, ideſt baccæ iuniperi, uel urommetbeer, ideſt baccæ turdorum nũcupantur. SE. Tartari atque ſulphuris olea ſequuntur. BRA. Et hæc ui ignis fiunt. in tua officina Ferrariæ aſſequeris. ſulphur, Galli ſoufre, Hiſpani enxufre, Germani ſchueſtel uocant. SE. Vitrioli oleum accedit. BRA. In Chalcantho, oleum fieri admonuimus, quod non ſolum homi-

nes, sed & arbores interficit, ideo in secessu parandum ubi nullus habitet. Albucasis, & alij recentes modum conficiendi ostendunt, sat est nobis ueluti per transennam res ipsas ostendere, & quum occultæ sunt detegere. Conficiendi uero modos à recentibus discas, ne ab ipsis eorum labores sumere uideamur. SE. *Terebinthi oleum occurrit.* BRA. *Nos alio terebinthino oleo utimur quàm antiqui fecerint, quippe ex terebinthina, immo potius ex laricina ui ignis oleum educimus multis ægritudinibus aptum. Antiqui uero (ut Dioscorides primo libro ostendit) ex terebinthi seminibus parabant, eo modo quo myrti semina ad oleum exprimuntur. Nos terebinthi seminibus caremus, ideo illud quod ui ignis fit ex uera terebinthina, non ex laricina habere curabis.* SE. *De oleis expeditum est.* BRA. *Cur oleum ex maturis oliuis, & immaturis prætermisisti? tamen per expreßionem fit.* SE. *Quoniam Ferrariæ copiose habeo.* BRA. *Adde in fructibus pertractatum esse, miror autem cur tam pauca olea seruetis.* SE. *Plura in usu non sunt.* BRA. *Ad cicatrices delendas, uel potius remittendas, & emolliendas terebinthinum oleum summe proficit his demptis quas narioli reliquere.* SE. *Ego autem singulis annis ad Variolorum stigmata eius olei copiam uendo.* BRA. *Decipiuntur qui pro Variolis emunt, ut experiri licuit in magnificis Compatribus Renata Subisia Galla uirgine pudicißima, & Comite Bonifacio Biuilacqua nobili egregio. hi enim simul cum Magnifico Federico Quamo Lucretiam natam ad undam baptismatis eleuarunt anno à Christi ortu. 1534. decimo quarto calendas octobris, quæ in lucem prodierat quinto idus Septembris, sed hæc omittamus,*

tamus,

tamus, quæ ad rem nostrã nihil faciunt. Interim *alia prosequaris.* SE. *Nihil aliud in mea scheda reperitur ad officinam nostram necessarium.* BRA. Nos *in præsentiarum olea ex quacunque re, ui ignis educere scimus, quæ odorem, & saporem rerum ex quibus fiunt mire seruant.* Vbi *olea reliquisti, quæ ex floribus & herbis fiunt?* SE. Hæc *data opera omisi, quoniam* Ferrariæ *in mea officina optime paro.* BRA. Erant *& illa numeranda, ne quidquam hic scriptum desideretur.* SE. Nihil *antiquius mihi esset, quàm hæc tecum dulci colloquio discutere, ut nostris simplicibus medicamentis nihil desit inconsultum.* BRA. Iam *urbis mœnia uideri incipiunt, & summa turris* Rigibelli *cacumina apparẽt, pilea quatiamus, ut ab hoc ingenti puluere liberemur.* SE. Domi *commodius fiet, quippe decet peregrinum hominem multo puluere aspersum esse eum præsertim qui ex horridis montibus descenderit.* BRA. Cras *ad te diluculo accedam, ut olea omnia ex herbis, & floribus, quorum in officinis usus est, recenseas, ne quidquam nostro sermoni de his quæ in quotidiano usu tractatis deesse uideatur.* SE. Vt *compositiones recta trutina expenderes optarim.* BRA. Hoc *acturus sum, & iamdiu cœpi.* Tibiq; *pro nostra antiqua, & recenti amicitia satisfacere decreui, composita omnia ad antiquorum compositiones comparare, & ubi recentes sunt aliquæ compositiones, eas per componendi normas examinare.* Nunc *autem uale, & olea omnia, quæ in officinis habetis simul collige.* SE. Id *lubentissime faciam, nec graueris ad me tempestiue accedere, quoniam ego expeditis nonnullis, ero tecum in prandio.* BRA. Interim *igitur* Vale.

DE OLEIS QVAE EX FLORIBVS & herbis fiunt.

SE. Saluus sis mi Antoni Musa, superior nox annus uisa est, quippe uehementer opto præ citata olea enumerare, & recta trutina speculari. Olea in primis scripta sunt, quæ ex herbis, aut floribus insusis, postea expreßis fiunt, quorum primum rosatum est. BRA. Non est opus ea enodare, quæ ab alijs authoribus ad libellam tradita sunt. Dioscorides 1. libro modos conficiendi oleum rosatũ, uel unguentum (ut ipse uocat) ostendit, nam & quod unguentum Galenus uocat, in his in quibus multa nõ sunt mixta oleũ uocari potest, à quo Mesue omnia fere sumpsit. Tu hos authores insequeris, & completum Mesue, & non completum præparabis, nec ex omphacio parare despicias. Ad hæc autem agenda olea sumes graui odore minus affecta: nam illi profecto delirant, qui ex amurca olea conficiunt. Tu ex perfectißimo oleo facies, quod floris, aut herbæ odorem uehementius seruabit. idem oleum rosaceum ex oleo sesamino fieri posset, & ita Aegyptij faciunt. Verum sesamino oleo caremus, propterea ex oliuarum oleo paramus. Illos tamen non laudo qui ex amygdalino facere tentant. SE. Oleum uiolatum sequitur. BRA. Eadem ratione fit, nisi quia in oleo amigdalarum dulcium parari conuenit, & tunc eo potißimum in pectoris ægritudinibus utimur, sed ex oleo oliuarum inflamationibus etiam succurrit. At unum ambiguum est in quo nonnunquam pharmacopolas disceptantes audiui, quid ad conficiendum oleum sumendum sit, flores an herba. Nos simpliciter in oleo florem poni oportere, certi sumus.

mus. Nec te prætereat, & si in his oleis per infusionem factis flores, & herbæ exprimantur, proijciantur, quàm nihil impediri etiam si in oleo continue relinquantur. SE. *Oleum de absinthio, & chamæmalinum sequũtur.* BRA. *De absinthio ex herba. Chamæmalinum ex floribus perficitur, illos autem inepte agere arbitror, qui ex parte lutea separatim, & ex albis foliolis olea diuersa parant, quum potius ex herba, & floribus seorsum paranda sint.* SE. *Anethinum, liliorum alborum & Rutaceum sequuntur.* BRA. *Anethinum, & Rutaceũ ex herba fiunt, quæ perfecta sit, & præsertim Cacumina sumenda. Rutaceum apud Mesuem fit, myrtini more. Tu Mesuem & recentes legas, qui uarijs modis conficiunt, de quibus seorsum agemus: sunt enim qui succum addant, et qui minime, & qui igne bulliant, & qui feruori solis relinquant, & qui utrunque agant, ut per aliquot dies solis radijs calefiant, postea igne perficiant. Nos simul uno uolumine modos omnes parandi olea edocere cœpimus, plures alios à chymistis inuentos addentes. At oleum liliorũ alborum multis modis fit, nam compositũ reperitur, quod recipit mastichem, chalamum aromaticum, carpobalsamũ ad quantitatem unius unciæ, pro quolibet caryophylla. Cinnamomum ad quantitatem semiunciæ. Croci ad quantitatem trium drachmarum, folia liliorum alborum, idest florum folia ad quantitatem nouem unciarum. Deinde in uitreo uase condantur, & duas libras perfecti olei oliuarum superinfunde, & è regione radiorum solis per quadraginta dies serua. Denique exprime, & pro exquisito uendes. Non desunt qui hoc uocent oleum liliorum ex speciebus, quum potius compositio sit, quam inter simplicia*

medica=

medicamenta numerandum. Simplex autem eo modo fit, quo & alia supradicta, ut recentiores ostendunt. quippe qui plura antiquorum oleis experientia ducti addidere. SE. Oleum de menta, & de maiorana sequuntur. BRA. Ex mēta, & mentastro seorsum fieri potest, & nostræ etiam mulieres ad roborandum uentriculum ex Florentina menta conficiunt, quam nonnulli sisimbrium arbitrati sunt. De Amaracino oleo eadē ratio est, quamuis Dioscorides duo unguenta parari iubeat. Vnum amaracinum, alterum sampsucinum appellās. Amaracus perfectissimam, & probatissimam speciem habet, quam ex Galeni sententia in Antidotis marum appellari censeo, eam autē esse iudico, quam nos gentilem, idest nobilem maioranam uocamus, suauius spirantem alia, ex hac igitur, & altera minus odorata olea seorsum parare studebis. SE. Oleum Nenufarinum sequitur. BRA. Ex ambabus nympheæ speciebus alba inquam, & lutea seorsum olea conficere oportet, ex Omphacio potius, quàm maturo oliuarum oleo, quoniam frigiditas in eo expetitur. SE. Oleum de cheiri succedit. BRA. Arabes immo potius recentes uocabula peruertere. nam quod Græci leucoion, ipsi cheiri appellant. Est aut ad omnes uiolas commune nomen, tamen usus fecit, ut ex luteis tantum, & albis eodem modo paretur, quo de alijs docemur, & recentes ostendunt. SE. Oleum de sambuco occurrit. BRA. In his nominibus recētiores longe aberrarunt. Sambacinum, & Sambucinum, primum oleum ex Iasminis significare uidetur, quoniam sambac, aut zambac apud Serapionem Iesminū sit. Aliud ex sambuco, sed de hac re in floribus exquisitius tractauimus. Nunc de Sābucino, idest ex sambuco facto, sunt

qui

qui ex floribus parent, alij ex acinis, quos non despicio, sed ex floribus potius factum eligerem: eos autē non probo, qui ex interiori medulla conficiūt. SE. Oleum de Cochijs accedit. BRA. Pulcherrima herba ē, & Theca qua semina conduntur, pulcherrima Echinus uidetur, præcipuis etiam uiribus insignitur, tamen apud antiquos nusquam reperitur herba cochia, nam à uesicariæ generibus longe abest, si quis omnes recte perpendat. Quod autem à recentibus Momordica appelletur, ad antiquam cognitionem nihil facit. Oleū uarijs modis paratur, & per infusionē, ut prædicta, & sub terra per multos annos defossum, & per cocturam, fitq; ex echino folijs seorsum, & seminibus. SE. Quibus proficit hoc oleū? BRA. Quod sub terra cōditur, uenarum hæmorrhoidalium doloribus succurrit. In genere id oleum omnes dolores sedat. SE. Oleū de Papauere sequitur. BRA. Et si multæ sint papauerum species, una solum potißimum utimur, albo inquam papauere. Ex hoc oleum conficitur, quamuis & ex nigro dormitioni aptum parari poßit. Quippe eo temporibus inūctis, naribus'ue sublinitis pro Meconio uti poterimus: ex seminibus fit, quū & ex floribus fieri conueniat. SE. Oleum irinum sequitur. BRA. Ex Iride fit hoc oleum, sed uario modo: nam aliqui ex radicibus, alij ex floribus parant. At in communi ferè usu est ex radicibus floribus additis in dupla portione, & aqua decoctionis radicum. deinde Oleum sesaminum, aut maturarum oliuarum infundunt. Denique in uitreato uase bulliunt, itaq; uarijs uicibus permutando faciunt, ut in oleo Rosaceo Dioscorides, & post ipsum Mesuem ostenderunt. SE. Oleum de hyperico sequitur. BRA. Rutam syluestrem ab antiquis et i

Ascyron

Ascyron in herbis appellari monuimus. Recentes ex foraminibus, quæ in folijs uidentur, si è regione solis, aut lucis alterius conspiciatur: perforatam uocant. Id oleum uarijs modis conficitur, sunt qui in uitreatum uas flores simpliciter ponant, & per se ut solis oleum educi sinant. Alij sub terra condunt, alij infundendo parant, sed hi duobus modis utuntur. uno ex solis floribus, altero pluribus mixtis rebus in hunc ferè modum sumentes cacumina Ascyri, idest à nobis uocati hypericonis ad quantitatem trium unciarum, & in uinum odoratum infunduntur, trium dierum, & noctium curriculo. Mox duplici uase optime obturato bulliat. Denique exprimantur, & abijciantur cacumina, in eodemq; uino eandem quantitatem cacuminum Ascyri infundito totidem diebus, ac noctibus. Postea adde Terebentinæ uncias tres, Olei ueteris uncias sex, Croci scrupulum unum. Misceantur hæc, & in duplici uase (ut inquiunt) coquantur, quoad uinum euanescat, postea in uitreato uase, uitreo'ue seruato. Verum non est opus hæc longius enarrare, quum à Mesue, & recentibus luce clarius ostendantur. SE. *Equidem harum compositionū pleni codices sunt.* BRA. *Immo, & ad composita medicamēta potius spectant, de quibus post simplicia agere promisi nec promißis frustraberis: nihil enim gratius habeo, quàm bonis uiris inseruire. Immo, & Olea, quæ simplicia sunt, idest ex oleo, & flore, uel herba inter composita medicamenta numerabuntur.* SE. *Olea nunc sequuntur, quæ per decoctionem, & ui ignis fiunt.* BRA. *Omnia per decoctionem, & ui ignis fieri possunt.* SE. *Verum est, at in subscribendis usus ignis potißimū requiritur.* BRA. *Subscribas cito.* SE. *Oleum de spica nardi.* BRA. *Quod ex*

Gallia affertur, emere suadeo, ex India raro cõportatur, apud nos ineptum est, & non ex nardo, sed potius ex dicta lauandula fit, quod nonnulli balsaminum uocant, & pro Opobalsamo utuntur. SE. Oleum de Citonijs occurrit. BRA. Ex ipso pomo, & floribus etiam fieri potest. SE. Oleum de Mastice accedit. BRA. Hoc cum uino fit, & sine uino, & ex oleo Sesamino, & ex Rosaceo. SE. Oleum de Scorpionibus sequitur. BRA. Et hoc duplici modo fit, ex Scorpionibus, & oleo, in quo suffocati sint, & per triginta dies in sole seruati. Alter modus, Aristolochiam, Gentianam, Ciperum, Corticem radicis caparorum, & oleum Amygdalarum amararum recipit quod potius compositio est, quàm simplex oleum, urinam mirifice proritãs, si pecten ungatur. Galli scorpions, Hispani scorpiones hoc animal appellant. SE. Oleum uulpinum accedit. BRA. Ex uiua, & integra uulpe ab aliquibus paratur, quam in oleo animam reddere cogunt. Id non probo utpote stercora, & urinam recipiens, Alij interaneis ablatis ex oleo faciunt, quos probo, Galli uulpem renart, Germani fuchs uocant. SE. Oleum de piperibus accedit. BRA. Compositio ampla est: non simplex medicamentum. SE. Oleum Myrtinum sequitur. BRA. Myrtinum supra Dioscorides ex expreßione baccarum fieri admonuit, sed alter modus est per decoctionem, aut infusionem. SE. Oleum de Caparibus accedit. BRA. Et hoc inter composita enumera, quoniam ex corticibus radicum Caparorum Iride, Agno casto, Tamarisco, uino, & oleo fit. Nuper ex Caparorum floribus paratur, quoniam Ferrariæ plantari cœpere Capares, & prodeũt, Lienis durities mirifice soluit. SE. Oleum de Castoreo occurrit. BRA. Per decoctionem

ctionem fit. SE. De Euphorbio accedit. BRA. Dum fit, summopere cauere oportet, ne Euphorbij puluis os ingrediatur, & in ebulliendo fumus euitandus, fit ex hoc genere compositum, & simplex, eadẽ ratione, & de Castoreo. SE. De Lumbricis terrestribus oleum sequitur. BRA. Et hoc præter lumbricos alia recipit, quamuis, & simplicissime etiam paretur, quam ob rem Mesuem, & recentes in his parandis speculeris. SE. Oleum lacertarũ postea occurrit. BRA. Ex lacertis simpliciter fit eo modo; quo ex Scorpionibus parari nouisti, quod duplex est, unũ ex communibus lacertis, quæ per domos nostras, & parietes uersantur. Alterum ex uiridibus lacertis, quæ latine Stelliones, uulgo leguri dicuntur, & hoc ex uiuis lacertis ab aliquibus fit. Ab alijs ex mortuis, & exenteratis, ne stercora oleo innatent. Lacertas Galli lasert, Hispani lagardixa, Germani eidex, Poloni iasczurka uocant. SE. Costinum oleum sequitur. BRA. Inter composita numerandum est, quoniam recipit Costum, Casiam, Sampsuci cacumina, uinum, & oleum Sesaminum. Nũc uero in tua officina hoc oleum parare desinas: quia Costo caremus, nam radix ea, quam pro Costo uendunt pharmacopolæ, à Costi notis distare Dioscorides, et cæteri antiquiores suis descriptionibus ostendunt. Tamen facile est ex Arabia Venetias ferre Costum, facilius ex India, facillimum ex Syria. plurimum odorem habere oportet, & eximium, quali caret Costum uestrum, nec candidum est, gustu'ue mordicat, ut uerum Costum facere oportet. His autem omissis ad alia te conferas. SE. De oleis expeditum est, quæ in officinis habemus, nisi aliquod incuria omiserimus BRA. Plura tamen alia ab authoribus scribuntur. SE.

Hæc

Hæc solum in usum uenere, quãuis & à Mesue *alia quædam scribantur. quicquid sit, idem ferè modus est omnia componendi, & recẽtiores Chymistæ nouos quosdam modos inuenere, quos partim ore, partim in suis editis uoluminibus didici. Verum quum hac nocte omnia, quæ nobis accidere perpenderem, & collecta simplicia mentis acie contemplarer, nonnulla in mentem uenere, omissa quidem sed necessaria, ut Scilla.* BRA. *De hac in succis diximus.* SE. *Testudines.* BRA. *Quadrupedia sunt nobis notissima, uel ex nemoribus, aut mari capiantur.* Marinæ *Testudines pedes habent ad ambulandũ ineptos. quippe alæ uidentur, quibus pro remis utuntur. quas nos* Marinas *dicimus albo cortice tectas, & nigris quibusdam signis uermiculatas, ex mari non sunt. sed maritimis nemoribus, & sabulosis.* N*ostra autem nemora, & fouearum aquæ nigras faciunt.* M*arinæ rarissime à nobis uidẽtur, idest quæ ex mari, non maritimis nemoribus: quia has frequentissimas habemus:* A*nnis superioribus* M*agnifica* E*leonora* F*lisca unam uere* M*aritimam habebat, & ingentem, quæ pedes in modum alarum ad natandum habebat, ad gressum ineptam,* G*allanæ à nobis ab alijs* T*artugellæ, à* P*olonis zoluie, ab* H*ispanis* G*aiandre, à* C*retensibus uulgo chelones, à nonnullis* B*issæ scutellariæ uocantur.* SE. E*tiam* L*eporinis pilis utimur, quos szierzchl zaiaxcza,* P*oloni, &* C*retenses uulgo* M*aglia tulagu uocãt.* BRA. Q*uid opus est rem tam notam describere quam* G*alli lie ure,* H*ispani liebre,* G*ermani has uocant, & has har, idest leporis pilum, de his finiuissem, nisi in mentem uenisset, summos philosophos scriptũ reliquisse lepores promiscui generis esse, quod etiam* C*uniculis, & pasceribus ascribunt.*

bunt. Nos autem manifestissime in his marem, & fœminam deprehendimus, quippe institutum est nobis, omnia quæ possumus experiri nulli sumptui, nec labori parcentes, in his præsertim, quæ supra humanam rationem ab antiquioribus scribuntur. SE. Caligine etiam utimur. BRA. In unguentis potissimum: fuliginis (ita enim latine uocatur, non caligo) usus est, fumi pars est, quæ parieti inhæret. quippe fuliginem fumum crassiorem condensatum uocamus, Germani ruest, Poloni sadze, Hispani hollini, Neapolitani fulinia, Cretenses uulgo capgna uocant. SE. Balliæ marinæ, & spongiæ etiam in mentem uenere. BRA. Idem ferè est harum rerum usus. Marinæ ballæ, uel pilæ magis nuncupandæ arefacientem naturam habent, quid sint, nusquam apud antiquos reperi: in spõgiarum genere eas repono, quamuis zoophyta non sint, idest inter plantas, & animalia media, qualia spongiæ sunt, ex maris spuma ad litora collisa, & cuiusdam herbæ minutissimis festucis fit. Nonnulli ex fractis spongijs, & spuma alij arte faciunt ex glutino, & taurinis pilis ignaros pharmacopolas decipientes. Ita fit maris impetus in maris æstus, in minimas festucas herbam reddit, & ad litora detrudit, quæ mixta spumæ conglobantur, & ob motũ supra litus ex fluctu collidente in gyrum tendunt, & pilæ formam, à Cretensibus uulgo sochioscato, à Polonis morsnagoxbna dicunt. Ad spongias accedamus, apud antiquos tria tantum spongiarum genera inuenies, quæ per marem, & fœminam, per densum, & molle distinguũtur, & suis nominibus appellantur, Tragos, Manæ, Imauos, Achilleum, Tragos spongia est spissa, dura & aspera in marium genere, Manæ, Imauos, minus spissa, & mollior

est;

est: Achilleum, Tenuis est spongia densa ad penicillos apta. Mas fistulas habet minores, fœmina latiores, quoniã per illas fistulas nutrimentum sumunt. Nos uarias spongiarum distinctiones habemus, quas antiqui, aut non nouere, aut data opera reliquere, utpote quæ in suis contineantur. Nos enim coloribus, figura, & magnitudine distinguimus Dioscorides albam fieri arte docet libro quinto. Immo candidam si mollißime inuersæ, idest parte concaua sursum spectante, lanuginosa maris spuma aspergantur, & insolentur, etiam si nox calida sit radijs lunæ supponitur, eadem maris spuma, quam ἄλος ἄχνον uocãt aut marina aqua consperse. Plinius de spongijs omnia ferè sumit, quæ ab Aristotele quinto de animalium historia scripta relinquuntur. Figura distinguimus, & magnitudine, quoniam aliquæ oblongæ, aliquæ minus, aliquæ latæ, aliæ rotundæ, aliquæ crassæ, aliæ subtiles, aliquæ tuberosæ, aliæ planæ. Subtilioribus, mollioribusq; spongiis ad fomenta utimur, sicuti antiqui rhodiacis ad eadem, quia molliores, & pro dilatandis uulneribus, his utimur, ex terebinthina, ad alia uero craßioribus, & asperioribus, maioribus ad cisternas utimur, ut aqua purior descendat. Poloni gamka. Cretenses uulgo sphongari uocant. Nonnulli pharmacopolæ pro spongia re quadam utuntur intus lanosa, quam aliqui maris spumam arbitrantur, quonam apud Dioscoridem halos achne. i. maris spuma, spumosa maris lanugo dicatur. At re uera non est maris spuma, quam pro illa sumitis, quandoque arbitratus sum, urticam marinam esse, quoniam si aperiatur internæ partes manum urunt ueluti urtica herba, quod in antiquiori ægrius, in recenti uehementius fit, ut in urtica herba

etiam contingit, facillimum est spumam maris habere circa scopulos collisam. At re ad libellam perpensa, quid esset id à uobis spumam maris appellatum spongiæ figuram habens prædure, aut pumicosum inueni. Nam Dioscoridis, Galeni, et antiquorum Alcyonium esse certe constat. SE. Quod igitur à nobis spuma maris dicitur, apud antiquiores alcyonium est? BRA. Equidem. SE. Gaudeo plurimum apud me alcyonium latere, quod diu uidere optaui. BRA. Sed aliqui uestrum, primam speciem habent spongiæ similem, alij quintã speciem, quæ pumicosa est. At seorsum haberi debent, quoniam ut Dioscorides refert uarijs rebus accommodantur. Plinius quatuor genera solum enumerat, & in aliquibus à Dioscoride dißidet. Illi errant (non tamen summe, quia hæc omnia exiccandi uim habent) qui Alcyonium antiquorum. i. ab ipsis uocatam spumam maris, pro uera spongia sumunt. SE. Nescio unde ortum sit, quòd nos Alcyonium spumam maris appellemus. BRA. Ego autem scio uos pharmacopolæ barbaros potius imitamini, quàm probos authores. At Serapio capite. 388. de Alcyonio tractat sub hoc nomine spuma maris, quod uidere licet, illum Dioscoridi, & Galeno conferentes, nam eædem species, & eædem uires à Serapione in spuma maris aßignantur, quæ à Dioscoride, & Galeno in Alcyonio. Propterea eius interpres in illius capitis Lemmate potius de Alcyonio, quàm de spuma maris inscribere debebat. Quippe Serapionis nomen est Zebethalbahar, fuit ergo in causa Serapionis interpres, ut uerum alcyoniũ spumam maris appellaretis. Tamẽ Dioscorides ab indigenis etiam Bembici Insulæ Propontidis Alcyonium ἅλος ἄχνος. i. maris spumam


nuncupari

nuncupari dicit, & re uera ex ſpumæ colliſu fit. SE. Audiueram Alcyonium cuiuſdam Auis nidum eſſe. BRA. Ita nuncupatur quoniam Alcyones aues maris tranquillitatem, & ſummam malaciam oſtendentes, earum nidos illis ferruminant, propterea & tu prius decipiebaris, & alij qui putant Alcyonium nunquam uidiſſe, quod ſingulis diebus tractant. SE. Idem igitur ſunt ſalis ſpuma, aut maris ſpuma, & Alcyonium. BRA. Non idem, ſed diuerſa, immo ab authoribus diuerſis capitibus tractantur, tamen ab eodem principio naſci, & in uiribus quodammodo conuenire certum eſt. Quam uero maris ſpumam nunc appellatis, & pro illa publice uenditis, Alcyonium eſt, & non maris ſpuma. ad ſpongiam redeuntes Plinius ſui temporis medicos uellicat libro 31. capite ultimo, qui ad duo nomina ſpongias reddidere. Ad Aphricanas quarum firmius ſit robur, & Rhodiacas ad fouendum molliores: Nos uehementius conqueri oportet, quoniam noſtro æuo medici, & pharmacopolæ ad unum nomen reddidere, cõmuniſſimum inquam. Nam quũ ſpongijs indigent, nihil aliud inſtituunt, quàm ſpongia una, aut duæ recipiantur. Nonnullos tamen demo, qui molle, & aſperum addunt, ex Græcia. Illyria, & oriẽtalioribus partibus Venetias afferuntur, tamen & in noſtro mari ſpõgiæ naſcũtur, ſed minores. Nos ſpongias propè Comaclium paruas quidem, ſed ualde molles collegimus ſaxis inhærentes: nõ deſunt, qui lanuginem quandam ſupra oſtreorum conchas innatam pro ſpongijs ſeruent, & ea quum opus ſit, utantur, quum potius muſci marini genus ſit, quàm ſpongiæ. Immo è contrario intra ſpõgias aſtreæ piſciculi, & lapides inueniuntur. Oſtreis, & piſciculis nu

triuntur, in tua officina omnes spongiarum species habeas. A nobis plures spongiarum differentiæ uisæ sunt, quã ab antiquis enumerentur. Studebimus interim species omnes oculata fide secernere, & quibus locis inueniantur. Lapidem quoq; qui intra spongias natiuus reperitur habere oportet, nempe uesicæ calculos minuit, ob id Plinius lib. 36. cap. 19. Cysteolithos uocari censet, quia uesicæ medetur. Serapio tamen de hoc lapide agens capite. 16. eos reprehendit, qui ad lapidem uesicæ ualere prodiderunt. Immo inquit renum lapidi tantum occurrit. Tamẽ in calce eiusdem capitis palam sibi aduersatur inquiens. Et lapis in spongia inuentus, contra lapidem uesicæ cum uino sumptus ualet. Denique illud addam antiquos medicos affirmare, nusquam diutius spiritum durare, quàm in spongijs, propterea qui pestilenti morbo affectos curant spongia aceto aspersa circa nares, & os ponunt, ne infectum aërem trahant, & ad alia plura antiqui spongia utebantur, ut ex ipsa spiritum traherent, non ex libero aëre, ob aliquam infectionem. Quod genus remedij Apospongismon uocabant. præsertim Archigenes, & re uera in pestilenti morbo, & epidemico, nihil excellẽtius. Reliqua prosequaris. SE. *Hactenus omnia simplicia, ad unum usque enumerauimus, quibus in officinis utimur, nisi unum, aut alterum in curia mente exciderit, aut diligentiam nostrã effugerit. Ne tibi graue sit, mihi oportunum uideretur, Composita incipere.* BRA. *Nunc molestus non sis, quippe id lubentissime agam, quod spopondi, & quod iandiu cœpi paucis quibusdam negotijs expeditis perficiam: quũ enim operi manum dabimus, nunquam ammouebuntur, priusquam in calcem peruentum erit.* SE. *Hactenus optimus*

mus

mus Deus te incolumen seruet. Officinam meam uisitabo & collecta medicamenta simplicia suis loculis disponam. BRA. *Bonis auibus recedas.* HER. *Ergo Perdicibus, & phasianis recedet?* BRA. *Cur ita?* HER. *Quoniam bonæ aues sunt.* BRA. *Eo intellectu Turdis, & Coturnicibus etiam recedendum erat.* HER. *Et illis.* BRA. *Igitur Deo comite recedatis.*








630-

ANTONII
MVSAE BRASSAVOLI
MEDICI FERRARIENSIS,

[illegible]





[illegible]



ANTONII MVSAE BRASSAVOLI

MEDICI FERRARIENSIS,

EXAMEN OMNIVM ELECTVARIORVM,

PVLVERVM, ET CONFECTIONVM, *catharcticorum:*

Ad ornatiss. atq; excellentissimum Ludouicum Panizam Mantuanum.

Cum priuilegio ad decennium.



VENETIIS,
EX OFFICINA ERASMIANA
VINCENTII VALGRISII:
M. D. XLVIII.

AD EXCELLENTISS. LVDOVICVM PANIZAM

ANT. MVSA BRASSAVOLVS.



MMENSA uirtus tua, & literatura non uulgaris, eruditioq; illa, qua nemini es nostra hac ætate secundus, & animi tui morum integritas, ac prudentia, qua in summis rebus gerendis maximè polles; & arcta illa, & indissolubili nodo contracta amicitia, commouerunt nos excellentissime Paniza, & non mediocriter excitarunt, ut nostros hos labores, quales quales sint, nomini tuo, immortalitate digno, dedicaremus: non ut illi ex his aliquid famigerabilitatis sit accessurum, sed potius ut amoris erga te nostri, quem uti præceptorem semper coluimus, & uti patrem ue-

nerati ſumus , teſtimonium afferant. En igitur exiguum munuſculum ; quod excellẽtiam tuam hilari fronte ſuſcepturum non dubitamus. Vale.



ANTONII MVSAE BRASSAVOLI MEDICI FERRARIENSIS,

Examen omnium Medicamentorum euacuantium, quæ non sunt in forma pilularum: quorum usus est apud pharmacopolas.

SENEX. BRASSAVOLVS.

SENEX.



VIS NAM VVLGARIVM *tumultus, ridentiumq́; ac ueluti plaudentium strepitus ille est, quem piscatorium forum uersus intueor?* BRAS. *Sellularij sunt, ac pueri, qui contendunt, ut* Ioannem Paulum Manfronum *uideant: nam hodie illi sunt immutaturi carcerem.* SE. *Nondum est ille uir improbus capite mulctatus?* BRAS. *Tu solus ergo egregium illud, & pene incredibile Illustrißimi Ducis nostri facinus ignoras?* SE. *Quodnam facinus?* BRAS. *Quodnam? Illustrißimum Ducem Manfronum uita donasse.* SE. *Venetijs erã, cùm hac misericordia usus est Princeps, & cum hac summa pietate. O rarißimum Principem, atq; diuinum, qui tam temerarium uirum, tamq́; facinorosum à morte liberauit. Quis alius Princeps tali pietate usus esset?* BRAS. *Nullus, ut arbitror: præsertim cùm liceret (si merita perpendamus) Illustrißimum Ducem tam impium uirum ubique locorum uita*

paulus manfronus uir scelestissimus

priuare. neq; defuissent, qui id ultrò summa cum diligentia efficere curassent, modò Illustrißimus Dux uel solo nutu sibi gratum esse indicasset. SE. Non'ne fuit Venetijs ferrea pila ex pyrouolo emissa percussus? BRAS. Fuit prorsus, ut fertur. SE. Arbitrabar hoc Principis iussu effectum esse. BRAS. Immo tibi iureiurando affirmo, idem ea de re præsciuisse Principem, quod tu ipse sciebas; qui (ut arbitror) neq; unquam excogitaueras: at fuit Sigismundus Malatesta, Soiani Dominus, ob antiquas quasdam inimicitias, & mihi ignotos dolos, quos temerarius hic in ipsum machinatus erat: at Misericors DEVS, qui omnem hominem saluum fieri cupit, ne anima hæc deperdita penitus periret, ferream pilam in talem corporis partē direxit, ut resipiscere quidem posset, sed non perire. Nempè lento gradu DEI ira procedit, semperq; improbis ansam pœnitendi præbet. SE. Si uera sunt, quæ de Manfrono audiui, duci non possum, ut ullo pacto saluum fieri posse excogitem. BRAS. Tamen nullus est tam improbus, tamq; scelestus uir, qui resipiscens, à DEO pietatis fonte ueniam recipere non poßit. Et hoc Misericors ipse nobis ultrò spopondit: nam & latroni tot scelerum generibus onusto, ueniā ex corde petenti, ueniam conceßit. SE. Audiuisti'ne facinorosa gesta, quæ uir hic scelestus perpetratus est? BRAS. Et domi processum (ut iureconsulti uocant) habeo, præsertim illorum facinorum, quæ ad Illustrißimum Ducem nostrum punienda spectarent. SE. Rem pergratam mihi facies, si ordine quodam hæc referas: quippè tunc aberam, cùm hæc Ferrariæ tractabantur: & per hominum ora paßim uulgabantur.

sigismōdus malatesta



bantur. BRAS. Hoc lubentißimè efficiam. Tu uero aures dicendis erigito, Vir hic facinorosus coniuratione illa nefanda, qua in Illustrißimum Ducem nostrum cōſpirauerat, ut illum captiuum duceret, ac trucidaret, non contentus, omnes etiam Ferrarienſes, quibus occurrebat, interficere conabatur: & in Illustrißimum Ducem contumelioſis uerbis ſemper utebatur: quem Illustrißimus Dux à Venetis petijt, ut ſecundum eius demerita puniret. At Veneti Illustrißimo Duci illum præbere renuerunt. Tamen poſt aliquot menſes Manfronum omni urbe, oppido, & loco Venetæ ditioni ſubiecto, priuauerunt. Ipſe uerò malefactorum conſcius, multas regiones peragratus eſt; timens ne dirè obtruncaretur, ut merebatur: neq; illi ignotum erat, & Regum, & Ducum longas eſſe manus, Britanniam appulit: deinde in Italiam redijt: & Florentiam profectus eſt inquietus ille animus, & ſuorum malorum conſcius: at Illustrißimus Dux exploratores habebat, qui illum ſequerentur, ac obſeruarent: & qui ſexcenties illum trucidare potuiſſent: ſed Illustrißimus Dux iuſſerat, ne uel capillus capitis illi abſcinderetur; quoniam cupiebat illum habere uiuentem ſub ſua poteſtate captiuum. Denique in oppidum uenit, Piurum nomine, in Parmenſi agro, quod à nobili Rodulpho Gonzaga Manfroni ſororio poßidetur. Illustrißimus Dux ſtrenuißimos milites illuc miſit, qui oppidum uallarent, ne aufugere poſſet. Interim uerò à Placētiæ Duce ueniam impetrauit, ut illum ſub ditione ſua capere poſſet. Qui, ut annuit, ab eiſdem militibus captus, & colligatus, Ferrariam ductus eſt. SE. Quid dicebat miſer hic uir, dum duceretur? BRAS.

cōſpirauerat in duce

rodulphus gōzaga,

Rothlandi uersus ex Ariosto, modò summissa uoce, modò altiori canebat; simulq; negabat, se in Ducem conspirasse: immo sperabat Illustrißimũ Ducem magnam pecuniarum copiam sibi traditurum, ut ad imminens Germanicum bellum proficisceretur. SE. O quam impudentißimi uiri temeritatem. Illis similis est, qui debent, & petunt. Videor uidere in hoc uiro fatuitatem quandam, malignitati cõmistam. Quis enim ignoraret, se capite mulctandum, qui talia perpetratus esset, qualia Mãfronus? Postea canebat? BRAS. Die 27. Mensis Iulij, 1546. captiuus Ferrariam ductus est. SE. Id iam noui: & nescio, an tanto uirorum, ac mulierum spectaculo Paulo III. Pont. Maximo uniuersus occurrisset populus, quanto Manfrono occurrit: omnesq; gestire uidebantur. BRAS. Sed fuisset magis tetrum spectaculum, nisi benignus Dux sua præuidentia, ac prouidentia occurrisset. SE. Quid egit optimus ille rerum præuisor? BRAS. Aderat puerorum frequentia cepis, cucurbitis, ac ouis putridis, pomisq; marcidis referta, quæ illum salutasset, ut salutari solent farinæ pistores supra publicum tympanum. SE. Vidi profectò sportas quasdam, pomis plenas, quæ à nonnullis gerebantur pueris, aderantq; immista saxa. BRAS. An nescis ita fieri consuetum, post cepas, poma, cucurbitas, & oua, ad lutum deueniunt; & deniq; ad saxa? SE. Illum igitur interemissent. BRAS. Et uiuum deglutiuissent, ac sepelliuissent. SE. Quid excogitatus est Illustrißimus Dux, ut deperditum hunc uirum à puerorum furore, & totius populi liberaret? BRAS. Multos misit ex strenuißimis militibus suis, qui illum circundarent, & in ca=

in castrum usq; ducerent: nam pueri, ne hos prius impetrēt, quàm Manfronum, institutum suum dimisêre: quippè fieri non poterat, quin ex his militibus, qui circunstabant, multi lapidarentur. SE. *Historiam prosequaris, et huius improbi uiri gesta.* BRAS. *Tibi (nisi molestum sit) Manfroni examē ad uerbum referam, quod mihi impertitus est eximius iureconsultus Dominus Lanfrancus à Gypso.* SE. *Quid mihi gratius esse poterit?* BRAS. *Cùm in castrum uectus deductus fuit, illum Prætor examini statim subiecit, interrogauitq;: An 1545. in mense Martij, scitè, dolosè, & excogitatè, ex certo animo, & scientia perpetrandi, & penitus committendi delictum consequēs, quod erat aduersus propriam uitam, & propria loca Illustrißimi Herculis Ducis Ferrariæ IIII. Nempè, cùm esset in uilla nuncupata Frata, in Rhodigino territorio, in proprio palatio, in quo habitabat, à cacodæmone irritatus, ac percitus, & à peruersa sui natura commotus, concionem habuit, consiliumq; gesßit in primis cum Philippo Turbido Bondeniensi, eius milite, qui alias Castronus cognominabatur, & cum Petro Francisco de Bertoletis Hostiensi, eius signifero, in hebdomada Palmarum in Ferrariensem agrum descendere, in locum nuncupatum Belreguardum, ad quem Illustrißimus Dux similibus diebus deuenire solet, ut quieto animo, atque pacato à quotidianis curis semotus, sacris intersit. Statuerat uerò hic scelestißimus uir, multis uallatus militibus, locum illum adoriri, ac grassari, Illustrißimumq; Ducem captiuum reddere, illiq; pro redemptione imponere, ut quingenta aureorum millia persolueret: & illum cogere, ut uel Carpū,*

uel

D. lanfrancus à gypso

philipp. turbidus bondenensis

uel Herberiam sibi traderet. Hocq; scelus tali ordine disposuerat; In primis statuerat milites centum congregare, & unicuiq; scutum unum pro illius modici temporis stipendio præbere. Nam dies illi palmarum imminebant, hisq; militibus Phœbum Perusinum Centurionem esse decreuerat, & præter hos milites quosdam numerabat, quos arbitrabatur se recepturum à Francisco Capite Vaccæ. Sperbatq; se recepturum à Carolo, Gazoli Domino, eius sororio, equites quinquaginta (de qua tamen re nihil sciebat Carolus) imposuitq; prædicto Philippo Turbido, ut treis naues instructas haberet, quibus uteretur cùm Padum tranare opus esset. Statuerat deniq; si pecuniam supradictam consequi non posset, & alterum ex prædictis oppidis, Illustrißimum Ducem in Tresentæ conualles ducere, & illum trucidare. SE. O scelestißimum uirorum omnium. Erat ergo uirum tam benignum, tam iustum, tam deniq; sanctum trucidaturus? At DEVS optimus ferre non potuit, ut tam probus uir à deperdito furcifero trucidaretur. BRAS. Me prosequi sinito. SE. Non potui non excandescere, tam sæuum facinus audiens. Nunc prosequaris. BRAS. Vt autem sceleris complices excitaret ad scelus, illis spopondit (Illustrißimo Duce capto) dono præbere quicquid in illo palatio auri, argenti, & rerum, ac supellectilium preciosarum continebatur. SE. Illi similis erat, qui priusquã ursum caperet, eius pellem uendiderat. Mihi uidetur esse ualde difficile Illustrißimum Principem cum tam paucis militibus capere posse, cùm illum semper multò plures comitentur, qui strenuißimi sunt, & non gregarij; & cùm facilè sit rusticorum multitudi-

nem

nem breui conuocare. BRAS. En & ipse uides rei difficultatem, quia strenuissimi uiri Illustrissimum Ducem semper comitantur, & nō triuiales: quorum unus plus potest, ac sapit, quàm decem ex illis tumultuarijs, ac gregarijs. At prauo consilio peius adiecit: nam Ferrariam quendam misit, Seuam, uel Mancinum nuncupatum, qui pila plumbea ex pyrouolo emissa Illustrissimum Ducem confoderet, atq; necaret, cùm uesperi per urbem exercendi corpus gratia equitat. Iusserat uerò cum excellentissimus Dux è regione illius transiret, & iam terga daret, pilā ex pyrouolo emitteret, & illū confoderet. SE. O nephandissimū omniū, qui tam integræ fidei uirū, & tam probum absq; ulla causa necari uoluerit. BRAS. Adde, et illū, qui paucis ante diebus ad baptismatis undā eius filiā eleuauerat, & eius compater euaserat: & qui tam blandè illū tractabat, ad prandiūq;, & cœnā inuitabat, cùm negotiorum, aut otij causa Ferrariam ueniebat, potius debuisset, & iure tenebatur Illustrissimum Ducem defendere, quàm offendere. Sed pessimæ, ac ingratissimæ naturæ illos potius semper insectantur, qui illis prosunt, quàm qui obsunt. SE. Non erat satis una mors huic improbo grassatori, sed centum indigebat mortibus. En quomodo Ferrarienses res successissent, cùm adhuc adolescens sit Illustrissimi Ducis nostri primogenitus. BRAS. Benignus DEVS sua benignitate huius urbis incolumitati insontem Ducem, uirumq; probæ, ac raræ fidei nobis seruauit incolumem. SE. Prosequaris, obsecro, dira, ac nephanda huius temerarij facinora. BRAS. En 1541. Sinon hic periurus in mense Iulij hæc perpetratus est, Illustrissimus Dux charitatis

seua seu mācinus ducē occisurus

cuius bona occuparet

ritatis zelo commotus, & ut scandala, ac uirorum neces euitarentur (nam scelestus hic suis bonis non contentus, bona etiam comitum de Rouerellis occupabat, & diripiebat) misit Ioannem Baptistam Bonleum ad Manfronum cum literis ex illustrißimo Duce, quæ illi indicebant omnia Bonleo esse credenda: Bonleus uerò Illustrißimi Ducis nomine illi suadere cœpit, ex corde'q; hortari, ut cum Rouerellis pacem ineat, potißimum cùm sint consobrini; & illis eorũ bona restituat. SE. Ob quam rem ita illũ orauit Princeps? BRAS. Quoniam & ipse à nobilibus quibusdam Ferrariensibus efflagitatus erat, quibus Rouerelli sunt affines; benignaq;, ac ad probè agendum Illustrißimi Ducis natura, & in aliorum commoda propensa, fecit, ut ad Manfronum literas mitteret. SE. Quid egit Bonleus? BRAS. Nihil penitus, nam ut audiuit uir scelestus, & tetrum, ac nepharium facinus excogitauit: his enim acceptis literis, quas ab Illustrißimo Duce receperat, Venetias profectus est, & ad Decemuiratus Magistratum accеßit, quibus has illustrißimi Ducis legendas præbuit literas: in quibus nihil aliud scriptum erat, quàm quòd Bonleo omnia crederet. Tunc impius hic, & scelestus, & plusquam facinorosus uir, his Magnificis uiris, qui Decemuiratum gerunt, retulit; Illustrißimum Ducem illum oratum misisse, ut res omnes Rouerellorũ, quas occupabat, ipsis redderet: & ad hoc agendum, illum magnificis hortabatur argumentis. Cõmentabatur uerò, Illustrißimum Ducem Rouerellis uti uelle, quando opus erit, ad Rodiginum oppidum recuperandum, & reliquam ditionem Estensem. SE. O sceleratißimum uirorum omnium. BRAS. Sed audias

dias quid fecerit hic, alter Diuum despector Mezentius: Cùm de hac re à Magnificis Decemuiratus uiris inquireretur (nihil DEI gladium extimescens) solenniter iureiurando affirmauit, illa omnia uera esse: de quibus tamen mentiebatur: simulq; testes duxit Leonardum Raimundum, & Ioannem de Rezegnano, qui iureiurando idem affirmarũt. En quàm dolose, ac perfidè sceleratus hic DEI contemptor, fraudẽ hanc impiam machinatus est. SE. Ob quem finem scelestissimus hic huius generis dolos excogitauit? BRAS. Vt bella inter Serenissimum Senatum Venetum, & Illustrissimum Ducem nostrum excitaret (nam ex his bellis arbitrabatur hic, cacodæmone peior, in magnum uirum apud Venetos euasurum) chymeras quasdam mens illa deperdita nullius prorsus momenti machinabatur, quæ malignitatem suam palàm detegerent. SE. Miror Decemuiratus Magistratum uirum hunc periurum, & qui illum in re tam magni momenti deceperit, non puniuisse. BRAS. Fortè puniuissent, nisi DEVS statuisset illum sub custodiam Illustrissimi Ducis nostri ducturum, ut in his, quos diligit, mira, & inenarrabilia agat: nam nisi res ita successissent, non potuisset Illustrissimus Dux maximum illud uirtutis specimen, & exemplar ostendere: cùm scelestum hunc uirum, qui sexcentis mortibus dignus erat, uita donauit. ita enim DEVS plerunq; in seruis suis, quos diligit, agit. SE. Historiã obsecro prosequaris. BRAS. De hoc facinore satis. Sed 1545. in mense Ianuarij, tot sceleribus nondum satur, quot perpetratus erat, ut suis prauis cogitationibus aliud adderet super aliud põdus, cùm Patauij esset in cœnobio fratrum Minorum,

rum ex ordine diui Francisci, cui titulus est Sanctus Antonius, consilium iniuit, ac statuit simul cum Ioanne Maria Milanato eius expenditore, fratricidium committendi; ad quod nephanda sequebantur homicidia. Nempè statuerat Angelam Manfronam, eius sororem, & Rainaldum Cominum sororium uenenare. immo his duobus non contentus, excogitauerat Illustrissimi Ducis filios, & nobiles multos Ferrarienses eodem ueneno necare: nam Diui Antonij festum imminebat; quo die Illustrissimi Ducis filij cum ipsa Angela Manfrona pransuri erant; & simul nobiles multi Ferrarienses.

Ioannes maria milanatus.

SE. Quomodo poterat hic scelestus tot nobiles uiros uenenare? BRAS. Hoc modo, prædicto Ioanni Mariæ labellum præbuit superbis piris, saccaro conditis, plenum; in quorum medio sublimatum argentum, & arsenicum condita erant. Quippe, ut ad prauè agendum semper pronus fuit, ita tam appositè hæc pira concinnauit, ut nemo dolum discernere posset. Florem unicuiq; piro abstulerat, & foramen prædicto ueneno impleuerat; deinceps florẽ suo loco tam aptè infixerat, ut præuidere difficillimum esset. Tunc Ioanni Mariæ imposuit, ut labellum hoc ad sororem, ac sororium sub nomine uxoris Domini Iacôbi Comini, eiusdem Rainaldi Comini patrui, mitteret: nam à filio domini Iacôbi scriptæ erant literæ ad Rainaldum, quas ab eo petierat Manfronus, ad auram captandam pro Alexandro Zago. Ipse uerò hisce apertis literis duos uersus alijs caracteribus subscribi iussit; quibus indicabatur pira hæc ad Angelam, & Rainaldum ab uxore Domini Iacôbi mitti. Et ut prauè agentes plerunq; cacodæmon adiuuare cõsueuit, successit partim, ut opta=

modus q° uolet supradictos necare

ut optabat nepharius, ac sceleſtiſsimus uir. Nam label lum in ſororis, ac ſororij manum peruenit. SE. Cur ſororem, ac ſororium uenenare cupiebat inſolens hæc beſtia? BRAS. Indignum putabat ſororem ſuam accepiſſe in uirum Rainaldum Cominum. SE. Non eſt æqualis Cominorũ proſapia Manfronæ? BRAS. À nobis in præſentiarum nõ eſt facienda de proſapijs comparatio: nam Manfrona domus ſemper honore di gna fuit, niſi hic ſceleſtus illam commaculaſſet. At qui nam potuit commaculare, cùm à nutrice ex bæropho= trophio ueri Ioannis Pauli loco eductus eſſet, atq; edu catus? Neq; ſpernenda eſt Cominorum familia, in qua ſemper honeſtiſsimos uiros noui. SE. Ob quam cau ſam tot nobiles interficere uolebat, inter quos fortè & amicos habere poterat? & ob quid Illuſtriſsimi Du cis filios? BRAS. Nobiles nullo penitus prætextu necabat; ſed eius facinoroſa natura in malum ſemper prona, haud prauè agere non poterat: dulces uero Il= luſtriſsimi Ducis natos ſub hoc prætextu, quia Illuſtriſ ſimus Dux (ut dicebat) rem ueneream cum Angela ha= buerat, uolebatq; hoc falſo prætextu culpam tegere. Nam ipſe ante Prætorem ſponte faſſus eſt; non dubi= tare Illuſtriſsimum Ducem, nunquam Angelam carna liter cognouiſſe, ſed ut anſam aliquã haberet tot per= petrandi facinora, quæ ſub honeſtatis prætextu uide= rentur, hoc imaginatus erat. & hoc reſpondẽre ſtatue rat, ſi quandoq; ab aliquo percunctaretur, cur eſſet tot ſcelerum author. SE. Quid putas tu de Angela, & Illuſtriſsimo Duce? BRAS. Ita certus ſum, ut me hic eſſe non dubito, Illuſtriſsimum Ducem ne id quidem ſomniaſſe, ut etiam hiſtoriæ proceſſus apertius oſten= det.

cur sororẽ ac soro riũ uenenare uelet

qd effectu sit de ueneno

det. SE. Quid autẽ de ueneno effectũ est? BRAS. Es ne solus peregrinus Ferrariæ, qui ignores ex eo ueneno quatuordecim fuisse uenenatos? SE. Audiui quidem sed quónam modo effectũ sit ignoro. BRAS. Audias igitur. Die 31. Decẽbris 1544. erat autem dies Veneris, circa octauam noctis horam, nostras ad fores pulsatũ est, tũc in nostris antiquis ædibus propè diui Antonij templũ habitabamus, & ibi propè in domo Opitiorũ habitabant Comini; surrexêre serui, quorũ unus unum ex pueris Cominorum ad me duxit: hic orauit me, ne graue esset ad dominã Angelã proficisci, quæ malè uexabatur, ac torquebatur: addebatq;, si unquam à me gratiam impetratura illa esset. È lecto surrexi, & illuc profectus sum: reperi dominam Angelam uentriculi dolore prauè affectam, referebatq; persentire, ac si canes uentriculum eroderent, & fortè decies euomuerat, totiesq; excreuerat, cum quodam per totum corpus tremore: idem faciebat maritus: idẽ & tres ex ipsius ancillis: hi omnes prauè torquebãtur. illis omnibus prædixi hæc esse ueneni symptomata, cœpiq; suadere, quòd sanitatati restituerentur, si illa omnia agantur, quæ à nobis agenda proponẽtur. Tunc domina Angela exclamare cœpit: O dire, & crudelis frater, ò tuarũ carnium homicida. Tamẽ uidebatur potius de domino Rainaldo ægreferre, quàm de se ipsa: idq; uerbis ostendebat. At statim cœpi his omnibus medicam opem afferre, uomitumq; uehementius prouocaui: deinde selecta quædam alexipharmaca, adhibui, quæ in Illustrißimi Ducis nostri archiuis condita sunt, de quibus alias cõtra uenena experimẽta feceramus; & Illustrißimus Dux, ut benignus est, ac libera-

exclamatio sororis

lis,

lis, his tantam medicamenti copiam præbuit, quanta satis fuit pro potu, pro inunctione, & pro pulueribus. itaq; effectum est, ut hi quinq; in sanitatem restituti sint: tamen uehementia perpeßi sunt, ne dum paßi tormina, alui profluuia, uomitus, uentriculi morsus, ac erosiones, & desperatas ferè cordis pressuras. SE. Dixisti fuisse quatuordecim ex eisdem piris uenenatos, tamen quinq; solũ numerasti. BRAS. Nõdum historiam integrè perfeci. Dum torqueretur Angela ferè, & in labellum irata, dixit: Proijcite, proijcite labellum hoc deperditi fratris munus. Nonnullæ ex ancillis, quæ & ipsæ torquebãtur, labellum extra fenestram proiecerunt, quod in terram decidens, minimè fractum est. Aurora illucescente nonnullæ paupercu-læ, quæ in templum ibant, ut rei sacræ interessent, labellum hoc uidentes, mirum in modum gauisæ sunt, & sponte à fenestra decidisse putarunt; labellum accepêre, & pira, quæ per terram sparsa erant, collegêre: & postquam diuino interfuere sacro, letè domum reuersæ sunt: nouem ex illis pauperculis pira degustarunt, sed & in hoc numero aderant homines: inde ad horam omnes eisdem torminibus uexari cœpere, eodem uomitu, eodem alui profluuio, quibus & in domo Cominorum, qui ederant pira, uexabantur: inter has uerò mulierculas (proh scelus) una aderat, quæ recenter enixa erat, & quæ post conceptum male tractata fuerat, & in partu peius, in puerperio uerò peßimè, ut uix expirare posset, huic mulierculæ illæ quinq; pira fortè porrexêre, putantes his piris illam esse refecturas: hæc sola misella in primo uomitus, ac perturbationis impetu obijt, reliquæ in sanitatem restitutæ sunt. Et Illustrißi-

mus Dux noster, sua benignitate, diuinaq; percitus misericordia, iussit ut his etiam pauperculis conueniens sui alexipharmaci portio præberetur. At misellam enixã mors præuenit prius, quàm alexipharmaci uires experiri potuerit. SE. *Quod nam est alexipharmacum?* BRAS. *De illo non est hic tractandi locus, hæc summa est: Neminem ex his, qui alexipharmacum accepêre, obijsse.* SE. *Sexcentis mortibus dignus esset improbus hic uir; mirorq; DEVM animã tam deperditam ferre posse: sed reliqua prosequaris.* BRAS. *Addam & hoc malorum culmen, uir hic, cuius mens non nisi dira, & nephanda excogitare sciebat, cùm esset Fratæ in agro Rhodigino, ubi erat propriè habitationis locus 1545. in mense Nouembris, statuit cum Zanetto Belletato, eiusdem loci incola, Philippum Capellum interficere; si uerò contingeret, ut Philippum interficere non possent, saltem Matthæus necaretur, eiusdem Philippi pater, & unusquisq;, qui ad horum defensionem se exponeret. Itaq; misit prædictum Zanettum cum multis alijs in agrum Ferrariensem, in uillam quandam, quæ Lacusobscurus nũcupatur, ubi Philippus habitabat: idq; fuit summo mane, cùm Zanettus, & alij consocij uarijs armorum generibus consiti prædicti Capelli domum aggressi sunt: at Philippus, dum fores, & hostia confringerent, per fenestram, in posteriore domus parte consitam, aufugit; uerùm cùm uesperi Franciscus Gazola nocte peruentus forte fortuna pernoctasset, & ipse quoque per eandem aufugit fenestram. Nonnulli uerò ex his grassatoribus illum uidêre, & cursim secuti sunt: illumq; præuenêre apud prædia domini Iacobi Aluaroti, fo-*

ueam

qd sit alexipharmacũ

Zanettus belletatus

philippus capellus

uilla q lacus obscurus dicit^r

franciscus gazola

ueam quandam pertranſeuntem, quem multis uulneribus interfecère, decapitauère, et caput fractū ad Manfronum attulère. Quod uidens, hoc ſibi gratum eſſe dixit; quoniam ſigniferum eius in carcerem truſerat. Dumq; graſſatores illi per Capellorum domum Philippum quærebant, ſubuculam annulis ferreis confectam, cum manicis eiuſdem generis, ſuffurati ſunt, quæ ſunt precij uigintiquinque ſcutorum. SE. Fuere igitur non tantum homicidæ, ſed & graſſatores? BRAS. Quis ambigit? Erat uerò Franciſcus Gazola uir in ſuis rebus peragendis dexterimus: nam erat lictorum Capitaneus, & Philippus Capellus Illuſtriſsimi Ducis (ut hoc nomine utar) officialis. SE. Et hæc etiam iniuria ad Illuſtriſsimum Ducem ſpectat. BRAS. Spectat prorſus, etiam ſi hæc in Ferrarienſi agro non peregiſſent, quia erant Illuſtriſsimi Ducis ſerui, & officiales. Sed en quod aliud ſceleſtiſsimum ſcelus perpetratus ſit temerarius hic effrenis: Hectorem Guazzum Vicentinum ad ſe uocauit, & multis inter ipſos conſultationibus factis; denique ſtatuère eximium iureconſultum dominum Lanfrancum à Gypſo, cōſiliarium, ac generalem eiuſdem Illuſtriſsimi Ducis Quæſtorem, interficere: at cùm illud difficile uideretur, cùm pluribus ſemper ſit comitatus, & per publica incedat loca: iccirco ſtatuit, ſi contingat, ut detruncari poſsit, detruncetur, ſin minus, obtruncetur Comes Nicolaus Rouerellus, ipſius Manfroni conſobrinus, & nobilis Ferrarienſis. Itaq; Hector Guazzus Ferrariam uenit, nonnullis alijs comitatus, qui diuerſis armorum generibus obſiti erant: cumq; Guazzo uiſum ſit difficile admodum eximium Lanfrancum conſequi, occaſione acce-

aliud scelestissimum scelus hector guazzus

D. Lanfrancus à gypso iureconsultus

comes nicolaus rouerellus. hector guazzus

pta, Comitis Nicolai Rouerellæ domum ingressus est, quem in lecto cubantem inuenit in suo cubiculo, & illum dirè uulnerauit; alijs tamen comitatus; & deniq; ipsius caput detruncarunt, & Fratam asportarunt. SE. Videbatur esse hic Comes probis moribus ornatus. BRAS. Et erat profectò, atque humanus: fortè Manfronus pecuniarum inhians, affinem suum interfici iussit, ut à Venetis redemptionem assequeretur, quam præbere spoponderant unicuiq;, qui Nicolaum capite mulctassent. propterea caput statim Venetias misit, ut hi, qui scelus perpetrati erāt, pecuniam assequerētur, & quam inter se postea diuiderent. SE. Sunt'ne scelestißimi hi homicidæ pecuniam consecuti? BRAS. Minimè omnium. SE. Cur? BRAS. Rē pulchrā audito, & quomodo DEI iudicia progrediantur: Senatus Venetus admonitus fuit, hos improbos homicidas huic nobili caput abstulisse iam mortuo. ego illi ægroto medicam manum adhibueram, & iam conualuerat, sed nondum è lecto surgebat. Veneti nobilem quendam Ferrariam misère, ut intelligerent: an uiuus esset Nicolaus, cùm illi caput uiri hi scelesti detruncarunt, & neque unum inuenire potuerunt, qui uiuum esse fateretur, sed potius nonnulli faßi sunt, ipsum fuisse iam mortuum. SE. Nihil ergo pro tanti sceleris præmio recepere? BRAS. Immo in carcerem trusi sunt, utpote qui Senatū Venetum decipere tētarint. SE. Vtinam suspensi fuissent. BRAS. Denique suspendentur. SE. Prosequaris obsecro huius impij facinora. BRAS. Hæc illa sunt, quæ uir impius fassus est, se esse perpetratum, & sponte dixit, ac confessus est, ita constare, ut à me dictum est. Id

uerò fuit 30. die mensis Iunij 1546. ut legi potest in actis domini Maurelij de Taurino publici notarij Ferrien. hancq; delictorum suorum professionem fecit in castro ueteri Manfronus, in cubiculo superiori Sanctæ Catherinæ, præsentibus testibus domino Petro Manfredo Castellano, & Ioanne Pauanello philacista, & Baptista de Fachinis, & Hieronymo de Blancis, & Hercule Taiono, ueteris castri custodibus, tunc Prætor illum admonuit, quòd sequenti die, hora 12. in prædicto castro ueteri supra maius atriū, ut iura expetunt, erat sententia laturus. SE. Tulit'ne eadem hora sentētiā? BRAS. Tulit, & eodem die, ac pronunciauit in prædicto loco sono campanæ, & tubæ de more, multis nobilibus, ac ciuibus Ferrariensibus præsentibus: fuit uerò capitali pœna damnatus, & corporis sectione in quatuor partes: quæ erant affigendæ in loco, qui dicitur Lacusobscurus; caputq; , lanceæ infixum, supra prætorij turrem erat suspendēdum, ut ibidem ad multos annos illis exemplar esset, qui Principes irritare uolunt. Fecit contra Pythagoræ præcepta, dicētis: Ignem ne fodicato. i. Ne maiores te percito. SE. Quis fuit Prætor, qui illum tali pœna damnauit? BRAS. Dominus Antonius Cocapanus æques, & utriusq; iuris doctor excellentißimus, ciuis Carpensis, necnon & notarius dominus Maurelius de Taurino. SE. Reliqua recenseto facinora? BRAS. Non'ne hæc satis sunt, ut sexcentis mortibus mulctari deberet? SE. Satis quidem: sed audiueram infinita alterius generis scelera, ab hoc infelicißimo esse perpetrata. BRAS. Infinita prorsus feruntur, sed neq; in agro Ferrariensi, nec in Illustrißimum Ducem no-

qualis uir eet faber mafroni

strum perpetrata sunt. tot uerò alia referuntur, ut infinitus sit numerus; neque opus est nos illa referre, ob quæ Ferrariæ non esset mulctandus. SE. Audiui genitorem suum tam probum uirũ extitisse. BRAS. Fuit & magnificus, & prudens, & ab Illustrißimis Estensis familiæ Principibus dilectus; forteq; patris uirtutes, & nobilißima gesta aliquid pietatis Illustrissimo Duci nostro accreuêre: tamen iureiurando affirmarem, hunc Ioannem Paulum non fuisse magnifici Iulij Manfroni filium, sed uerus Ioannes Paulus cùm lac exsugeret, nocte quadã ex insperato obijt: nutrix, cui hoc dirum uidebatur, marito ad locum illũ, in quo spurij seruantur, misso, spurium quendam loco ueri Ioannis Pauli, iam mortui, surrogauit, et educauit, eodemq; nomine illum uocauit: nempè timebat nutrix ne ira percitus magnificus Iulius, illam peßimè tractaret. quippè impoßibile uidetur ex patre tam iusto, tam prudenti, tam deniq; probo, & ex matre honestißima, ex prosapia tam nobili, tam scelestum, tamq; facinorosum uirum prodijsse. SE. Cuius ergo fuit filius? BRAS. Ignoro, sed forte fuit alicuius improbi uiri filius, & scelerati, qui ob demerita aut Patauij, aut Rhodigij fuit publicè cruci affixus. Hæc sũma est, fuisse terræ filium, & incertum. SE. Non possum à tua sententia dimoueri, cùm uiros illos contemplor, qui fuere in hac prosapia sapientes, ac probi, & nunc etiã extant. Cùm statim captus fuit, credendum est multos ex amicis, & affinibus ad Illustrißimum Ducem, ut liberaretur, literas misisse, & Senatum etiam Venetum. BRAS. Immo, & paucißimi: Senatus autem Venetus ne uerbum quidem fecit: nam & hoc tam scele-

q. hic ioannes paulus nõ fuerit filius mag.ci iulij mãfroni

sti uiro

sti uiro priuari optabat: nullusq; ex amicis ausus est pro tantis sceleribus ad Illustrißimum Ducem literas mittere. Sed quos habebat amicos hic; qui & affines ipsos læserat, neminiq; pepercerat? solus dominus Petrus Paulus, Manfroni patruus, ad Illustrißimū Ducē scripsit, non quidē ut nepos liberaretur, sed ut occultè (pro seruanda prosapiæ honestate) interficeretur, & ne in publicum spectaculum res ageretur. Nullus erat ex amicis, nullus ex affinibus, immo nec sorores propriæ, nec ipsa mater, qui nō optarent hunc uita priuari; sed occultè. Idem oratus est Illustrißimus Hercules Rangonus, Manfroni Vitricus: solus Reuerendißimus Hercules Cardinalis Mantuanus, uir pietate insignis, Mantuæ Præpositum, ad Illustrißimum Ducem misit, qui eius nomine pro hoc infelicißimo ueniam impetraret: at quia Illustrißimus Dux nolebat quempiam, quid acturus esset, præscire, tam ambiguè huic Præposito respondit, ut certam non haberet Illustrißimi Ducis deliberationem, quam ad Reuerendißimum Cardinalē referre posset; statimq; in aliam sententiam uerba conuertit, ne à Præposito interrogaretur, quid Reuerendißimo Cardinali respōsurus esset. SE. Abijt ergo absq; resolutione Præpositus? BRAS. Absq; ulla prorsus resolutione receßit: tamen Illustrißimus Dux illicò ad Reuerendißimum Cardinalem sua manu literas scripsit, quibus quid acturus esset, indicabat. SE. Optarem quid in illis contineretur literis audire. BRAS. Possum tibi ad uerbum Illustrißimi Ducis literas referre, nam illorum exemplar habeo in pera reconditum. SE. Rem gratißimam mihi facies, si non sit tibi graue referre. BRAS. Eas libenter

quis ei amicus eet

benter referam, neque uerbum prætermittam si aures erexeris. SE. *En totus aures euasi.* BRAS. *Ita exorsus est suis in literis Illustrißimus Princeps.*

literæ ducis ferrariæ ad R.um card. ma[illegible]

ILLVSTRISS. *& Reuerẽdiß. domine mi, et cõsobrine honorãdißime, Arbitror Reuerẽdißimã præstantiã tuam à Præposito intellexisse, quid illi referendum dixi de Manfrono, qui etsi ob infinita eius & in me, & in meos facinora sexcentas mortes promeruisset, ut alijs temerarijs, ac improbis uiris esset exemplar, ne in eiuscemodi cogitationes improbas, ac sceleratas incidãt, tamẽ animo uoluens quantũ minimè conueniat nobili, ac generoso animo actum aliquem se indignum in captiuum, qui inter mortuos numerari potest, exercere; illud statui, ac deliberaui, quod non quidem his literis describam; sed particulatim Reuerẽdißima præstantia tua ab Illustri fratre meo audiet: cùm in præsentiarũ plus mihi debeat Manfronus, cũ sub ditione mea sit captiuus, & illum meritò sexcentis capitibus, ac iure priuare poßẽ. Mihi igitur, qui rationi potius obtempero, quàm sensuum commotioni, conuenientiùs uisum est agendum esse, ut meæ uidetur clementiæ, ac pietati, quàm ut Manfroni impietas, ac sceleritas merebatur. Quippè mihi satis uisum est, illum eo deduxisse, ut quanto errore ductus esset, & quanta temeritate cognosceret: illumq́; in id discriminis deduxisse, ut uniuerso mundo publicum sit exemplar, atq; apertũ, his, ac similibus beluis, quæ sub hoc prætextu admirabiles fieri, ac magni uiri, quando absq; ulla causa fingunt se esse magnorum Principum hostes acerrimos. Nunc uerò ad te redeo Reuerendißime Præsul, mihiq́; gaudeo, tibiq́; supra modũ gratulor,* DEVM *summum*

optimum

optimum mihi hanc gratiam præstitiſſe, ut ex his ambagibus tanto cum honore, abſq; ipſius ſummi DEI offenſione exiuerim, præſertim cum aliorum homicidia euitauerim. nempè impoßibile erat, me hunc trucidari iubere (quod tam mihi erat facilè, ut nunc uerbis exprimere facile eſt) quin multi alij, qui cum eo plerunq; ſunt, obtruncarētur. Et deniq; Reuerendißime Præſul tibi iureiurando affirmo, niſi dubitaſſem huius infortunati inſipientiam, & dira, quæ habet peccata, illum ad alia perpetranda ſcelera perductura, ob quæ illum puniri facere iterum cogerer, & niſi arbitratus eſſem ob nimiam animi mei erga indignum uirum liberalitatem, noua ſcandala oriri poſſe, lubentiùs illum penitus abſoluiſſem, et liberaſſem: ut uniuerſo orbi oſtēderem, me talem eſſe uirum, qui meas animi paßiones proſternere poßim; & tali clementiā iniurias ferre, quali in huius generis caſibus in Principibus, mihi honoratiùs ſemper uiſum eſt, quàm uti iuſtitia. Veruntamen Reuerendißima præſtantia tua me excuſatum habeat, ſi tam breui, tamq; obſcurè nobilem illum Præpoſitū allocutus ſim, quoniam tūc nihil aliud cuiquam mihi dicendum uidebatur, ne uel minimum ſententiæ meæ præſciretur, quoad Manfronus ipſe extremo illo dolore affectus eſſet, quo capitali pœna puniendi affici ſolent; quem dolorem arbitror futura nocte patietur: qua de re mihi fortè in poſterum debebit: quoniam hac nocte uerè delicta ſua uni peccatorum auditori referet, quæ fortè à quintodecimo anno citra haud retulit, ac propalauit: idq; faciet, putans ſe die craſtina eſſe capitali pœna mulctandum. Sed ne hac de re Reuerendißimæ præſtantiæ tuæ aures diutius obtundam,

obtundam, hic finem faciam. In reliquis illustris frater meus oretenus supplebit. SE. Hactenus Illustrissimum Ducem nostrum ueluti naturalem patronum nobis à DEO concessum diligebam, deinceps illum uehementer amabo, atq; obseruabo: ignorabā enim illū tam eleganter, tamq; scitè posse in epistolis uerba referre, & tam appositè sententias ordinare. BRAS. Id ignorabas, quod nullus, uel sellularius nesciebat: nam ipse tam concinnè latina utitur lingua, ut Ciceroni æquari posse uideatur. In conficiendis uerò carminibus nulli est in hac nostra ætate secūdus. Sed hæc missa faciamus, nam res ipsa magis nota est, & aperta, quàm ut à nobis referatur. SE. Manfroni igitur historiam prosequaris. BRAS. Trigesimo Iulij die 1546. cùm iterum præscripta facinora coràm iudice repetijsset, et capitali pœna mulctādus iudicatus esset, &, ut superius dictum est, obtrūcandus, in carcerē ductus est circa sextam noctis sequentis horam: philacistæ cum iustitiæ ministro carceres reserarunt, & ferreas manicas Manfrono imposuerunt, eo tamen conquerente, & dicente, ut illum dormire sinerent: at hi dicebant iterum esse examinandum, ut absque ui sineret sibi ferreas manicas imponi: postea iustitiæ minister illi nuntiauit, quòd de anima sua disponeret, & illam DEO commendaret, quoniam illucescente die hora 12. erat capite mulctandus. SE. Quid tunc dixit miser? BRAS. Quid? an nescis? uox illa fuit stylus acutus, qui cor eius transfixit. cœpit uoce alta clamare: Me prodidère: nam Prætor, ut quietè sua obscœna demerita aperiret, suadebat ne expauesceret, quoniā cū Illustrissimo Duce ipse ita acturus esset, si ueri=

uéritatẽ palàm faceret, ut illi omnino parceret. SE. Si omnia ceruicosè negasset, quid de illo actum esset? BRAS. Equuleo, alijsq; tormentorũ generibus illũ torxissent; quoniam aderãt præsentes horum facinorum testes, qui omnia coràm eo aperiebant, ut ille nec rem minimam inficias ire potuerit. At sese tãtum excusabat, quod eiusdem sententiæ amplius non esset, ut Illustrißimum Ducem lædere optaret: nempè alia facinora nullius momenti existimans præter illa, quæ in Illustrißimum Principem molitus erat. SE. Nihil aliud dixit præter hæc uerba: Me prodidêre? BRAS. Nihil aliud: sed statim extra thorum in terram se proiecit, & ueluti sus circumuoluebatur, collumq; inter thori pedem, ac parietem mirum in modum circumducere cœpit, ut nisi duo affuissent ex his pullatis, qui puniendos solari solent, & illum ab eo loco pedibus abduxissent, sese spõte necasset: aderantq; iam uestigia dilaceratæ cutis circa collum: & mox hi pullati illum solari cœperũt, & ad animam DEO alacri animo reddendam peccatis puram hortari. at ille obaudiebat, neque ad animæ præparamenta excitari uolebat. adsuit & presbyter, cognominatus Capsula, qui illum solabatur. SE. Improbus ille, qui nuper clandestinè Ferraria aufugit, & congregatas pauperum pecunias asportauit, & multa hebræorum bona? BRAS. Ille inquam nepharius Ioannes ..*.. furcifer, qui Illustrißimi Ducis caßides denique non euitabit. SE. Hos igitur, qui solabãtur, audire nolebat? BRAS. Sed & eijciebat, & solũ conquerebatur; deniq; illuc acceßit reuerendus pater, dominus Hieronymus Papinus, ut Manfroni peccata audiret.

dus
B: Pater papinus

ret. SE. Tulit'ne hunc loqui? BRAS. Tulit profectò, & eius facinora secretè audiuit. SE. Quid deinceps retulit Pater reuerendus? BRAS. Nemini licet ea, quæ in secreta, & auriculari peccatorum auditione dicuntur, reuelare: tamen reuerendus Pater à nobilibus quibusdam interrogatus, ita respondit, quantum sit in illa auriculari peccatorum auditione nunquam synceriorem hominem audiuisse, & qui minus esset peccatis onustus: immo, & quæ retulerat peccata, uenialia esse fatebatur. SE. O infelicissimum uirorum, en & DEVM ipsum decipere studebat. BRAS. Fuit in hac maxima angustia Manfronus, usq; ad horam 13. nam putabat statuta hora esse decapitandum. interim Illustrissimus Dux iusserat nobiles omnes hora duodecima interesse, ut causas audirēt, & facinora, ob quæ decapitandus esset Manfronus: iccirco magna interfuit nobilium frequentia, & iam in castro ueteri erat parata securis, cū in turrim Sanctæ Catherinæ in cubiculo maiori inferiori nobiles congregabantur. SE. Quinam aderant congregati nobiles? BRAS. Non modò Sanctæ Catherinæ cubiculum plenum erat, sed & totum uetus castrum aderat, & magna ciuium frequentia. non possem ego omnes ad unum referre, tamen nonnullos ex nobilioribus referam:

quinā aderent cōgregati

Illustris Camillus Vrsinus.
Illustris Gironus Estensis.
Illustris Franciscus Estensis.
Illustris Galeacius Gonzaga.
Magnificus comes Hercules Rangonus
Magnificus comes Camillus Tassonus.

Magnifi-

Magnificus comes Galeacius Tassonus.
Magnificus comes Nicolaus Tassonus.
Magnificus comes Federicus Montis Cuculi.
Eximius dominus Cæsar de Nobilibus, consiliarius.
Eximius dominus Lanfrancus à Gypso, consiliarius, & generalis Illustrißimi Ducis procurator.
Magnificus dominus Iacôbus Trottus, Tribunus pleb.
Eximius dominus Antonius Cocapanes Prætor.
Eximius dominus Alphonsus Rossettus.
Eximius dominus Philippus Rodus.
Magnificus dominus Alexander Guarinus, à secretis Illustrißimi Ducis.
Magnificus dominus Bartholomeus Prosper, à secretis Illustrißimi Ducis.
Magnificus dominus Paulus Constabilis.
Magnificus dominus Alphonsus Ziliolus.
Magnificus dominus Federicus Quaia.
Magnificus dominus Petrus Manfredus Castellanus.
Magnificus dominus Ioannes Paulus Machiauellus.
Magnificus dominus Bartholomeus Caualcanti Florentinus.
Magnificus dominus Ferantus Trottus.

Et alij non pauci, tum nobiles, cùm ciues interfuere; & circa horam decimamtertiam Illustrißimus Dux in cubiculum, tot iam nobilibus plenum, descendit. Et ueluti pro tribunali sedens, his, quæ sequūtur, uerbis usus est:

ILLVSTRES uiri, uosq; nobiles, ac ciues charißimi, nemo uestrū admiratione affici debet, si Ioannē Paulū Manfronū tā sedulè, tamq; diligenter persequutus sim, et adeò persequutus, ut sub nostrā deniq; deuenerit custodiā: quoniam talia sunt huius uiri & in me, & in meos facinora, ut illū (si aliqua mihi aderat mei honoris cura)

uerba Ill.mi ducis

cura)prosoqui deberē: uerùm ut uos omnes optimi sitis testes, me id coactum effecisse, flagitiosa audite huius uiri facinora. S E. *Fuit ne Illustrißimus Dux, qui Manfroni scelera retulerit?* B R A S. *Minimè, sed Prætorem ad se uocauit, ut omnibus processum (ut uocant) aperiret. Itaq; notarius alta uoce illa, quæ superius enarrauimus, facinorosa gesta, omnibus audientibus, legit; quibus perlectis, statim Illustrißimus Dux altiori uoce, hac oratione usus est: En uiri ornatißimi quot mortis generibus dignus esset hic infortunatus: uerùm enimuerò, ut cunctis hominibus, & uniuerso orbi palàm sit, me animi affectus uincere posse, sicuti iādiu iniurias, quas in me exercuerat* D E O *commiserā; ita nunc uitam suam optimis suis cognatis committo, atq; dono: nec cuiquam ansam præbere institui, qui iuste imaginari poßit, si infortunatum hunc interfici iussißē, id me effecisse, quia iniurias in me præsertim machinatus sit. De hoc tantum uehementer doleo, ac mœreo, non posse illum, ut à morte libero, ita à carceribus uēdicare: nam eius natura tam iniqua est, & eius facinora tam scelesta, & innumera, ut arbitrari non poßim ipsum non debere ad uomitum redire: tuncq; cogerer illū atrociùs puniri facere. hæ causæ sunt cur illum liberè non dimittam. Sed fortè tempore resciperet, idq; aliàs fiet, & magno cum Manfroni commodo: nam minus temerarius euadet: nempè & caueæ solent leones, ac pantheras cicuriores reddere. Veruntamen cùm infortunatus hic ubiq; propalauerit, & publicè diuulgauerit, me Angelam sororem suam uitiasse, palàm professus est, id effecisse, ut iustam quandam haberet ansam, grauißimum illud agendi ueneni scelus,*

lus, quo & sororem, & sororium necare studuit. At nego pudicam illam mulierẽ, & coràm uobis, & coràm uniuerso orbe diffamatam derelinquam, DEVM *testior immortalem, me nunquam illam uel uitiasse, uel uitiare excogitasse: quod si secus sit, supra filios meos, ditionem meam, & meipsum* DEI *uindicta descendat (tunc uerò supra Illustris Aloisij secundogeniti caput Illustrißimus Dux extensam manum habebat)* SE. *O` uerba tanto Principe digna, qui nõ modò illa, quæ ad ipsum spectabant, curauit, sed & qui palàm ostendere uoluerit, pudicam mulierem non fuisse impudicam. Quid deinceps actum est?* BRAS. *Illustrißimus Dux eximio Lanfranco à Gypso, quem hic interfici curauerat, imposuit ut ad Manfronum proficisceretur, & causam inquireret, ob quam illum necari studuerit; postea illi nuntiaret eum esse ab Illustrissimo Duce uita donatum. Quod & effecit eximius Lanfrancus, et Manfronum deosculatus est, qui nullam causam reddere sciebat, cur illum uoluisset uita priuare: deinde Illustrißimus Princeps, et cæteri nobiles, quia hora iam imminebat, ad prandium profecti sunt, & per duos integros dies quisque potuit Manfronum uisitare, & alloqui: nulli deinceps concessum est, nisi uenia prius ab Illustrißimo Duce impetrata. Ductus uerò fuit in amplum cubiculũ, in quo & Illustrißimus Dux quandoq; cõmoratus est, ut ibi quoad* DEO *placuerit uiuat, & quoad Illustrißimo Principi nostro hunc infortunatum resipuisse uisum fuerit.* SE. *Est ueluti sericea tela, quæ rugas iam contraxit, & quæ facilè dimoueri non possunt, ita qui maleficijs assuetus est, ab ipsis non nisi difficulter remoueri potest.*

BRAS.

BRAS. Tamen necessitas plerunque sapientiores reddit homines. SE. Quibus indicijs Illustrissimus Dux hunc resipuisse cognoscet? BRAS. Hoc breui sciri non potest, sed opus est, ut in maxima uiuat modestia, ac moderantia, in uictu, in sermone, & in alijs omnibus actibus; & hoc non quidem breui, sed per integros annos. SE. Arbitror (si Manfroni mores cõsidero) illũ nõ esse, ne per hebdomadã quidẽ, in illa moderantia, quam retulisti, perseueraturum; quoniam maligna quadam detinetur stultitia, à qua homo non nisi per mortem liberari potest. O' Dux noster inuictissime, potentissimeq;, nunc maximam adeptus es uictoriam: nam nulla maior potest esse uictoria, quàm seipsum uincere, & affectus illos, qui animam tuam obsepuisse arbitror, pessundasse, huncq; uita donasse, qui illa te priuare non solùm excogitauit, sed & tentauit. Illustrissimus etiã Dux Borsius Ioãnem Peregrinum ab Abolico uita donauit, qui in ipsum contumeliosè machinatus erat: tam mites sunt, & ad ignoscendum proni Estenses Principes. BRAS. Quod de Illustrissimo Borsio refers, egregium quidem, et memorabile fuit, sed cum Illustrissimi Ducis nostri munere nullo pacto est comparandum: nam Abolicus in Borsij uitam non conspirauerat, sed de eo uerbis tantum locutus erat. Nempè legitur Venetias data opera profectum esse, ut sua maledicentissima lingua de Illustrissimo Borsio male diceret: hos uerò Illustrissimus Dux noster ita negligit, ut crepitus uentris, ac troclearum strepitus. Et ille profectò Abolicus sub quodã honestatis prætextu ansam habebat maledicendi, nam paucis ante diebus ob phasianorum, & perdicum aucupium, & ob

Ill.mus dux borsius aliũ simi liter liberauit

& ob ueritatem, quam Illustrißimo Borsio negauerat, iusserat Borsius Laurentium Abolicum, Ioannis Peregrini filium, capite mulctari. Egregiùs uisus est fecisse Cæsar: nam, ut Suetonius ait, acerbè loquentibus satis habuit pro conditione denũtiare, ne perseuerarent: Auliq; Cecinnæ criminosißimo libro, & Pitholai carminibus maleficentißimis laceratam existimationem suam, ciuili animo tulit: tamen & egregiam Illustrißimi Borsij liberalitatem comprobamus, sed non esse cum Illustrißimi Ducis nostri pietate conferendam, nõ dubitamus. SE. Hoc mihi summopere displicet, quod in his Principibus Estensibus uigere deprehendimus: nam illos suspendi iubẽt, & capite mulctari, qui phasianos capiunt, atq; perdices, ac si propria sint animalia, illaq; emerint, & suis sumptibus educauerint.

BRAS. At tu econtrario hominum nequitiam, ac temeritatem considerato. adsunt de phasianis, ac perdicibus statutæ multæ, ultionesq; uident, tamen contra decreta præuaricare audent, quanto minus hi DEI præcepta seruabũt, quem non uident, & qui illos in præsentiarum non punit? Sed ne amplius in hoc errore uerseris, scito neminem unquam ob captos phasianos, uel perdices fuisse capite mulctatũ. SE. Ego his, his inquam oculis decem uidi suspensos, & cum nonnullis aderant suspensi canes, & scorpiones.

BRAS. O` bone Senex, si sciuisses quid sub illorũ suspensorum pelle latitabat, cognouisses ob phasianos, uel perdices non fuisse suspensos. Putas'ne Illustrißimum Ducem nostrum, & magnanimum nulla, quæ præter honestatem essent, perpetrare posse? putas'ne tam pium uirum, tam religiosum, tam sanctum absque

C iusta

q̃ sibi displiceat

q̃ ipse uiderit

iusta causa quempiam suspendi iubere? ne hoc arbitreris, cùm sapientissimus sit, & omnia egregiè cognoscat, quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox uentura trahantur. Ipse ex animo DEVM *timet, & tota mente ueneratur: unde omnia illi successêre prospera, ac secunda. Si mœret, immortali* DEO *gratias agit. Si res suæ (ut faciunt, & facient) secundæ succedunt, eidem sospitatori* DEO, *ut potest, gratias referre conatur: nihil sibi attribuit: omnia à* DEO *optimo omnium largitore data esse cognoscit.* SE. *Tamen et Ferrariæ, & Venetijs, & alibi multos audiuimus, qui Principibus Estensibus uitio uertebant, quòd pro phasianis, & perdicibus publicis auibus aliquem suspendi iusseret.* BRAS. *Audito prius Senex charissime, qui nam, et quo modo suspendio traditi sint; posteà tu ipse mecum Illustrissimi Ducis solertiam, honestatem, & clementiam prædicabis. Neminem unquam suspendi iussere Estenses Principes, quin sexcentis mortibus dignus esset, grassator, homicida, publicus fur, qui iam à Prætore erat ad patibulum destinatus, ac iudicatus. Verũtamen Illustrissimi Duces (ut ego testis sum optimus, qui intimam habui cum Illustrissimo Alphonso consuetudinem, & quam nunc habeam cum Illustrissimo Hercule patrono meo nullus ignorat) iussere, et iubẽt hos, qui ob alia multa facinora suspendi merebantur, sub phasianorum, & perdicum prætextu suspendi: immo illos phasianorum pœnis, & perdicum circundari iubent, ut alios à phasianorum aucupio deterreant, cùm tamen ob aucupium non fuerint suspensi: & Illustrissimi Principis consciẽtiæ satis erat scire illos ob alia facinora, & non ob aucupium suspendi, licet fingi faciat,*

ciat, illos ob hanc causam fuisse suspēsos. SE. Si hoc uerùm sit, illos excuso, & probam illorum mentem, ac conscientiam comprobo: tamen cùm melius sit nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, & quàm suas assequi uoluntates, ob id optarem hos Illustrißimos Principes illud nomen euitare, quod ob aucupium, & ob communes aues homines suspendi iubeant. BRAS. Nullus est ex nobilibus, uel ex ciuibus ingenio præditus, qui ignoret, hos ob alia facinora fuisse suspensos, & non ob aucupium; hoc soli ignari, ac rustici nesciunt, quos Illustrißimus Dux deterrere uult, ut aucupium derelinquāt: nempè nullus est, qui faciliùs, & cum maiori solertia has aues capiat, rusticis: iccirco hi soli sunt deterrendi. At ad rem nostram redeuntes, Illustrissimus Dux Manfrono pepercit, non qui esset de illo oblocutus, sed qui in eius uitam machinatus erat, & qui maledicendo, ac peierando totis uiribus (si illi datum fuisset) conabatur Illustrißimum Ducem nostrum uiuũ deglutire: nam quicquid excogitare potuit, quicquid confingere, quicquid comminisci, ut Illustrißimum Ducem nostrum ab aura uitali auferret, & illum Senatus Veneti hostem redderet, infamēq; faceret, id toto animo effecit. Audisti quàm temerè, quàm impiè, quàm scelestè Illustrißimum Principem nostrum tractare cupiebat, à quo innumera receperat officia: immo & paucis ante diebus Manfroni natum ad baptismatis undam eleuauerat, & illum (cum Ferrariam accedebat) uelut inter ulnas recipiebat, ac honorificè tractabat; & nisi Illustrißimi Ducis authoritas se interposuisset, à suis quibusdam affinibus fuisset interemptus. SE. Hoc est, quod prouerbio dicitur, non esse

suspendendo porrigendam manum, ne illum, qui adiuue rit mox suspendat: hic miser infortunatus idem agere studebat. sed prosequaris historiam. BRAS. Quotidiè noua quædam rimatur Mãfronus, ut è carceribus ueluti auicula abuolet: literas cuidam famulo, qui illi inseruiebat, nuper præbuit, ut amicis quibusdam redderet, quos ex animo orabat, ut ferrea quædã instrumenta mitterent, quibus clathra perfringere posset, et hostia reserare: at Petrus Manfredus Castellanus, inuentis literis, famulum puniuit, & statim à seruitio abegit. finxit & superioribus diebus se esse ægrotum, suamq; uino miscuit urinã, & terra; castellanũq; orauit, ut illã ad me mitteret: nẽpè arbitrabatur, si ægrotaret, relaxari debere. immo heri fumariũ quoddã fregerat, ut aufugeret: quod philicistæ præuidentes, illũ in arctiorem custodiam deduxêre. SE. Est tam improbus, quòd illi DEVS ob sua scelera mentem auferet, et aliqua perpetrabit, et ob quæ coacti erunt in cõpedes trahicere. BRAS. Fortè resipiscet. SE. Ad calendas Græcas. BRAS. Ortus est infelix iste, ut Illustrißimum Principem nostrum immortalem reddat: quippè nusquam inuenitur apud historicos aliquem Principem, tam nephariũ hostem, tam benignè, tam clementer, tamq; piè tractasse. SE. Legitur de Augusto Cæsare, quòd uxoris Liuiæ consilio Lucio Cinnæ, quem perdere cogitabat, anhelati patricidij ueniam dederit. BRAS. Egregiè quidem fecit Augustus, tamen in ipsum non erat conspiratio, habuitq; Cinnam Augusti uxorem, quæ pro ipso ueniam impetrauit: at nemo (præter Reuerendißimum Cardinalem Mantuanum, qui & absens erat) ueniam pro Manfrono im-

no impetrare ausus est: nempè & affines, & amici solum petebant, ut occultè trucidaretur. en quàm sponte hac pietate usus sit Illustrißimus Dux, cum aliàs in puniendis reis, ad remittendum pœnam Illustrißimum Ducem hortari assuetus sim, &, ne summum ius exerceat, admonere. Videns hoc tempore me illum alloqui uelle, aufugit, & uerba mea euitauit, quæ tamen aliàs libenter audire uidetur; & profectò illi dicturus eram: Hercules Illustrißime occasionem habes te reddendi immortalem: at posteaquam ipse sponte omnipotentis DEI manuductus, & propria sibi, ac innata pietate, Manfroni uita affines suos donauit, mihi dixit: Verebar ne de Manfrono me alloquereris, iccircò quantum licuit, euitaui, ne ullam me alloquẽdi occasionem nanciscereris, priusquam id fecissem, quod mẽte conceperam, & ad quod peragendum clemens DEVS inuitauerat. Ipse igitur sponte, & non ab uxore, uel ab alio oratus, ut fecit Augustus, Manfrono pepercit. SE. Tamen, & Augustus ipse Caßio Patauino pepercit, qui in publico & pleno conuiuio proclamauit, neque uotum sibi, neque animum deesse confodiendi eum. BRAS. Non sum Augusti clementiæ detractaturus, sed, neq; illam cum Illustrißimi Principis nostri pietate comparabo, quoniam Patauinus ille uerbis tantum usus est, & fortè ebrius, Manfronus uerò præter temeraria uerba, omnem commouit lapidem, ut optatum finem assequeretur. SE. Tamen & de Cæsare legitur, quòd sæpe his pepercerit, qui in illum conspirauerunt. BRAS. Id fuit antequam esset Cæsar. i. Imperator, & Imperij habenas manu temperaret: at multos persecutus est, si Suetonij uerbis mentem adhi-

bebimus; qui ubi loquitur de lenitate, & mansuetudine eius in ulciscendo iniurias sibi illatas, ait, Philemonem à manu seruum, qui necem suam per uenenum inimicis promiserat, non grauiùs, quàm simplici morte puniuit. en qua lenitate, & mansuetudine in hunc usus sit? SE. Non est profectò lenitati, ac clementiæ Illustrißimi Ducis nostri comparanda: tamen & Dauid Rex à Nabal Carmelo manus abstinuit, homine uno omnium ingratißimo, quem interimere cum uniuersa familia decreuerat, placatus precibus Abigail Nabal uxoris. BRAS. Ad rem nostram quid hoc facit? nã præter conspirationem, quam in Illustrißimi Ducis nostri uitam fecerat Manfronus, etiã ingratißimus fuit. scimus, & præterea Augustum maledicentiæ iniurias passum esse, et peperciße sontibus: nam Iunius Nouatus asperrimam de illo epistolam in uulgus edidit sub nomine Agrippæ iuuenis, quem tamen nisi pusillo puniuit exilio: & quidam accusabat Aemilium Elianũ Cordubensem, quod male opinari de Cæsare solebat: Augustus ad accusatorem conuersus, commotoq;, similia dixit: Sciat Aelianus, & me linguam habere. nec quicquã ultra, aut statim, aut postea inquisiuit. Tiberio quoq; de eadem re sedulo uiolentius apud se per epistolã conquerenti, ita rescripsit: Aetati tuæ mi Tiberi noli in hac re indulgere, & nimium indignanti quènquam eße, qui de me loquatur male: satis est enim si hoc habeamus, ne quis nobis malefacere poßit. sed hæc in præsentiarum, quæ ad rem nihil faciunt, prætermittamus. SE. Legi diuersorum uirorum de hac Illustrißimi Ducis pietate disticha, tetrasticha, atq; exasticha. BRAS. Et pulcherrima (ut arbitror) legisti,

sed

sed nulla fortè uidisti celebriora carmina, quàm illa, quæ in Illustrißimi Ducis epigrammate scripta sunt. SE. De seipso igitur Illustrißimus Dux epigramma confecit? BRAS. Audias quonam modo, & quàm raptim illud fecerit. Aderant in ueteri castro Illustris Galeacius Gonzaga, & alij nonnulli, qui hanc Illustrissimi Ducis clementiam carminibus toto ingenij nixu laudare conabantur, & unusquisq; ut sua ferebat Musa, Vergiliano stylo hæc efficere contendebat: Illustrissimus Dux forte fortuna ex insperato superuenit, hosq́; interrogauit, Quid nã agerẽt, quod cùm illi aperuissent, ait, Nisi uideretur iactantia, & quod sordidissimum est, meipsum uelle laudare, hoc modo canendum iudicarem.

Deest epigramma.

Ex his, qui aderant, unus carmina hæc, illo dictante, perscripsit, quæ à suauißimo ore ex tempore prodiere. Omnes deniq; epigramma hoc summa cum admiratione legerunt: quod deinceps Illustrißimus Dux in multas discidit partes, & in terram iecit. tunc ego frustula collegi, simulq́; non sine labore aptaui, & ita aptaui, ut rescribere potuerim: nam mihi conueniens uisum nõ fuit (etsi contra ipsius Principis decreta sit) tam elegans, tamq́; argutũ epigramma deperire, præsertim cum à tam celebri uiro, ex tempore, & maxima cùm facilitate prodierit. SE. Non possum non uehementer admirari de Illustrißimo Principe, qui

cùm ſit in tot regendis populis, in adminiſtrando iure, & reddendo, tam occupatus, tam egregiè conflandi carminibus mentem adhibere poßit. ſed hæc miſſa faciamus, & in noſtrum diuertamus pharmacopolium. BRAS. Ego aliò ſum profecturus. SE. Oro te, atq; obſecro per DEVM immortalem, ut nunc omnia examinemus compoſita medicamenta, quæ in pilularum forma non præbentur: nam cras Venetias iturus ſum. BRAS. Et ſi fortè hora tardior uideatur, quàm huic negotio conueniret, tamē, ut tibi morem geram, ad pharmacopolium properemus. SE. Non poſſum citatiori greſſu incedere. BRAS. In hoc angulo ſedeamus, ne nos alijs, & alij nobis impedimēto ſint: & erimus propè capſam librariam, è qua facilè unumquemq; librum accipere poterimus. SE. Vt lubet: tu uerò in hoc hemicyclo ſedeto. BRAS. Eſt ſeniorum ſedes, mihi enim cui craſſæ inſunt nates, ſatis erit ſupra ſcamnum ſedere: ueruntamen optarem, ne abſq; ordine incederemus, te omnia in unum, ueluti cumulum, ſcripſiſſe compoſita medicamenta, quæ aluū ducunt, tamen non ſunt pilulæ, neque trochiſci. SE. Id iam effeci: nam & Electuaria, & Pulueres, & Confectiones, quæ cathartica ſunt, in hunc ordinem ſtatui. BRAS. Non ab re feciſti, nam nec oleum, nec impenſam perdidiſti. uerùm ut id præſciatur, de quo tractaturi ſumus; ſciēdum eſt, illa ſolùm eſſe apud Galenum, καθαρτικὰ, id eſt, purgantia medicamenta, quæ uel unum humorem attrahunt, uel duos, uel omnes ſua qualitate peccantes: nam Galenus in plætora, id eſt, æquali omnium humorum abundantia, uenæ ſectione ſemper utitur: in cacochimia uerò, quæ eſt

unius

unius humoris, uel plurium abundantia, purgante utitur medicamento: quod uim habeat uel unum, uel plures humores attrahendi; ut exigit affectus. Nos uerò non latet, apud recentes multa esse alia medicamentorum genera, quæ humorem sibi proprium non educũt; ut purgantia faciunt: sed uel uentrem leniunt, uel comprimunt, uel lubricum reddunt, uel abstergunt: at nos in præsentiarum de solis agemus catharticis, nisi unũ, uel alterũ ex his receperimus; ne de ipsis seorsum agere simus coacti. Veruntamen ne hisce in præludijs tẽpus conteratur; primum lege medicamentum à te in tua scheda descriptum. SE. Primum est electuarium de dactylis. BRAS. Quis est huius electuarij author? SE. Mesue. BRAS. Iam noui, id est, quod diaphinicon uocatur. SE. Immo nonnulli sunt medici, quibus si dicatur, electuarium de dactylis quid sit, non intelligunt: si uerò dicatur, diaphinicon; statim intelligũt. BRAS. Fortè nomẽ, sed nõ rem ipsam: immo ne nomen quidem, cùm potius dicere deberent, diaphœnicon. sed hæc missa faciamus, & compositionem ipsam cõtemplemur; quam huc afferre ne pigeat. SE. Hæc est quæ sequitur.

℞. Dactylorũ cheiron infusorum in aceto tribus diebus, & tribus noctibus, partes centum.

descript.º de electuarij de dactilis. seu diaphiniconis

Penidiorum saphiri,	partes L.
Amygdalarum mundatarũ,	partes XXX.
Turbith,	partes XXXV.
Scamonij,	partes XII.
Gingiberis,	
Piperis longi,	
Foliorũ Rutæ siccorũ,	

Cinnamomi,
Maceros,
Ligni Aloës,
Anisorum,
Daucorum,
Fœniculorum,
Galangæ.

} Singulorũ partes ij. & semis.

Misce, & fiat omnium contritio bona; & confice cum melle despumato: est.n.medicina mirabilis: dosis eius est ab Aur.iij.usq; ad septẽ.hæc Mesue: qui ait esse cõ positionem filij Zezar, quæ confert compositis febribus, & diutinis, & colicæ, & dolori uentris, & humoribus crudis, & frigoribus; et est solutiuum facile, & conueniens. BRAS. Quis dicit esse facilè solutiuum? SE. Mesue. BRAS. Ego in infinitis nauseam commouere expertus sum, & tormina facere: licet torminibus aduersari dicatur. SE. Cur nauseam mouet? BRAS. Turbith prætermitto, atque scamonium, arbitror & palmulas in aceto maceratas nauseam commouere: tuq; ex palmulis aceto maceratis bolum edito, nauseam inducere percipies: immo solus harum palmularum ita conditarum odor mihi nauseã commouet. fortè Mesue intelligit esse quoad eductionem facilè medicamentum. At hoc ad rem ipsam nihil, nos diaphœniconis compositionem contẽplemur. SE. Vt lubet. Tamen id te non lateat, aliquos esse, qui simplicium quantitatem à Mesues quantitate uariant, & suis in pharmacopolijs compositionẽ ita præparatam seruãt. BRAS. Quonã modo hi simpliciũ quantitatẽ uariant, ut nihil prætermittatur, quin à nobis cõtẽplatũ sit? SE. Ita compositionẽ parant, ut sequitur.

℞. Da=

℞. Dactylorum infuforũ in aceto tribus diebus, & tribus noctibus, drach. L.
Penidiorum, drach. XXV.
Amygdalarũ mũdatarum, drach. XV.
Turbith, drach. XVIII.
Scamonij, drach. XI.
Gingiberis,
Piperis longi,
Foliorũ Rutæ ſiccorũ,
Cinnamomi,
Maceris,
Ligni Aloës.
Aniſorum,
Fœniculorum,
Daucorum,
Galangæ.
} Singulorum drach. I. gra. XV.

Omnia optimè conterantur, & conficiatur cum melle deſpumato quantum ſufficit. BRAS. Reperitur & diuerſitas in ſimplicium quantitate, in deſcriptione quadam, in libello paruo, qui circunfertur, poſita, Diſpenſarium Nicolai inſcripto. SE. Quæ nam eſt eiuſmodi compoſitio? BRAS. Hæc, quæ ſequitur.

℞. Dactylorum cheiron infuſorum in aceto tribus diebus, & tribus noctibus, unc. VI. drach. II.
Penidiorum ſacchari, i. quæ ſit facta ex zuccaro diſſoluto in aqua decoctionis hordei, unc. III. drach. I.
Amygdalarum mundatarum, drach. XV.
Turbith, unc. II. ſ.
Scamonij, drach. VI.

Gingiberis,

Gingiberis,
Piperis longi,
Foliorũ Rutæ ſiccorũ,
Cinnamomi,
Maceris,
Ligni Aloës,
Aniſorum,
Fœniculorum,
Daucorum,
Galangæ.
} Singulorum drach. I. gra. XV.

Fiat omnium trituratio bona, et conficiatur cum melle deſpumato. Hæc ſunt illius libelli uerba. SE. Non multum differt à præſcripta compoſitione. BRAS. Tamen aliqua eſt differentia; quia ſuperius poſita cõpoſitio ponit turbith drach. XVIII. hæc uerò ponit uiginti; & in præſenti compoſitione ſex ſcamonij drachmæ ponuntur, in præadducta uerò undecim. SE. Mira res eſt de ſcamonij quantitate; nam Meſues contextus diuerſiſsimi ſunt: quippè nonnulli legunt: drach. XI. alij. XII. alij. XXII. alij. XXIII. at quem ego contextum ſequi debeam, ignoro: præſertim cùm hæc compoſitio à diuerſis pharmacopolis cum diuerſa ſcamonij quantitate ſeruetur. BRAS. Poſſunt ex hoc medici non modicè errare: ſed ut iudicare poſſum, debent eſſe drachmæ XI. uel XII. multosq; legimus antiquos Meſues codices, qui habebant duodecim: repetiturq; hæc ferè compoſitio in ea parte à Meſue, in qua agit de turbith, & duodecim ſcamonij drachmas ponit: adde, ſi plures eſſent, quòd turbith excederent, & ita plus bilis educeretur, quàm pituitæ; cùm tamẽ huius compoſitionis intentio ſit, pituitam primò

educere, deinde bilem: quamuis apud Nicolaum *Alexandrinum, medicum antiquißimum, diaphœnicon legatur, cuius uis est, bilẽ solam educere.* SE. *Et quæ nam est huius* Nicolai *compositio?* BRAS. *Hæc, quæ sequitur: quam dicit pectus, stomachum, pulmonem, hepar, & lienẽ optimè sine molestia purgare; & colorem bonum decoloratis reddere.*

℞. Carnium dactylorum,		drach. c.
Diagridij,	}	Singulorum drach. XXVIII.
Gingiberis,	}	
Cinnamomi,	}	Singulorum drach. XVIII. scrup. II.
Galangæ,	}	
Spicæ,	}	
Garyophyllorum	}	Singulorum drach. VIII.
Zeduariæ,	}	
Glycirrhizæ,	}	
Moschi.		scrup. I

Mellis, quod sufficit, detur in modum auellanæ post prandium, & post cœnam. SE. *Nullum ingreditur catharticum medicamentum cõpositionem hanc præter scamonium, quod bilem solam educit.* BRAS. *Iccirco dicebamus esse diaphœniconis genus, quod bilẽ solùm educit, & diuersum à* Mesues *Diaphœnicõe, quod in usu publico seruatur: tamen & illud* Nicolai, *ob palmulas, diaphœnicon uocatur.* SE. *Quem humorem educunt palmulæ?* BRAS. *Nullum prorsus, immo potius uim habent abstrigentem: nam* Galenus *in* VIII. *De simplicium medi. facul. cùm dixit palmam arborem ex omni sui parte esse adstrictoriæ facultatis, de eius fructu dicit: At fructus eius, & maximè dulcis, non paucam obtinet caliditatem: cæterùm*

cum edendo ſit, multo eſt uſui, non tantùm foris impoſitus, ubi quid roborare, & deſiccare, contrahere, ſtipare, denſareq́; conſilium eſt; ſed tanquam cibus ſumptus cum alijs, & per ſe. SE. *Putabam ego uentrem potius emollire, quàm ſtipare.* BRAS. *Galenum audiuiſti, qui oppoſitum dicit, quàm opinaueras: nam ſtipat, & adſtringit: immo & dum manditur, adſtringentem naturam habere percipitur.* SE. *Arbitrabar prius compoſitionem hanc ingredi, quando uentrem emolliret.* BRAS. *At illam ingreditur, quando adſtringit, & catharticis medicamentis ſuperfluam uim remouet.* SE. *Omnia igitur adſtringentia uim auferunt medicamentis?* BRAS. *Omnia profectò; ſed inter adſtringentia aliqua ſunt, quæ ſimul roborant membra; & hæc catharticis miſcentur: ut ſunt gummi genera, et picium, & dactylorum, & ipſa cotonea medicamentis miſcētur, ut eorum uim reprimant: & ideò à Galeno in* III. *De ſimp. medi. facul. cap.* XV. *dicitur: Sic autem non pauca purgantium medicamentorum cum carne mali cotonei exhibita, guſtu quidem fallūt; at effectu ſolo quod ualeant, commōſtrant. Dantur uerò quædam cum palmulæ carne, alia autem cum myrtis, alia cum maſtichechia, aut alio quopiam eorum, quæ cùm grata ſunt ſtomacho, tū adſtringūt; quò ſcilicet guſtū fallant, ſimulq́; ſtomachum minus euertant.* SE. *Galenus igitur putaret miſtas eſſe huic compoſitioni palmulas, ut guſtum fallerent, & turbith, atq; ſcamonium non ſentirentur.* BRAS. *Hæc proculdubio cauſa eſt, cur miſceantur: addeq́;, ut pulueres facilius cum re glutinoſa miſcerentur, ne deciderent, inteſtiniſq́; inhærerent, ac uentriculo.* SE. *Tamen nō*

uidentur

uidentur stomacho gratæ palmulæ. BRAS. Immo sunt gratæ, nisi essent mistæ aceto, & in eodem macerate: nam tunc, cùm gustantur, nauseam inducere uidẽtur: tamẽ cùm uentriculũ ingrediuntur, illum potius roborant: immo à Galeno dicitur in VIII. De simpli. medicament. facult. misceri facultatibus hepaticis, & stomachicis, seu intro sumantur, seu foris admoueantur. & Dioscorides ait, succurrere stomacho laborantibus. stomacho igitur conferunt palmulæ, & adstringunt: immo adde, ideò conferre, quia adstringũt, & calefaciunt. SE. Quomodo calefaciunt, si adstringũt? præsertim cùm à Galeno in II. de alimentorum facultatibus dicatur: Clarum autẽ est, dulces calidiore, adstringẽtes frigidiore succo præditas esse. BRAS. Palmulæ omnes simpliciter calidæ sunt, & quæ adstringunt, calidam etiam habent partem: nam & dulces sunt; Galeno in præcitato libro dicente: Nulla ergo ex illis est, quæ non dulce quoddam, & adstringens resipiat: omnes ergo & dulces sunt, & adstringentes. at Galenus comparationem fecit dulcium palmularũ, & non habentiũ adstrictionem, cũ adstringentibus: & dulces inquit esse calidiores, scilicet adstringẽtibus: et adstringentes esse frigidiores dulcibus. unde & in VIII. De simp. medi. facul. scriptum reliquit (de palmæ fructu uerba faciẽs) At fructus eius, & maximè dulcis, non paucam obtinet caliditatem. SE. Quomodo Galenus dulcem contra adstringentem distinxit, cùm in libro à te citato, faciat totam arborem, & germen, & cerebrum, & palmulam adstringentis facultatis? BRAS. Adstringunt prorsus omnes palmulæ, sed dulciores minus: & ob hoc adstringere non dicuntur:

tur: quæ uerò magis adstringunt, sunt minus dulces. SE. Ex quo igitur palmularum genere in hac compositione accipiēdū est? uideretur ex austeris, quia maiorem habent adstrictionem, & effrenitanti medicamento magis obuiare possunt. BRAS. Cur non ex dulcioribus, si gustum (ut Galenus ait) fallere uelimus? Dicimus ergo adstringentes potiùs accipiendas esse, quia ad id, ob quod medicamento miscentur, duo requiruntur, & quod sit stomacho gratum, & quòd adstringat; palmulæ ratione, qua dulces sunt, stomacho gratæ, & gustum fallunt; ratione etiam, qua adstringunt, stomacho conueniunt: quoniã (ut Galenus inquit in 11. De Alimē. facul.) Dulcis succus alēdo est: austerus uerò stomacho conuenit; addeq́; uim fortium medicamētorum reprimere: itaq; austeræ recipiendæ sunt in hoc medicamento palmulæ, quæ si abessent, illorū loco dulces accipere oporteret. Galenus in 11. De Alimen. facul. tres uidetur palmularum differentias enumerare: nam aliquas ait esse siccas, & adstringentes, ut Aegyptiæ sunt; alias molles, humidas, & dulces, quales sunt Cariotæ uocatæ, quæ in Hierichonte, quod Syriæ Palestinæ oppidum est, nascuntur: inter has duas species, reliquas ponit medias: ex unoquoq; genere fieri potest diaphœnicon: tamen si ex adstringentiori genere fiat, non est tam efficax medicamentum: quoniam ex hac adstrictione uim remittit, estq́; magis gratum stomacho; quanquam genus hoc medicamenti stomacho gratum nunquam uiderimus, rarißimiq; sunt, quibus nauseam non commoueat, & præcipua causa est, infusio palmularum in acetū: à Galenoq; in 11. De Aliment. facult. dicitur, morsionis quoque sensum, os uentriculi,

culi, quod & stomachum uocant, inducunt. SE. Cur in acetum infundunt palmulæ? BRAS. Nullus est, qui causam referat. quãdoque arbitratus sum id fieri, ne medicamentum putresceret: sed hoc effici non potest, quia mel compositionem ingreditur, & zuccarum in penidijs, & multi pulueres; quæ omnia præseruare possunt, ne medicamenta putrescant, & impedire, ne palmulæ corrumpantur: immo absq; infusione in acetum diaphœniconem fieri iußimus, & egregiè soluit, diuq; perdurat; fortè quia calidæ sunt palmulæ, aceto macerantur, ut earum remittatur caliditas. Galenus etenim in primo De simpl. med. facul. cap. XXVIII. inquit: acetum ingredi medicamenta, quia frigidum: antiqui uerò dicebant, quia calidum; uel ut magis adstringant, aceto imbibuntur; uel ut uim turbith magis offuscent, ac deprimant; uel aceto macerantur, ut id ab ipsis remoueatur, quod Galenus palmulas habere dicit in II. De Aliment. facult. nempè dicit, capitis dolorem facere, iecur obstruere, ac lienem: at aceto maceratæ, ad caput minimè effumant: iccircò capitis dolorem non faciunt; neque aceto imbibitæ, iecur, uel lienem obstruere possunt: uel ideò aceto macerantur, ut attenuent, ac incidant pituitosam materiam, quam medicamentum attrahere debent; uel cum huiuscemodi medicamenti officium sit à remotioribus corporis partibus attrahere, aceto miscentur, ut penetrare faciat; id enim esse aceti officiũ: ut in primo De simp. medic. facult. edocemur cap. XXXV. SE. Vnde asportantur palmulæ? BRAS. Ex Aegypto Venetias: nam apud Damascum infinitæ propèmodum uirent palmulæ. SE. Ergo adstringentes erunt, quia à Galeno di-

citur in 11.De Aliment.*facult.* Aegyptiacas *esse siccas, & adstringentes.* BRAS. *Adsunt quidem in* Aegypto *adstringentes, sed neque desunt dulces: tamē & in* Italia *habent palmulæ* Romæ, & Neapoli *: sed non habetur tanta quantitas, quæ* Italiæ, *neque minimæ parti satisfacere poßit. non maturæ mirum in modum adstringunt.* SE. *Palmulæ ergo in hac compositione non ponuntur, ut educant?* BRAS. *Minimè omnium* SE. *Cur ergo uocatur compositio de palmulis, & denominatio à palmulis fit, cum in compositis medicamentis ab eo denominationem fieri consuetum sit, quod actionem facere dicitur?* BRAS. *In hac compositione denominatio ab eo, quod copiosius ingreditur, deducta est: nempè à palmulis, & nō ab eo, quod educunt: quamuis nonnulli uocarint & hoc medicamentum diaturbith; tamen non est illud diaturbith, de quo acturi sumus.* À *dactylorum igitur molle huic compositioni nomen inditum est, & non ab eo, quod est basis, & intentio medicamenti.* SE. *Quæ nam est huius medicamenti intentio, & quis nam scopus?* BRAS. *Pituitam primò educere, & copiosè; secundò bilem, & remißiùs: iccirco basis erit turbith, cuius officium est, pituitam educere, quam euacuare medici intendunt hoc medicamento.* SE. *Cur tandiu aceto macerantur palmulæ?* BRAS. *Quia corpus habent densum, & crassum, ut penitus imbibantur, & uniuersim madescant; tamen in secūdo die uidimus esse aceto imbibitas, & tertio die uehementiùs maceratæ sunt.* SE. *Quid significat id uocabulū,* CHEIRON? BRAS. *Multa à diuersis dicuntur recentibus, quæ cùm nullius sint momenti, prætermittemus; ut quòd sit*

Regio

Regio, quæ uocetur Cheiron: & dicamus, palmulas ab authoribus probari, quæ ruffæ sunt, rubræq;: quoniam & eo colore maturitatem præ se ferunt, κιῤῥὸν uerò ruffum significat. Et ideo legēdum est palmularum cirrharum, id est ruffarū, lutearum'ue, hoc est, probè maturarum: quamuis nonnulli probent immaturas: quæ etsi magis adstringant, compositioni non conueniunt; quoniam nō indigemus tanta adstrictione; sed illa satis est, quæ in maturis reperitur. Ita uerò intelligi oportere, testis est Serapio cap. LXIX. qui ait; Cheiron esse speciem dactylorum, citrinum colorem habentium, & rubrum. SE. Id igitur nomen colorem significat? BRAS. Id prorsus significat; & hic color ille est, qui palmularum perfectionem præ se fert. SE. Cur tantam palmularum copiam recepit Mesue? BRAS. Vt catharticorum uis remitteretur: nam in hanc compositionem præter cathartica, & mel, ingrediuntur partes ducentæquinque aliarum rerum: cathartica uerò, sunt partes quadragintaseptem; quæ si melle confici debeant, & simul misceantur cathartica cæteris, non poterit minus sumi mellis, quàm partes trecentæ. SE. Sunt aliqui in Italia pharmacopolæ, qui tres mellis libras ponunt, alij quatuor. BRAS. Illos probo, qui tres libras accipiunt, quando per partes drachmas intelligunt: sed tutius est trecentas mellis partes accipere, quomodocunque pars intelligatur: uel sint drachmæ, uel unciæ, uel libræ: & ideò mel cum his, quæ corrigunt, & palmulis, erunt quingentæquinque partes: si uerò addamus turbith triginta quinque partes, & duodecim scāmonij, erūt quingentæ quinquagintaduæ partes: si quot uicibus trigin

taquinque ingrediantur, hunc numerum cõtemplemur, turbith quantitatem habebimus, quæ ex tota compoſitione unamquanq; ingreditur partem: intelligimus uerò per partes, drachmas; tunc dicimus in ſingulam cõpoſitionis drachma ingredi decimamquintam partem unius drachmæ turbith, & dimidiam unius partis, & dimidium dimidij, & modicum quid ultra, ut in quacunq; huius compoſitionis drachma turbith grana circiter quatuor ingrediantur: iccirco ab auris tribus uſq; ad ſeptem, Meſue præbet: ſunt uerò tres auri, quatuor drachmæ, & ſemis; ut ferè ſcrupulus turbith duobus granis minus hanc compoſitionis portionem ingrediatur. SE. Ob hanc fortè cauſam à Meſue dictum eſt, eſſe medicinam ſecuritatis, quia pauca catharticorum quantitas multæ molli eorum, quæ cathartica corrigunt, miſta eſt. BRAS. Quicquid à Meſue dicatur, quod experiẽtia oſtendit, id ſemper, & apertè fatebor: tamen nõ uideo tantam ſecuritatẽ, ſed mira inducit tormina ſumentibus, & nauſeas.

aureus quot drachmas capiat,

SE. Fortè eſt, quia illi pharmacopolæ, ut ab authore monentur, mel non expumant. BRAS. Mel non expumatum tormina prorſus inferre ſolet: at illi eſſent improbi pharmacopolæ, qui mel haud expumarent.

SE. Immo nonnulli ſunt, qui accipiunt ſecundarium mel, & aliqui mellacium? BRAS. Hi neque fures, neque carnifices appellandi ſunt; ſed graſſatores, quos ſtatim ſuſpendere opus eſſet; & nulli etiam ſupplici parcendum: fortè hoc eſt, quod quorundam pharmacopolorum diaphœnicon dolores parit intenſos, & quorundam minimè intenſos. SE. Si mellis loco zuccarum recipiatur, non'ne faciliùs euaderet medicamentum?

camentum? BRAS. Ex zuccaro fieri iussi tormina, & ipsum facit; sed non tam uehementia, ut cùm ex melle confectum est. SE. At zuccarum non ita educit, sicuti mel. BRAS. Paulominus. SE. Quid intelligis per penidia saphira? BRAS. Id quod & omnes alij intelligũt, scilicet penidia ipsa ex infusione zuccari in aqua hordei confecta. SE. Alij intelligunt penidia ex exquisito zuccaro confecta, & non quidem in aqua hordei, sed & in alia qualibet aqua. BRAS. Hoc ad rem nihil facit, uel sit in aqua hordei infusum zuccarum, uel in alia aqua: nam quod ad compositionem attinet, & est penidiorum lentor, quouis catharticorum refrangitur, & ne effrenitent, ueluti à manu retinẽtur: nõnullosq; Mesues codices uidimus, qui simpliciter scriptum habent, penidiorum; & nulla adest determinatio: neque omnes Mesues codices legunt saphiri, sed aliqui habẽt sabiri, aliqui sibari, tu simpliciter penidia intelligito quomodocũq; confecta, modò sint ex exquisito zuccaro. SE. Dic (nisi molestum sit) quomodo dissolues penidia, quoniam si totam compositionem ingrediantur, haud dissoluentur; si in puluerem redigere tentaueris, frustrà laborabis; nempè ad hoc inepta sunt: si ex melle dissolui iubeas, intentum minimè assequêris; nam simul non iungentur. BRAS. Ego in primis iubeo, ut parumper attenuentur, deinde aqua aliqua dissoluantur; ut aqua hordei, uel aqua hyssopi: cùm erunt dissoluti, quod facilè efficietur, toti compositioni misceantur: nam ita planè in unum corpus cum tota compositione coalescent. SE. Cùm mũdæ amygdalæ compositionem hanc ingrediantur, quo ingenio mundari debent? & quæ nam amyg-

dalæ sumẽdæ sunt, dulces, an amaræ? BRAS. Nescio an me derideas, cum modum emundandi amygdalas petis. SE. Non derideo prorsus, neq; talis es, ut derisione sis dignus: at quia multis modis à corticibus liberari possunt amygdalæ, illas in primis torrefaciendo, deinde cultro extima pellicula liberando, uel cultro abradendo, etiam si torrefactæ non sint: uel illas in aqua ebulliendo, & posteà à corticibus liberando: ignoro an aliquis modus compositioni sit aptior. BRAS. Probè dicis: sed communis modus is est, qui probatur; in aqua amygdalas ebulliendo, postea illas pollice, ac indice constringendo; tunc enim extra corticem prosiliunt. An uerò amaræ accipiẽdæ sint, an dulces; & si multi amaras sumendas esse censuerint, quia magis medicatæ sunt, quàm dulces, tamen nos ecõtrario, dulces accipiendas iudicamus: quia amygdalæ compositionem hanc ingrediuntur, ut illam gustui aptiorẽ reddant, & emolliant, et sua etiam pinguedine catharticorum uenenositati obsistant: addeq;, cùm simpliciter apud authores fit amygdalarum mentio, de dulcibus semper intelligere oportere: & Mesue ipse nõ paucis in locis, cùm de amygdalis amaris uerba facturus est, nunquam simpliciter dicit amygdalas, sed semper cum hac adiectione, amaras: Serapio præterea suo in Antidotario, Diaphœniconis compositionem referens, dulces amygdalas numerat: idem facit Auicẽna in uno ex suis diaphœniconibus, quinto canone. SE. Sunt'ne horum authorum compositiones eædem cum illa Mesues? BRAS. Neque eædem, neq; similes; solo conueniunt nomine, & quia omnes recipiunt palmulas aceto maceratas; immo Serapio ait, acetum uini fortis; &

tis; & Mesue, acetum uini esse oportere: nam posset accipi alicuius fructus, qui acetosus esset succus, uel aqua acetosa, nisi expreßissent acetum ex uino esse oportere. Ad rem igitur. sint amygdalæ dulces excorticatæ, & ex his sint, quas Ambrosianas uocãt, quæ ex Apulia ad nos feruntur, nam omnibus præstant, & pingue habent, quo cathartici uenenositati obsistant: et ad caput effumantes, uim cathartici secum ducũt. nempè illos nunquam probauerim, qui dicunt ob palmulas, & penidia prohiberi, ne uis purgatoria ad caput, & ad omnes partes accedat; immo palmulæ caput feriunt, & amygdalæ, & turbith uim, ac scamonij illuc ferunt; quia ex his uis ipsa non aufertur catharticis: sed ab ipsis solum remouetur, quod effrenitare non poßint, neq; membris obsint. SE. Quod genus turbith sumendum iubes? an illud album, quod in præsentiarum ex monte Gargano, id est, Sãcti Angeli, Ferrariam aduehitur? BRAS. Cùm hæc sit Mesues cõpositio, turbith genus accipiendũ est, quod illas habeat notas, quæ à Mesue referũtur; scilicet esse albũ, uacuũ, arundinosum, & gummosum; & eius cortex sit cinericius, & planus, & sit recens, & facilè frangibilis. SE. Quid est apud antiquos turbith? BRAS. Illa in mentem recole, quæ in simplicium examine de turbith à nobis scripta sunt, ne de eadem re bis loqui cogamur. SE. Ita faciam. Sed quantam scãmonij quantitatem iuberes tu apponi, cùm aliqui undecim partes, aliqui XII. aliqui XXII. aliqui XXIIII. accipiãt? BRAS. Semper illius fui sententiæ, ut duodecim tantùm drachmæ apponerentur, ne medicamentum aquæ uel fortè uehementius bilem duceret, quàm pituitam; cùm

medicamenti intentio ſit, pituitam educendi & craſſam, & crudam: ſi uerò adeſſet tanta ſcamonij copia, bilem æquæ ſaltem educeret; quia ſcamonium eſt magis actiuum, & faciliùs in actum ducitur, quàm turbith; biliſq; ipſa faciliùs educitur, quàm pituita: propterea duodecim ſcamonij drachmas nunquam excederem: tamen multi pharmacopolæ & Ferrariæ, & alibi, potiſſimũq; in Hetruria, et Gallia XXII. ſcamonij in compoſitione imponũt partes, aliqui XXIIII. maxima uerò Meſues contextuum pars legit, duodecim drachmas: & quia undecim accipiunt partes (ut arbitror) totius compoſitionis, dimidium faciunt: & ex illis ſunt, qui in tota compoſitione XXII. partes recipiunt, at tu mihi dicito: accipis'ne purum in compoſitione ſcamonium? SE. Non quidem purum, ſed diagridium uocatum. i. ſcamonium in cotoneo malo percoctũ. BRAS. Ob quid hoc accipis, cum author ſimpliciter ſcamonium dicat? SE. Ita conſuetum eſt, & uidetur Meſues regula ſemper ſcamonij loco diagridium eſſe accipiendum, quod eſt præparatum ſcamonium. BRAS. In hac compoſitione nulla indiget præparatione, quia & palmulæ ipſæ, & amygdalæ, & aromatici pulueres ſcamonium præparant: iccirco ſcamonium ſimpliciter accipiendum eſt; quia in ipſa compoſitione præparatur: notatoq; quando medicamẽtum educens pituitam compoſitionem aliquam ingreditur, in qua omnia ſuperet cathartica, ſi catharticum bilem educens in minori ſit copia, catharticum educẽs bilem illud adiuuare, quod pituitam educit; reliqua, quæ compoſitionem ingrediuntur, & cathartica non ſunt, ad corrigenda medicamenta, & roborandum uentriculũ

appo=

apponuntur;ut sunt calida semina,& aromata:nam ut Hippoc.ait in secūdo de ratione uictus,in morbis acutis:catharticis sunt miscenda odorata calida,quæ præter id,quod uenenosam uim adimūt,medicamento etiā os uentriculi roborant,nec sinunt, ut à cathartico offendatur. SE. Ambiguitas quædam hîc contingere posset:an palmulæ sint ponderandæ, antequam sint in acetum infusæ;an posteaquam fuerint infusæ, & aceto madefactæ? BRAS. Nos semper intelleximus accipiendas esse palmulas aceto nō madefactas ad partes centū,& postea aceto madescant. SE. Tamen author dicit : Recipe palmularum in aceto infusarum partes centum. BRAS. Etsi author ita dicere uideatur,tamen intelligendus est, accipiendas esse centum palmularum partes , & in acetum infundendas;uel quæ iam sint infusæ , sed prius fuerint libra mensuratæ:nam si simul cum aceto ponderarentur,maior adesset aceti copia,quàm palmularum; præsertim cùm per tres dies , & totidem noctes fuerint infusæ: adde & Serapionem,& Auicennam,postquam palmulas ponderarunt,in infusionē posuisse. SE. In tuam sententiam manibus,pedibusq; procumbo; tamen alias infusas palmulas ad partes centum accipiebam,magno tamen errore: at deinceps non errabo. BRAS. Si ita feceris,non errabis. SE. Quæ nam est huius electarij,uel(ut cōmuni loquar more)electuarij quantitas exhibenda? BRAS. Mesue dicit à tribus auris usq; ad septem:aurus uerò drachmam unam & semis capit : iccirco ipse præbet à quatuor drachmis & semis usq; ad decem drachmas & semis ; tamen ego nunquā excessi quantitatem octo drachmarum,frequentissimè

uerò

uerò exhibui ſex drachmas cum infuſione ſenæ, et mirificè eduxit. SE. *Quibus conuenit affectibus hoc medicamentum?* BRAS. *À Meſue tam dictum eſt, ualere ad febres complexas, & diuturnas, & ad dolorem uentriculi, & coli inteſtini, & ad frigidas harum partium intemperies, & clementer purgare, & tutè humorem crudum, craſſum, & bilem.* SE. *Ergo ubicunq; pituitæ, & bilis purgatione indiguerimus, hoc medicamento uti poterimus?* BRAS. *Non ſolũ pro purganda pituita conuenit, ſed & pro quocunq; purgando pituitæ genere; tamen ad bilem purgandam ſimpliciter non ualet, ſed præcipuè datur ob ſuperabundantem pituitam; cum qua ſi bilis portio adfuerit, & ipſa una expurgatur, tamen ad ſolam purgandam bilem nunquam præberetur, neque etiam præberi conueniret, ſi bilis afflueret, & pituita eſſet in minori copia.* SE. *Ergo tunc ſolum præbendum eſt, cum pituita principaliter purgatione indiget?* BRAS. *Ita eſſe conſtat. ad frigidas præterea confert podagras, & ad frigidos thoracis, ac capitis affectus.* SE. *Hæc de diaphœnicone ſint ſatis: optarẽ ut poſt ipſum diacatholiconem contemplaremur.* BRAS. *Vt lubet.* SE. *Ita etiam in meo indice ſecundum locum occupat.*

DIACATHOLICON.

BRAS. *Cuius authoris eſt eiuſmodi compoſitio?* SE. *Nicolai Præpoſiti, apud ipſum inuenitur, & nõ apud alium quempiam, niſi acceperit à Nicolao.* BRAS. *Modum referto, quo compoſitionem ipſam parare ſoleas.* SE. *Hic eſt, qui ſequitur.*

℞. *Senæ*

℞. *Senæ benè mundatæ,*
Caßiæ fiſtulæ mundæ, } *Singulorum unc.* VIII.
Tamarindorum,
Rhabarbari electi,
Violarum, } *Singulorum unc.* IIII.
Polypodij,
Aniſorum,
Quatuor ſeminum frigidorũ mundatorũ unc. I.

Hæc ſunt, quæ compoſitionem ingrediuntur. Ab authore autẽ ita fieri iubetur. Iterum inquit: Accipe libram unam Polypodij quercini, et modicum tere, et in aqua diutißimè decoque, & ex colatura ſyrupum facito cũ libris octo zuccari, in quadam uero colaturæ parte caßiam, & tamarindos distemperato, & in fine decoctionis ſyrupi imponito; deinde electuarium conficito, cæteros addendo pulueres. BRAS. *Hæc eſt ad uerbum Nicolai deſcriptio, & illa à pharmacopolis conſici debet.* SE. *Adſunt ergo & aliæ deſcriptiones?* BRAS. *Adſunt, & non paucæ, rariq; ſunt pharmacopolæ, qui eandem penitus compoſitionem parẽt.* SE. *Cur hoc nomine inſignita eſt diacatholicon?* BRAS. *Quoniã uniuerſo corpori conuenit, & omnes educit humores: nempè ob ſenam, & polypodium, atra bilis, & ichores educuntur; ob caßiam, & tamarindos bilis flaua; ob reubarbarum bilis craſſa, quæ pituitam miſtam habet. author illam ſimpliciter catholicon nominauit. i. uniuerſale medicamẽtũ.* SE. *Eſt'ne uehemens medicamentum?* BRAS. *Immo lenißimum: ego libenter ipſum meis ægris propino, & inter lenientia connumero, miſceoq; uehementioribus plerunque medicamentis, ut eo magis blandi euadant.*

SE. Quẽ

SE. Quē humorē præcipuè educit? BRAS. Atram bilem primò, secundò bilem flauam, & denique pituitam. huius medicamenti usus tutißimus est; idem de diaphœnicone non dixi. SE. In qua sumitur copia? BRAS. Author dicit à semiuncia præberi usque ad integram unciam; at nos in aliquibus exhibuimus usq; ad duodecim drachmas; estq; benedictum medicamentum, quod tam in febre correptis, quàm à febre liberis, cōuenit. à Nicolao notatur in acutis febribus præberi, & in peracutis; quoniam uentrem mollit, digerit, ac roborat. lienis affectibus, ac iecoris conuenit, ob suā facilitatē; eò libenter utor: idq; de eo dici potest, quod de agarico ab antiquis dictum est: esse medicinam familiæ, quoniam uniuerso conuenit corpori, & omnes educit cum facilitate humores. SE. Quid intelligendum est per Senam probè mundatam? BRAS. Cùm apud authores simpliciter Sena nominatur, folliculi simul, & folia intelligēda sunt, quæ tūc erūt probè mundata, cùm ab eis erunt ablatæ festucæ, & foliorum, ac folliculorum pediculi; solaq; erunt folia, ac folliculi derelicti: & per caßiam fistulā mundatam intelligito quicquid boni cōtinetur in siliqua, præter semina, & parietes intermedios, hoc est illud, quod aliàs flos caßiæ nūcupatur. SE. Sunt'ne alij ex antiquioribus ante Nicolaū, qui hanc compositionem tradiderint? BRAS. Nicolaus alter Alexandrinus, medicus uetustißimus, in suo de compositione medicamētorum, secundum locos, libro, cap. 442. similem ferè compositionem refert. SE. Forte Nicolaus Præpositus ab hoc Alexandrino accepit. BRAS. Proculdubio: quia Nicolai Præpositi tempore huius Alexandrini

drini

drini codex extabat. SE. *Ni tibi graue sit, huius Alexandrini compositionem enarrato.* BRAS. *Graue non est, neq; laborem subterfugio: en compositio:*

℞. *Senæ mundatæ,*
Caßiæ,
Tamarindorum, } *Singulorum unc.* III.
Rhabarbari,
Polypodij,
Anisorum,
Glycirrhizæ,
Seminum communiū, } *Singulorum unc.* I.
Candi,
Penidij,
Syrei, quod sufficit; in quos ponantur:
Polypodij, *unc.* VIII.
Fœniculi, *unc.* III.

In libris tribus aquæ, et syrupizentur cum scrupulis duobus sacchari. SE. *Quid facient scrupuli duo sacchari in hac compositione?* BRAS. *Arbitror mendosum esse codicem, nec esse legendum scrupulos: immo neq; uncias, ut nonnulli emendarunt, sed potius libras, ut duæ sint zuccari libræ, quæ si accipiantur, magis conueniūt, quàm accipere octo libras zuccari, ut facit* Nicolaus Præpositus *: quoniã nimiū uidetur. at hūc* Nicolaū Præpositū *ab* Alexãdrino *accepisse, huius capitis initiū planè ostēdit: nã* Præpositus *suã compositionem inscribit* Catholicon, *sicuti &* Alexandrinus *inscripsit* Catholicon; & *sicuti* Præpositus *dicit: Valet hepaticis, spleneticis, datur in acutis, et peracutis, quia mollificat, digerit, & confortat. si modò referamus, quæ dicit* Alexandrinus, *statim deprehendere*

dere licebit, Præpositum ab Alexādrino accepisse: ita uerò dicit, opitulatur hepaticis, & spleneticis, datur in acutis, & peracutis, quia mollificat, digerit, confortat. SE. Profectò hæc uerba eadem sunt, cum illa Præpositi, nec dubito ab Alexandrino accepisse: sed miror cur in medicamentorum quantitate differant: nam cassiæ, & senæ rhabarbarum æquat. BRAS. Ne admiratione afficiaris: quoniam multa alia sunt in quibus differunt, sed ignoratur in quibus codicibus adsit error. propterea cùm ego millies Præpositi compositionem expertus sim, quam tu superius adduxisti, semper illam sequar: tamen & hac Alexandrini compositione nonnunquam utar, & experiar, an ita mitis sit, ut illa Præpositi, & humores illos tam facilè educat: adest in Alexādrini compositione syreum, quod in illa Præpositi abest: dic uerò quid intelligis per id, quod dixisti, penidiorum candi? SE. Penidia intelligo ex zuccaro cando confecta. BRAS. At nos duo intelligimus, & penidia per se, et zuccarum candum per se, sicuti in Alexandrini compositione constat: accipiēdum uero zuccarum candum rosatum, uel quodcunque habeatur. SE. Miror, cur hîc penidia ponantur, cū nullum adsit in hac cōpositione catharticum, quod remoratione indigeat. BRAS. Ponūtur etiam, ut dulcoretur compositio, & thoraci conueniat. SE. Cùm de pulueribus, quæ compositiones ingrediuntur disputatio sit, an crasso modo conteri debeant, an in tenuissimum puluerem leuigari; quid hac in re sentis tu? BRAS. Id sentio, quod omnes fatentur: catharticorum pulueres non esse tenuißimè leuigandos: tamen ut diu in uentriculo commorentur, tum ne eorum uis

facilè

facilè euanescat, tum ne intrinsecis membris inhæreãt, & illis obsint: tamen etsi diligentissimè leuigarentur, cum tot in rebus misceantur, necessarium non esset, ut breui à uentriculo descenderent, neque intrinsecis membris inhærerent, & eorum uis seruabitur: immo solùm adest in hac compositione rhabarbarum, quod in puluerem reduci debet: rhabarbarũ uerò est tenuissimè pulverizandum: rerum uerò non catharticarum pulueres subtilissimè teri debent, & leuigari. SE. Intelligisne per quatuor semina frigida, illa, quæ passim ita uocãtur? BRAS. Illa inquam intelligo, sed in hac cõpositione sunt accipienda maiora, quæ sunt cucumeris semina, cucurbitæ, peponis, & citruli. SE. Cur minora accipienda non sunt, quæ sunt endiuiæ semina, lactucæ, portulacæ, & scariolæ? BRAS. Quia ab authore dicitur, semina frigida mundata: at minora semina non mundantur, sed in puluerem rediguntur: maiora uerò mundantur. tu autem dicito, quo ordine compositionẽ hanc in electuarij formam ducis? SE. Rebus præparatis, quæ compositionem ingrediuntur accipio, iterum polypodij lib. I. & crassiusculè tero, & in aqua diutissimè coquo. BRAS. Quantum temporis in hac diutissima coctione consumis? & quantam aquæ quantitatem pro polypodio ebulliendo accipis? SE. Rẽ sine põdere, ut mihi uidetur ago: nam polypodium in ollam pono, deinde tantum aquæ superingero, quantum superet polypodium, & ad dimidium ebullire facio, non autẽ ad tertias, hoc quàm est diutissimè coquere. BRAS. Pharmacopolæ omnes in huius aquæ quantitate sunt tam diuersi, ut nullus sit modus: iccirco sex aquæ libras accipito, in quibus polypodium

dium craßiuſculè contritum, & compreſſum, ad dimidias ebulliat, poſtea percolato, & ſex huius decoctionis uncias ſeruato, in decoctionis reliquo octo zuccari libras (ut authorem ſequamur) diſſoluito, poſtea ebullire facito, quouſque ad ſyrupi conſiſtentiam peruentum ſit: interim caßiam, & tamarindos in ſex reſeruatis decoctionis uncijs, uel pluribus diſſoluito, & cum zuccaro ad ſyrupi formam iam redacto commiſceto: in fine autem decoctionis zuccari, quando ad ſyrupi formam peruenire debebat, pulueres commiſcendi erant: itaq; omnibus ſimul miſtis, electuarium effectum eſt, quo ad uſus uti poterimus. SE. Deinceps ita faciam, & ut arbitror, non errabo. BRAS. De hoc iam ſatis medicamento: alia referas, quæ Ferrariæ in uſu ſunt cathartica. SE. Id ſtatim efficiam. ſi quid de Nicolai Alexandrini compoſitione ſentias, prius enarrabis. BRAS. Illam probo. SE. At quomodo confici poteſt, & debet, cum ait ſyrei, quod ſufficit, in quo ponantur unciæ octo polypodij, fœniculi unciæ tres in libris tribus aquæ, & ſyrupizentur cum ſcrupulis duobus ſacchari: polypodium, & fœniculos in ſyreum ponit, quod ſufficit; poſtea inquit, hæc eſſe ponenda in tribus aquæ libris, neq; exprimit, an ebullire debeāt, an minimè. BRAS. Res ſano modo intelligēda eſt: octo illæ polypodij unciæ, et tres fœniculi ſunt in ſyreo, id eſt ſapa infundēdæ, quantū ſatis eſt pro infuſione, et ſapa ſupernatet; poſtea addendæ ſunt tres aquæ libræ, & ad dimidias ebulliendum, poſtea percolandum, & huic liquori duæ zuccari libræ miſceantur, et ebulliant ad ſyrupi conſiſtentiā: nam error eſt dicere, cum duabus drachmis zuccari. Alexandrini.

codicem

codicem emendato, & drachmarum loco, libras legito: & prædictæ decoctionis portionẽ reseruato, pro cassia dissoluẽda, & tamarindis; quæ dissoluta, syrupo addantur: cui in decoctionis fine sint additi pulueres: & ita confectum erit medicamentum. SE. Iam meus quieuit animus, nunc resero schedam, ut quid sequatur referre poßim. Sequitur Elescoph.

ELESCOPH.

BRAS. Author is, qui Auicẽnam interpretatus est, ubi adest Elescoph, uertit Episcopi: nescimus an in idiomate Arabico Elescoph, episcopũ significet: tamẽ aliæ sunt etiam cõpositiones, quæ sub Episcopi nomine circunferũtur: nos uerò de hac sola loquamur, quæ in usu est, & potißimum in rotulis conformata: nam rarus est in electuarij forma eius usus. SE. Tamen ego illum in electuarij forma confeci semper, & seruaui. at quis est huius compositionis author? BRAS. Apud Mesuẽ reperitur, qui illam ita refert, ac si sub illo nomine sit nota compositio: at tu compositionem illam afferto, quam in pharmacopolijs paratam seruas. SE. Hæc est quæ sequitur.

℞. Scammonij, Turbith,	Singulorum drach. VI.
Garyophyllorum, Cinnamomi, Gingiberis, Emblicorum, Nucis muscatæ, Polypodij,	Singulorum drach. II.ſ.
Zuccari albi,	unc. VI.

Confice cum melle despumato.

BRAS. Hoc est Elescoph, quod per totam paratur Italiam; quod nonnulli ausi sunt absq; melle parare, cum sex illis zuccari uncijs: at non probè successit: nam fuisset opus, si ex zuccaro solo absq; melle confici debuisset, zuccarum ad minus esse libram unam, & unciæ nouem; sed cum despumato melle tres mellis uncias pro singula puluerizatarum rerum uncia ponendo satis erit, fitq; proba electuarij forma. SE. Ergo uigintiocto mellis unciæ accipi debebunt? BRAS. Tot unciæ accipi non debent, quia zuccari pōdus mel augere non est opus; sed dempto zuccaro, quot erunt puluerum unciæ, tot tres unciæ mellis accipiēdæ erūt, ut probè electuarium conficiatur. SE. Quando in rotulas illud paro (ut frequentiùs fit) pro singula puluerum drachma unciam probi zuccari addo, & in rotulas redigo, sed quantā tu ex rotulis copiam præbes? BRAS. Mesue ab aureis duobus ad tres, id est à tribus drachmis ad quatuor usque & semis exhibet: at hæc est quantitas, quam ego præbeo puellulis, neq; unquam illis præbeo minorem quantitatē drachmis quatuor: nos uerò communiter præbemus sex drachmas, in strictiorem aluum habentibus octo, in rusticis, Hebræis, & religiosis decē, nā à medico nihil* effectuare est, nisi Hebræi, rustici, & religiosi optimè excreuerint: nunquam uerò hanc quantitatem excessimus, neq; ut excederetur suaderemus. SE. Nonnulli has rotulas, uel placentas reprobant; quoniam aliquando nihil, aliquando nimis purgant, quia scilicet aliquando uruntur, uel species non probè inuicē miscentur. BRAS. Hoc absurdum est, quia puluerес uri non possunt: nam

zuccarum

quāta ee debeat q̄titas zucari

quot onc̄e mellis adhibēde p qualibet onc̄ia puluerū

cū parat. in rotulis pro singu drag. ©: una zucari q̄titas exhibenda

zuccarum ferè frigidum est, cùm species illi miscentur; & si species probè mistæ non sint, hic est pharmacopolarum error; qui si haud errabunt, semper eodem modo educet, modo simplicia, quæ compositionem ingrediuntur, bona sint: immo hoc idem de puluerũ mistura in omni alio potest contingere medicamento, nisi pharmacopola diligenter miscuerit sed quam mellis quantitatem recipit tuũ Elescoph? SE. Vncias sex. BRAS. Secundum canones septem esse debent. SE. Posthac septem accipiam. at quomodo hoc Episcopi electuarium ab illo Auicennæ differt? BRAS. Quia Auicenna præter superius enarrata, cardamomum addit. SE. Quibus confert affectibus hæc compositio. BRAS. Mesue ait, excrementa, & flatus à toto corpore educere: propterea dolorem colicum, & hypochondriorum, & iuncturarum leuare, renes, uesicãq; expurgare, & uenerem excitare: adde tu humores omnes educere, & absq; dolore: nempè turbith ratione pituitam educit: & ratione scãmonij bilem, & ratione polypodij, atram bilem: tamen nos compositioni nuper addidimus lapidis lazuli præparati, drach. II. cinnamomumq; multiplicauimus, & alia aromata, medicamentumq; tale reddidimus, ut humores omnes à remotis etiam corporis partibus egregiè educat. bis in anno hoc medicamento Illustrißimum Herculem huius nominis secundum, et Ducem Feraria quartum, expurgamus: itaque incolumẽ seruamus, quem DEVS optimus ad Nestoreos annos feliciter, summaq; cum tranquillitate perducat. Hoc etiam rotularum genere, lapidem lazuli recipiente, in his utimur, qui Gallico morbo affecti sunt, & humores à iuncturis uehemẽter edu

cit;podagricis confert,ac chiragricis;quanquã nos peculiares rotulas habeamus,placentulas'ue,quibus in podagris,& arthrite utimur,et mirificè conferunt. SE. Sunt'ne illæ,quas Braſſaulicas à tuo cognomine nuncupaſti? BRAS. Illæ inquam. SE. Erit mihi pergratum compoſitionem audire. BRAS. Vt tibi rẽ gratam faciam.hæc eſt,quæ ſequitur:

CONFECTIO BRASSAVLICA.

℞.	Turbith,	drach. II.
	Gummi Arabici, } Picis hiſpanæ,	Singulorum gra. XI.
	Diagridij,	drach. V. gra. XV.
	Diatragacanthi,	drach. IIII.
	Mannæ.s.thuris,	gra. XV.
	Hermodactylorum,	drach. I.
	Succi cotoneorum,	drach. IIII.
	Gingiberis,	drach. I.
	Succi roſarum,	gra. XVI.
	Mucillaginis carthami,	drach. I.
	Scordei,	gra. X.
	Zuccari,	unc. IIII.
	Miſce,& fiat confectio.	

SE. Videtur eſſe mira compoſitio. BRAS. Immo mirifica: nam abſq; ulla nauſea, abſq; ulla moleſtia, abſq; ullo dolore unumquodq; humoris genus à penitioribus noſtri corporis partibus educit:ſi recenter ſit facta, ſemiuncia ſatis eſt ad euacuationem perficiendam ; ſi requieta ſit , ſex drachmæ præberi debent: his,qui aluum ualde adſtrictam habent, uncia non excedatur.experiaris parumper,nunquam ſumpſiſti ſuauius,

uius, clementius'ue medicamentũ, quãuis cathartica ue hemẽtiora recipiat. S E. Experiar, & lubenti animo. at ad Elescoph cõpositionẽ redeũtes; Debeo'ne turbith & scãmoniũ præparata, an præparanda recipere? B R A S. Cùm aromata, & non pauca huic compositioni misceantur (dicãt alij, quod lubet) hæc absq; præparatione accipienda esse censemus: tamen etsi quispiam his præparatis utatur, ne digladieris: tunc uerò nõ tam probè educit. hæc nostra sit de hac re sentẽtia, cùm hæc uehementiora cathartica rebus alijs miscentur, & ab authoribus non dicitur, quòd sint accipiẽda præparata; præparanda minimè esse: at si seorsum acciperentur, & non mista alijs, tunc corrigenda esse monemus. S E. Hæc de Elescoph satis uidentur. B R A S. Præsertim si illud addideris, zuccarum non esse pulverizandum, ne maiorem mellis copiam accipere cogeremur, quàm sint unciæ septem: nunc modò compositiones, quæ sequuntur prosequaris. S E. Confectio Hamech sequitur.

CONFECTIO HAMECH.

B R A S. Electuarium hoc à Mesue descriptum reperitur: et duæ sunt sub hoc nomine compositiones, quarum una in usu est, alia minimè. S E. Ego primùm electuarium conficio. B R A S. Compositionem referto. S E. En:

℞. Myrobolanorũ citrinorũ, drach. IIII.

Chebulorum,
Nigrorum,
Rhabarbari electi, } Singulorum unc. II.

 Agarici,

Agarici,	
Colocynthidis,	*Singulorum drach.* XVIII.
Polypodij,	
Absinthij	
Hascæ,	*Singulorum unc.* I. *in alio drach.* VI.
Senæ,	
Violarum,	*drach.* XV.
Epithimi,	*unc.* II.
Anisorum,	
Rosﾠ.rub.	*Singulorũ drach.* VI.
Fœniculorum,	
Succi fumiterræ,	*lib.* I.
Prunorum,	*nu.* LX.
Passularum mũdatarũ,	*unc.* VI.

Misce, & omnia infundantur in aquam casei, & ponantur in uas uitreatum stricti orificij, & eius os obturetur, & dimittatur per dies quinque: demum bulliant ebullitione una, postmodum colẽtur, & in hac colatura dissoluantur:

Caßiæ fistulæ mundæ,	*unc.* IIII.
Tamarindorum,	*unc.* V.
Tereniabin,	*unc.* II.

Fricentur manibus, & colentur, & proijciatur super illud:

Zuccari boni albi,	*lib.* I. *ſ.*
Scammonij,	*unc.* I. *ſ.*

Et coquantur usq; dum habeant spißitudinem mellis: deinde puluerizentur supra illud.

Myrobalanorũ citrinorũ,	
Chebulorum,	*Singulorũ unc.* I.
Indorum,	

Belliricorum, Emblicorum, Rhubarbari electi, Seminis fumiterræ,	}	Singulorum drach. III.
Anisorum, Spicæ,	}	Singulorum drach. II.

Dosis eius est, drach. II. usq; ad aur. II. hæc Mesue.

BRAS. Multa sunt in hac compositione consideranda, ambigenda, & enucleanda SE. Et quæ nã hæc? BRAS. En in citata descriptione adest absinthij, bascæ .i. thymi, senæ, singulorum unc. I. & in alio, drach. VI. quam lectionem sequaris? SE. Harum herbarum unciam semper accepi. BRAS. Tamẽ antiqui ferè omnes Mesues codices legunt, drach. VI. Recenter uerò impreßi codices legunt, unc. I. SE. Quos ergo sequi oportet? BRAS. Non magni momenti res est, uel uncia accipiatur, uel sex drachmæ: tamen cùm & antiquos codices legerimus in quibus scriptum est uncia una, probarem unam unciam in cõpositione accipere, cùm tamen neq; illos despexerim, qui drach. VI. acceperint. SE. in Mesuæ libro, quẽ habeo, qui inter antiquos numerari potest, in hac compositione absunt hæc, quæ sequũtur: Violarum, drach. XV. Epithimi, unc. II. Anisor. rof. Fœniculi, singulorũ drach. VI. BRAS. Legimus & nos antiquos codices, in quibus aberant: tamen nos probamus, ut recipienda sint: quoniam ad totam compositionem partim corrigendo, partim adiuuando ad adustos humores educendos, proficua sunt. SE. Ego nũquam hæc in ipsa compositione prætermisi. BRAS. Neq; præter rationem fecisti. sed dic quantam seri quantitatem ac-

cipis, ut hæc commodè infundantur? & cuius animalis serum accipis? SE. Bubulum semper accepi. BRAS. Caprinum potius accipiendū est; uel asininū; quæ si haberi non poterunt, tunc bubulum accipere opus erit: scitoq́; non esse expectandum, ut acredinem acquirat, uel ab eo est auferenda in sereno. SE. De seri autem imponendi quantitate regulam profectò non habeo, sed tantum seri accipio, quantùm satis uidetur, ut omnia probè imbibantur; postea tantam superaddo quantitatem, quanta modicùm ebullire possit, cassiaq́; dissoluere, & tamarindos, & alia omnia recipere, quæ integram compositionem ingrediūtur, hāc q́; seri quantitatem ad oculum accipio. BRAS. Mihi uerò placeret, ut fixam, statutamq́; quantitatem haberes: id autem facilè fiet, si illa, quæ infundi debent, considerentur, & in unum omnium pondus colligatur. quod est lib. II. unc. VIII. & drachma una. Adestq́; una succi fumiterræ libra; iccirco serum quinque libras æquet, ut omnia probè infundātur, ut postea ebullitione una, id est modicè ebullire possit, & aliqua portio pro dissoluēda cassia, tamarindis, & manna supersit. SE. Ergo per quinq; dies hæc infusa in seri lactis caprini lib. V. dimittam. BRAS. Et sexto die iubeto, ut modicè ebulliant, postea quæ in infusione sunt, manibus perfricentur, & exprimantur, ac colentur. SE. Possent'ne per fixum qualum percolari? BRAS. Minimè, immo sit rarissimum linteum: postquam percolatum est, cassiam accipito, illamq́; cum tanta seri percolati portione dissoluito, quanta ad illam dissoluendam sit satis. SE. Ad dissoluendam cassiam quanta seri copia indigebimus? BRAS. Non est

opus

opus in præsentiarum seri quantitatem nouisse, quia caßia paulatim dissoluitur, semper aliquid seri instillando quoad uideatur dissoluta: tamen ne tibi uidear quantitatem, quæ adhiberi poßit, ignorare, duodecim seri unciæ plus minus ad caßiam dissoluendam, quæ hanc compositionem ingreditur, erunt satis: itidem & tamarindi, & manna tanta eiusdem seri copia dissoluentur, quanta satis erit: deinceps hæc simul mista, manibus probè fricentur, & cum tota infusione misceantur, & libra una & semis zuccari, & scāmonij uncia una & semis addantur: mox ad mellis craßitudinem percoquantur. SE. *Scāmonium percoqui quidem debet, ut corrigatur, sed ob quam causam caßia, tamarindi, & manna percoqui debent, cùm ex ebullitione uires amittant?* BRAS. *Reperiuntur & pharmacopolæ, qui in fine cum myrobalanis scāmonium imponunt, & ebullire non sinunt: at mihi semper placuit, ut ebullirent: iubeoq; ut crasso modo cōtundantur, quo ampliorem decoctionem facere poßint: tamen caßiam, tamarindos, & mannam ebullire non sinerem; idcirco caßiam in decem, uel duodecim seri percolati uncias dissoluatur, & tamarindi in tribus, mānaq; in duabus; postea decoctione ex reliquo sero, & scāmoneo ad mellis spißitudinem facta, tria illa dissoluta, & per rarum linteum excolata, compositioni misceantur, & denique myrobalani addantur: tamen experientia uidimus, si hæc omnia ad mellis spißitudinē unà ebullierint, diutiùs seruari medicamentum: denique cùm coctio perfecta est, pulueres addantur.* SE. *Nō magnifacis ergo, an hæc simul coquantur, an minimè; modò simul misceantur?* BRAS. *Equidem non magnifacio: tamen*

probo

cr scamoneū cōquat?

probo potiùs, ut unà ebulliant, quo diutiùs compositio seruari possit: scitoq; ex ebullitione non admodum remitti cassiæ uires, tamarindorum & mannæ: quoniam ex ipsis dissoluitur illud, quod habent mistum seri, & non ipsorum uires. SE. Ad quam summam præbetur hoc medicamentum? BRAS. Mesue præbet à duabus drachmis usq; ad tres: at nos nonnunquam sex drachmas præbuimus, & leuiter eduxit; præbuimus & octo, & mediocriter eduxit; præbuimus & decem, & egregiè eduxit. Est in hac compositione ualde parcus Mesue; nam duæ, uel tres drachmæ, aut nihil, aut modicè educent. SE. Quibus confert affectibus hæc Hamech uocata confectio, licet electuarium sit? BRAS. Conuenire omni passioni, quæ fit ex bile, & pituita salsa, ait author, & propriè quæ est sicuti impetigo, & scabies, & lepra, & cancer corrodens, & similia; & adit, esse medicinam sublimis iuuamenti. Nos uerò fatemur moderatè, & absq; ullo dolore omnes educere humores tam biliosos, & atrabilares, quàm pituitosos: ubi omnes euacuandi sunt, conuenire fatemur: conuenit, & in cachexia, & in confusis febribus, ac complicatis, & in longis omnibus morbis, & quanto magis sunt commisti morbi, & diuersarum naturarum, tanto magis conuenit: immo in simplici ex uno humore affectu, ubi alij non peccant, præbendum non est. SE. Posset nūcupari catholicum medicamentū. BRAS. Neq; immeritò, & potius quàm diacatholicum; quanquam, & hoc sit leuissimum medicamētum, quo ægros meos frequenter euacuo. at tempus uidetur, alia contemplari medicamenta. SE. Electuarium de Psyllio post Hamech sedem habet.

ELECTVA-

ELECTVARIVM DE PSYLLIO.

BRAS. Et à Mesue refertur hoc medicamentum, cuius authorem nonnulli Hamech fuisse censuerunt, quoniam in compositionis calce à Mesue scriptum est, Hamech uocasse hanc compositionem electuarium trochiscorum: ueruntamen uel referatur in Hamech authorem, uel in alium quemlibet, ad rem ipsam nihil facit, quia compositionem contemplari proposuimus; & ne diutius intentum nostrum differatur, illam adducito. SE. Hæc est, quam paro:

℞. Succi buglossæ domesticæ,
Syluestris,
Endiuiæ,
Apij, } Coctorũ & despumatorum singulorum lib.ij.

Et proijce super ipsos cuscutæ,
Anisorum,
Folliculorum senæ, } Singulorũ unc.s.

Capil.uen. M.I.
Succi fumiterræ, unc.III.
Assari, drach.IIII.
Spicæ, drach.II.

Misce, & dimitte per diem, ac noctẽ, & bulliant ebullitione una, & proijciantur super ea,

Violarũ uiridium, uel siccarum, drach.III.
Epithimi, unc.II.

Misce, & bulliant adhuc alia ebullitione parua, deinde coletur, & exprimatur, & in colatura ponantur, Psyllij, unc.III. & dimittantur per diem, ac noctem, omni hora: tamen agitando spatula, deinde exprimatur uiscositas eius tota, postea accipiantur huius uiscositatis,

ſitatis lib. IIII. & proijciantur ſuper eam zuccari albi, lib. II. & ſemis, & coquatur cum facilitate; poſtquam coctũ fuerit, proijciatur ſuper ipſum pulueris trochiſcorum, diarhodon, & de ſpodio, & raued ſceni, ſingulorum, unc. I. trochiſcorum de berberis, unc. s. Sunt aliqui, qui addunt aceti lib. I. s. aliqui addunt ſucci uiolarum, lib. I. & eſt medicamen nobile. hæc Meſue. BRAS. Sylueſtris bugloßi loco quid accipis? SE. Pro domeſtico bugloſſo, borraginem uulgò dictum accipio, & pro ſylueſtri, herbam illam, quæ uulgò Bugloſſa uocatur, quam aliàs apud Dioſcoridẽ Cirſion eſſe docuiſti. BRAS. Neque ab re fortè facis: tamen adeſt & ſylueſtris borrago, quæ in campis ſponte naſcitur, & borraginis folia habet, hirſutiora tamẽ, hanc arbitror eſſe ſylueſtrem bugloßam, quam curare debes, ut habeas: at neq; tuum reprehendo inſtitutum, quando ſylueſtris hæc non habetur. SE. Debent'ne ſucci ſimul coqui, et expumari, an ſeorſum? BRAS. Quid hactenus feciſti? SE. Succos omnes ſimul miſcebam, poſtea coquebam & expumabam. BRAS. Hoc quidem fieri poteſt, ſed tutius eſt, atque exquiſitius unumquemq; ſuccum ebullire: & expumare; poſtea ſimul miſcere. SE. Quomodo miſcenda ſunt cuſcuta, aniſa, folliculi ſenæ, & reliqua his ſuccis? an cùm ſunt frigidi? BRAS. Minimè: ſed poſtquam ebullierint, & miſti fuerint, uel cùm ſunt ſimul miſti, & exprimuntur, hæc ſunt ſtatim ſuccis addenda. Verùm quia hæc ſuccorum caliditatem remittunt: iccirco ſunt igni applicandi ſucci cum his rebus miſtis, & ſinendi ſunt quoad ebullire inceperint: tuncq; ab igne ſtatim remoueri debent, & uas egregiè obturandum, ne expi-

ne expirare possit. Itaque per uigntiquatuor horas macerentur; post hoc temporis spatium bulliant (ut inquit Mesue) ebullitione una, hoc est modicè bulliant; quia illa decoctionem longam non patiuntur: nam si ebullitio perseueraret, eorum uires exinanirentur; uel fortè hæc parua ebullitio, & quæ semel fiat, fieri dicit, cùm succis imponuntur; postea per diem & noctem dimittenda, neq; amplius hæc sola ebullienda. SE. Arbitror ita intelligendum esse authorē, ne tot ebullitiones multiplicētur. BRAS. Postea addentur uiolæ, & epithimum, & iterum modicè bulliant, quia uiolæ, & epithimum modicißimam, ferunt ebullitionem: nam ex ebullitione earum uires expirant. SE. Cur dicit uiolas recentes, uel siccas? BRAS. Quia illi uisum est uiolas omnino esse in hac compositione necessarias: at cum hyeme absint uirides uiolæ, tūc siccæ sumi debent. SE. Cur tantam accipit assari copiam? BRAS. Quantam'ne? SE. Vncias quatuor. BRAS. Mendosus est codex, & legi debet drachmas quatuor; etsi in multis codicibus falsò legatur uncias quatuor; at si neceßitatem ingrediendi assarum hanc compositionem consideremus, uidebimus tam magnam copiam non esse necessariam: quoniam magnam succorum copiam exhauriret: iccirco codicem tuum emendato, ut in assaro drachmas, & non uncias legat. SE. Fumiterræ succus debet'ne simpliciter accipi, an iubere, ut prius ebulliat? BRAS. Et ipse ebulliri debet, & expumari, antequam alijs commisceatur. SE. Cur statim cum alijs succis illum non enumerauit? BRAS. Forte quia in minori copia. SE. Cùm fuerint probè percolati succi post simplicium impositionem,

tionem, & paruas illas ebullitiones, est'ne integrum Psylliũ imponendum, an contusum? BRAS. Psyllium semper mucillaginem facit, uel integrum sit, uel contusum: tamen si contundatur, grana frangi non debent, sed tantum contundi: nam hoc modo faciliùs habetur mucillago. SE. Tamen Mesue ipse dicit, nunquam Psyllium contritum esse ægris propinandum. BRAS. Id uerum est, quando solum præbetur, & incorrectum est, sed cùm alijs mistum est rebus, tritum propinandum præberi potest: scitoq; non esse Psyllium in hac compositione assandum, quod aliàs assandum admonuit Mesue. Psyllium igitur per uigintiquatuor horarum spatium in expressos ponatur succos, & singula hora rudicula agitetur, ut exeat mucillago: ita uerò in succos recipitur mucillago, ut succi omnes uideantur effecti mucillago; postea uiscositas recepta, in succo tota exprimatur, & ex hac uiscosiori parte (nã nihil aliud est eius uiscositatem accipere, quàm succos accipere, in quibus adest uiscositas à Psyllio toties agitando educta) & zuccaro albo, ac reliquis, ut ab authore dicitur, electuarium conficito. Notaq; in hoc loco à Mesue dici, scammoneæ coctæ in pomo, & non dici simpliciter scãmoneæ, quia uolebat hic uocatum diagridium accipiendum esse, ebullireq; facit, ut adhuc citiùs euadat scãmonium: cùm ergo in compositionibus simpliciter scriptum inuenies scãmonium, semper non præparatum accipito: cùm uerò scriptum inueneris scãmonium præparatum, uel in pomo coctum: tunc præparato utitor. SE. Quid est coqui cum facilitate? BRAS. Est igne lento coqui, ne uehementer efferuescat, & exundet. SE. Quando coctum esse cogno=

cognoscemus? BRAS. Cognoscemus, non quidem quando ad mellis consistentiam deuenit, quia ob glutinositatem cito huc peruenit, sed ad talem consistentiam deuenire opus est, ut superet quidem mellis consistentiam: tamẽ pulueres recipere poßit. SE. Aliqui codices legũt, pulueris diarhodon: est ne puluis hic accipiendus? BRAS. Trochiscos potius legito, quia ab Hamech uocatur electuarium trochiscorum: iccirco opus est, multa trochiscorum genera recipiat. SE. Non'ne trochiscos diarhodon Mesues recipere debeo? BRAS. Illos inquam: sed compositionem referto, ut an illi, sint percipiam. SE. En hæc est:

que ingrediat trociscos diarod.

℞.	Foliorũ rosarũ rubrarũ,	aur. VI.
	Glycyrrhizæ,	aur. III.
	Spicæ aromaticæ,	aur. II.
	Ligni Aloës,	aur. II.
	Spodij,	aur. I.
	Croci,	aur. s.
	Mastiches,	drach. II.

Confice cum uino albo, & fiant trochisci, qui drachmã pondere æquent. BRAS. Hi sunt trochisci diarhodon, quibus uti debemus non solùm in hoc electuario de Psyllio, sed et in alijs Mesues compositionibus, quas ingrediuntur trochisci diarhodon. secus est in Nicolai compositionibus, quia ipse habet aliam horum trochiscorum compositionem, quæ suas ingreditur compositiones, habeturq; alia apud Auicennam compositio de his trochiscis, quam refert quinto canone. at trochiscos de spodio referto, qui & ipsi compositionem hanc ingrediuntur. SE. Hi sunt:

℞. Rosa=

Trocisci de spodio,

℞.	Rosarum rubrarum,	drach. XII.
	Spodij,	drach. X.
	Se. acetosæ,	drach. VI.
	Se. Portulacæ, Coriādrorū infusorū in aceto, et torrefactorū Pulpæ sumach.	Singulorum drach. II. s.
	Amili, Assæ, Balaustiarum, Berberorum,	Singulorū drach. II.
	Gummi Arabici assi,	drach. I. s.
	Confice cum succo Agrestæ.	

alia descriptio,

BRAS. Sunt alij pharmacopolæ, qui alia utuntur trochiscorum de spodio compositione, quæ & ipsa à Mesue refertur. SE. Quam? BRAS. Hanc:

℞.	Spodij,	drach. IIII.
	Ros. rub.	drach. VII.
	Se. Portulacæ, Succi Glycyrrhizæ,	Singulorum drach. II.

Confice cum mucillagine Psyllij, & fac trochiscos. SE. Quam compositionem ex his probas, nēpè illa deinceps utar in electuario de Psyllio? BRAS. Illam probo, quam tu adduxisti; & illa est, quæ electuarium de Psyllio ingredi debet, quam in secūdo loco describit Mesue. posset & illa accipi, quam primo descripsit loco; tamen potius probamus secundam; licet rari sint, qui illam parent; tu solus, ut arbitror, Ferrariam illam seruas; reliqui primam seruant. at quid accipis pro raued sceni? SE. Ego trochiscos de rhabarbaro semper accipio. BRAS. Et quos de rhabarbaro

qd accipiendū pro rauedseni

barbaro

barbaro accipis? SE. *Illos Mesues, quorum hæc est descriptio:*

℞. *Raued boni,* *drach. x.*
Rosarum, *drach. III.*
Spicæ,
Anisorum,
Rubræ tinctorum,
Se. Apij,
Absinthij,
Assari, } *Singulorum drach. I.*
Amygdalarum amararum, *drach. IIII.*
Misce, & fiant trochisci, aur. unius.

BRAS. *Author non dicit accipiendos esse trochiscos de raued seni, sed ait, & raued seni; at si intelligere uoluisset accipiendos esse trochiscos, sicuti copulando dixit, & de spodio, ita dixisset, & de raued seni, & non simpliciter, & raued seni: addeq; Mesuem distinguere compositiones de rhabarbaro ab illis de raued seni: nam facit pilulas de rhabarbaro distinctas à pilulis de raued seni: non facit autem trochiscos de raued seni, sed facit trochiscos de rhabarbaro: tamen nõ magnifacio, ut accipias trochiscos de rhabarbaro, an ipsum rhabarbarum optimũ: nempè raued seni est optimum, & electum rhabarbarum. at quam compositionem accipis trochiscorum de oxyacantha, uel ut Mesue dicit, de berberis?* SE. *Illam accipio, quæ à Mesue refertur, cuius descriptio hæc est:*

℞. *Berberorũ. i. succi eorũ,*
Spodij,
Succi Glycyrrhizæ,
Seminis Portulacæ, } *Singulorum drach. III.*

de eodem zuccaro, & succo rosarum; detur cum aqua calida in mane ad modum castaneæ. BRAS. Hoc est electuarium de succo rosarum Nicolai. SE. Illud est, quod in maximo est usu, arbitrorq; nullũ esse pharmacopolam, qui aliud paret, quàm hoc. BRAS. Et si quis aliud pararet, non conueniret. ex ipso rosarum succo nomen habet, qui in magna copia compositionem ingreditur, & qui etiam uentrem soluit. SE. Quod nam spodium accipiendum est in hac compositione? an illud, quod ex cannis fit, ut omnes accipiunt pharmacopolæ? BRAS. Ex cannis confectum spodium, uerum spodium non est, sed antispodium: cùm uerò in aliquibus authoribus spodium simpliciter reperitur, semper uerum spodiũ intelligere oportet, nisi addiderint, Cannæ spodium, uel dixerint, Antispodiũ. SE. Quomodo tu electuarium hoc confici iuberes? BRAS. Tu illud millies & composuisti, et componi iußisti, & à me componendi modum queris? SE. Id facio, ut forte aliquid noui addiscam. BRAS. En, rosas accipi iuberem recentes, & maturas. SE. Quæ nam sunt maturæ rosæ. BRAS. Illæ, quarum folia calicem perfectè exiere, & in circum expansæ sunt. SE. Nonnulli sunt qui ruberrimas accipiunt rosas: aberrant'ne? BRAS. Maximè, nam accipiendæ sunt communes rosæ odoratæ, & earum folia in mortariũ ponenda, ligneoq; pistillo contundenda, deinde in sacculum ita contusa imponenda, & torculari exprimenda, postea ex depuratiori huius succi parte accipiantur, lib. I. & unc. IIII. & totidem zuccari, simulq; ad syrupi formam decoquantur, & hoc est, quòd author dicebat temperandum cum syrupo facto de eodem

dem zuccaro, & succo rosarum: postea in hunc syrupum calidum pulueres imponantur, & si nimis molle sit, ad electuarij formam decoquatur: sin minus, ut est, dimittatur; sed pulueres egregiè cum syrupo misceto, ut ad minima simul iungantur. At si tibi deficeret hoc electuarium, quomodo illud conficeres tempore hyemis? S E. Rosarum succum per totum annum seruo ad hos usus, nempè expresso, & educto è rosis succo; illum in uas arcti orificij imponi facio, quod uel uitreũ sit, uel uitreatum, uel stanneum, & oleum oliuarum, uel rosaceum suprapono. B R A S. Probè facis, scito autem singulis ferè mensibus uas mutari debere: quoniam fecula quædam in fundo colligitur: quam si non abieceris, neq; uas etiã moueto, ne fex succo misceatur, sed semper resideat, & cum succo uti uolueris, illum sensim extrahito, ne fex à fundo discedat: hocq; modo per annum seruari potest. S E. Et etiam per duos. B R A S. Mihi potiùs arridet, ut singulis annis nouus fiat succus, & antiquus abijciatur, uel ad alios seruetur usus. S E. Quǽnam est huius electuarij dosis? B R A S. Quatuor, sex, & usque ad octo drachmas præberi possunt. Nicolaus præbet ad molem castaneæ: at debet esse castanea magna, si quatuor drachmas saltem æquare debeat. S E Quibus conuenit affectibus. B R A S. Bilem flauam egregiè educit, succi rosarum ratione; & præparati scãmonij, podagræ conuenit, atque chiragræ calidis: conualescentes ex ægritudine quotidianarios, scilicet & tertianarios, purgat sine molestia, & malorum humorum reliquias potenter educit: breuiq; ad omnes ualet affectus, in quibus bilis flaua peccat, & in quibus ichores biliosi interseruntur:

 runtur:

runtur: authores uerò dicunt ad podagram potißimũ cõuenire, & ad arthritim à materia calida, quia scam monium materias has euacuat; rosarumq́; succus idem facit: at cum stipticitatem quandam habeat materierũ defluuiũ, ad mẽbra cohibet: præbeturq́; in calidis capitis affectibus frequentißimè ad huius generis materiã euacuandam. SE. Tormina inducit. BRAS. Non uehementia. SE. Reperitur'ne apud antiquos eiuscemodi compositio? BRAS. Immo, est apud Nicolaum Alexandrinum in suo Antidotario cap. 309. ut manifestißimè deprehendi poßit, Nicolaum Præpositum ab Alexandrino accepisse. SE. Electuarium rosatum post prædictum sequitur. BRAS. Neq; immeritò, cùm & ipsum rosarum succum recipiat.

ELECTVARIVM ROSATVM.

SE. Non est in usu, neq; ullus medicus illud unquam indicit. BRAS. Seruari tamen debet pro aggregatiuis pilulis, & de hermodactylis conficiẽdis. nõnulli uocant ipsum electuarium laxatiuum, alij simpliciter electuarium solutiuum. SE. Non omnes pharmacopolæ hoc seruant, sed cùm eo indigent, utuntur electuario de succo rosarum Nicolai. BRAS. Hic est maximus error, quia opus est Mesues compositionem accipere, quando ipse aliquas compositiones facit, & illas ex alijs suis compositionibus conformat. SE. Huius electuarij rosati compositionẽ refer. BRAS. Hæc est, quæ sequitur:

℞. Succi ros. rubrarum completarum, lib. IIII.
Zuccari tabarzeth, lib. I. ſ.
Tereniabin. i. mannæ, unc. VI.

Scammo-

Scammoneæ Antiochenæ, unc. I. ſ.

Omnia cum facilitate coquantur ſuper ignem, qui ſit ſicuti candelæ, quoad habeat mellis ſpiſsitudinem, poſtea adde:

Trochiſcorum de ſpodio,		unc. I.
Galliæ, Croci	Singulorum	drach. II.
Trochiſcorum de berberis,		drach. IIII.

Repone in uas uitreum.

SE. Ad quam copiam præberi poteſt? BRAS. Meſue præbet ad drachmas quinque: tamen ego præbui quandoq; ſex. SE. Debet'ne ingredi hoc electuarium ſcãmonium, an diagridium? BRAS. Cùm author ſcammonium dicat, ſcammonium accipito, quod ebulliendo, & cum prædictis rebus miſtum corrigitur; & ſi nonnulli illos reprehẽdant, qui ſcammonium accipiunt abſq; præparatione: decipiuntur, & arbitrantur, ſcammonium præberi non poſſe, niſi in pomo correctum; cùm tamen abſurdum ſit, quia ab antiquis non emendatum etiam præbebatur, quando ſcilicet in aliqua compoſitione miſtum erat. SE. Ignis, quo coquitur, debet'ne eſſe candela? BRAS. Probo modo intelligendus eſt Meſue, quòd ſcilicet ignis eſſe debeat modicus, uniformis, qui non accendatur modò, & modò extinguatur, ſed in eodẽ ſemper perſeueret tenore. SE. Ad quos ualet affectus eiuſcemodi compoſitio? BRAS. Meſue inquit bilem educere abſq; moleſtia, & ad bilioſas ægritudines conuenire, & ad calidas iuncturarum ægritudines, & ad ſodam calidam, & uertiginem, & ad icteritiam luteam. SE. Quid intelligendum eſt per Galliam? BRAS. Gal-

liam muſcatam Meſue: de quo ſuo in loco uerba faciemus. reperiuntur multæ apud antiquos de roſis compoſitiones, quæ & diarhodon uocantur, & Galenus multas retulit, & Trallianus diarhodon, cholagogon confecit, et rhodomelli ſolutiuũ ab Actuario deſcriptum eſt. SE. Arbitror nullum eſſe ſimplex medicamentum, quod plures ingrediatur cõpoſitiones roſa. BRAS. Et ſupra omnia ſaluberrima eſt. ſed aliud contemplemur medicamentum. SE. Electuariũ Indum ſequitur.

ELECTVARIVM INDVM.

BRAS. Cùm duo ſint ſub hoc nomine electuaria, Maius, et Minus, quod nã paratũ ſeruatis? SE. Id, quod Maius uocatur. BRAS. Tamẽ nõ deſunt pharmacopolæ, qui Minus parant, uerum Maior pharmacopolarum pars ſuis in pharmacopolijs Ferrariæ Maius habent, cuius compoſitionẽ afferto, ut illã contẽplemur.

SE. Hæc eſt:

℞. Cinnamomi,
Garyophyllorum,
Spicæ,
Roſarum,
Caſsiæ,
Maceris,
Ciperi, } Singulorũ drach. IIII.
Sandalorũ luteorum, drach. II. ſ.
Ligni Aloës,
Nucis muſcatæ, } Singulorum drach. II.
Turbith boni, drach. L.
Zuccari,
Penidiorum, } Singulorum drach. XX.

Galangæ,

Galangæ,
Heyl,
Cardamomi,
Assari, } Singulorum drach. 1.s.
Scammonij cocti in pomo, drach. xii.

Omnia cum oleo amygdalarum dulcium fricentur, deinde:

℞. Succi cotoneorũ,
Granatorum,
Apij,
Fœniculi, } Singulorum lib. s.

Decoque cum melle ad spißitudinem, & confice cum speciebus. BRAS. Hoc est electuarium Indum Maius, quod in frequentiori usu est, quàm Minus, & in quo multi ex nomine decepti sunt, nigram bilem euacuare putantes, cùm tamen illam non euacuet, sed eius proprium est pituitam educere, et nihil aliud propriè: nam secundario bilem euacuat: illiq; explodendi sunt, qui aiunt, duodecim scammonij drachmæ esse efficaciores, quàm quinquaginta drachmæ turbith: nos autẽ dicimus pituitã efficaciùs educere: et quãuis scãmonium forte causa sit, ut turbith citiùs agat, hoc nihil refert, & concedi potest: quoniam scammonium citiùs agit, quàm turbith. at quid per caßiam in hac compositione accipis? SE. Caßiam fistulam à nobis uocatam. BRAS. Oblongam siliquam intelligis? sed quomodo illam huic compositioni aptas? SE. Illam ex canna extraho, postea pulueribus misceo. BRAS. Quid facient in hac compositione drachmæ quatuor caßiæ? SE. Modicè profectò facient, at cum medicamentum sit purgatorium, aliquo indiget leniente.

BRAS.

BRAS. Hoc est absurdum dictum, cathartica scilicet medicamenta lenientibus indigere: immo per se sumi possent, modò ut decet, sint emendata: quomodo etiam manibus fricaretur, cùm author iubeat omnia esse manu fricanda: nam manibus inhæreret caßia, & illas totas deturparet: cùm etiam author iubeat omnia esse ex oleo amygdalarum inungenda, quomodo caßia erit inungenda? iccirco per caßiam, uocatam canellam intelligere oportet, quæ uerùm cinnamomum non est, & ab antiquis caßia uocatur: cùm autem uero cinnamomo careamus, ab re non erit eius loco canella, quam uulgus cinnamomum uocat, uti: nam ad duplum aucta, idem ualet, quod uerum cinnamomum: iccirco cum dicit; Cinnamomi, drach. IIII. octo canellæ drachmas accipito: quoniam uerò caremus cinnamomo, cùm deinde sequitur, caßiæ drach. IIII. adde etiam canellam ad hoc pondus, quia ipsa est antiquorum caßia, et eius duplum (Galeno teste) cinnamomũ uiribus æquat. SE. Quid est Heyl? BRAS. Cardamomi species, quidam inquiunt esse uocatas meleghetas, arbitramur esse cardamomum Minus, ut simpliciter per cardamomũ Maius intelligatur, & per Heyl Minus. SE. Dic, ne pigeat, quomodo electuarium hoc confici iuberes? BRAS. Pulueres in primis ex simplicibus pararem, & amygdalarum dulcium oleo inungerem: nam turbith uim, & scammonij corrigit; postea citoniorum succum, granatorum, apij, & fœniculi accipere, illosq; depurare, ex singulorum quorum depurato semilibram acciperem, ut duas æquent succi libras: si mel accipere debeam, quantum pro pulueribus satis erit, & pulueres sint centumquadragintaquatuor

drachmæ,

drachmæ, id est unciæ decem & octo, singulisq; tribus puluerum uncijs, mellis libra debeatur, cum prædictis succis mellis libras sex commiscere debemus, & coquendi sunt cum melle semper expumando, uel mel expumatum prius accipiendum, & ad idoneam spissitudinem bulliant. SE. *Quænam erit hæc idonea spißitudo?* BRAS. *Si ad mellis spißitudinem redderentur, postea prædictos pulueres egregiè misceto. itaq; electuarium hoc perfectum erit, quo statim uti poteris.* SE. *Hoc medicamentum phlegmagogum est: & diaphinicon phlegmagogum, quod nam horum uehementius educit?* BRAS. *Hoc uehementius est: et præsertim si diaphœnicum scammoniũ receperit præparatum, quia non præparatum uehementiora reddit medicamenta.* SE. *Multi codices legunt, zuccari penidiorum, singulorum unc. xx. at hæc uidetur esse nimis ampla quantitas.* BRAS. *In illis codicibus mẽdum est, & legi debet, drach. xx.* SE. *Quorũ granatorum succus accipi debet?* BRAS. *Magis adstringentium, & austerorum, quia succus hic, & ille cotoneorum ad uim catharticorum compescẽdam huic electuario miscentur: succus uerò apij, & fœniculi ad uentriculum roborandum, & obstructionem aperiendam recipitur.* SE. *Cur nuncupatum est electuariũ Indũ?* BRAS. *Arbitror ab Indo aliquo fuisse inuẽtum: unde illi aberrant, qui nigros humores purgare dicunt, & ob id Indum uocetur: at pituitam euacuat, non atram bilem.* SE. *Quænam est huius electuarij dosis.* BRAS. *Vos pharmacopolæ causa estis, quòd medicamentorum doses immutari debeant: nam à uobis aliqui pro singulis duabus puluerum uncijs*

mellis

mellis libram commiſcent: alij, qui Meſuem ſequuntur, pro ſingulis tribus uncijs mellis librã addunt; et ut maior eſt mellis copia, ita doſis amplianda. Supponamus pharmacopolas pro ſingulis tribus puluerum uncijs libram mellis apponere, ut eſt Meſues regula, tũc dicimus Meſuẽ præbere tria aur. I. drach. IIII. ſ. tamẽ tutò præberi poteſt uſque ad octo drachmas: at ſi pro ſingulis duabus puluerũ uncijs mellis libra accipiatur, drach. x. & xII. præberi poſſunt. SE. Eſt ampla mellis quantitas, ſi pro ſingulis duabus puluerum uncijs, mellis libra miſceatur: nempè erunt nouem mellis libræ. BRAS. Propterea maiorẽ quantitatẽ præbere oportebit. SE. Immo & ſex mellis libræ ſunt magna copia. BRAS. Poſſet minor mellis copia accipi, & non ab re, quia penidia, & zuccarum inter aromaticos, & catharticos pulueres numerari non debẽt: iccirco à pulueribus quadraginta drachmæ auferentur, quæ ſunt unciæ quinque: & ideo minus mellis apponatur libra una, & unciæ octo: propterea mellis apponẽdi quantitas erit, lib. IIII. & unciæ quatuor. SE. Deinceps hunc ſequar morem: nam hæc minor mellis copia mihi potiùs placet, quàm tanta moles. at quia nonnulli præbent hoc medicamentum ad expurgandos renes, conuenit'ne? BRAS. Conuenit prorſus, modò adſit pituita, quæ educi debeat, uel bilis: nam hos humores ab omnibus trahit membris, et non à ſolis renibus: in ipſa uerò compoſitione nõnulla ſunt, quæ & ad renes, & ad reliquas urinarias uias medicamenti uim deducunt. SE. Cùm dixeris aliquos eſſe pharmacopolas, qui Indum Minus ſeruant, quod nam potiùs ſeruandum? BRAS. Quantum in me

me sit, iuberem, ut electuarium Indum Minus seruaretur, quòd est minus calidum, quam maius, & magis etiam phlegmagogum: at cùm huius electuarij intentio sit, præcipuè pituitam educere, & Minus illam uehemẽtius educat, propterea Indum Minus, intẽtionem, quam intendit, magis perficit, quàm faciat Maius. SE. Tamen ego semper Maius seruaui, & neminem uidi, qui Minus Ferrariæ seruaret. BRAS. At nos uidimus, quòd illud seruauerint, & nouimus à quibusdam, & ipsi probis medicis admoniti: nosq; te in præsentiarum admonemus, ut hoc serues. SE. Deinceps Indum Minus cõficiam, & seruabo. at eius compositionem adducito, ut si quid in ea sit expurgatione dignũ, & exploratione, illud expurgemus. BRAS. Hæc est compositio:

℞. Turbith, drach. c.
Zuccari tantundem:
Maceris,
Piperis,
Gingiberis,
Garyophyllorum,
Cinnamomi,
Heyl,
Nucis muscatæ, } Singulorũ drach. VII.
Scammoneæ, drach. XII.
Confice cum melle despumato.

SE. Tu modum conficiendi edoceto, & mellis quantitatem, quæ ingredi debet: quoniam neque gry quidẽ sumus à tua sententia discessuri. BRAS. Omnia in puluerẽ redigenda sunt, & despumati mellis libræ sex, & unciæ octo accipiendæ, postea omnia simul miscenda, unà

da, unà cum zuccaro in puluerem redacto. SE. *Quę'nam est huius electuarij dosis?* BRAS. *Mesue præbet tres aur. nos præbemus usque ad sex drachmas.* SE. *Ad quos conuenit affectus?* BRAS. *Ad omnes, ad quos ualebat* Indum Maius, *sed illa efficacius educit, quæ educenda sunt: potißimum conuenit, quando ex intestinis, iecore, & omni alia corporis parte pituita educenda sit.* SE. Nonnulli *aiunt nos eo statim uti non debere, si scammonium receperit, & non diagridium.* BRAS. Nos *dicimus in hac compositione, quæ &* Indum Maius, *& diaphœniconem efficacia superat, crudum scammonium esse accipiendum, cùm author simpliciter scammonium dicit, in* Maiori *etenim* Mesue *scribere sciuit, scammonium accipiendum esse in pomo coctum; hîc uerò simpliciter, scamonium accipit, & licet adsit* Mesues *propositio, quòd scammonium sit semper corrigendum, intellige, cùm solum accipitur, uel aliquibus mistum non adsint, quæ illud corrigant.* SE. *Cùm electuarium hoc efficacius sit, quàm* Indum Maius, *cur hoc potiùs non est uocatum* Maius, *& præcedens* Minus? BRAS. *Vocatū est* Minus *(ut arbitror) quia pauciora recipit simplicia:* Maius *uerò plura recipit. adsūt, qui scripserint, esse delicatum, si cum iure accipiatur: at hi (meo iudicio) simplicium sapores ignorant: propterea illa prosequaris, quæ in tua scheda scripta sunt.* SE. *Electuarium de* Benedicta *sequitur:*

BENEDICTA.

BRAS. *Est electuarium* Nicolai, *quod nomen hoc contraxit, quia nullus est, qui illud acceperit, quin de illo*

illo benedicat. at compositionem eius adducito. SE. Hæc est:

℞. Turbith, Esulæ, Zuccari,	Singulorũ drach. x.
Diagridij, Hermodactylorum, Rosſ.	Singulorũ drach. v.
Garyophyllorum, Spicæ, Gingiberis, Croci, Saxifragiæ, Macropiperis, Amomi, Cardamomi, Seminum lini, Seminum petroselini, Salis gemmæ,	Singulorum drach. I.
Galangæ, Maceris, Carui, Fœniculi, Asparagi, Brusci, Granorum solis,	Singulorum drach. I.

Mel, quod sufficit: detur uesperi in uino calido ad castaneæ quantitatẽ. BRAS. Potest & præberi in diluculo: non enim necessarium est illud uesperi præbere, sed potest & mane, et alijs horis præberi, quando conuenit: mulieribus potissimùm propinatur, quibus

bus menſes non profluunt, quando ſunt per cathartico cum expurgandæ, neq; ſinit in ipſis pituitam, uel bilem aceruari. SE. Sunt aliqui codices, in quibus cùm legitur ſeminis lini, ipſi habent ſelini ſpermatis, id eſt ſeminis apij: quid tu legendum cenſes? BRAS. Arbitror legendum eſſe, ſeminum lini, quia in compoſitione adeſt petroſelini ſemen, quod eſt hortenſe apiũ: nam ita accipiebat Nicolaus, pro petroſelino hortenſe apium, quod & uulgus nunc uocat petroſelino. SE. Quot mellis libræ in hac compoſitione accipi debẽt? BRAS. Zuccarum inter pulueres numerandum nõ eſt: pro acipienda uerò mellis quantitate, reliqui pulueres ſimul miſti ſunt unciæ ſex, & drachmæ quinq;: icciroo accipiendæ ſunt mellis deſpumati libræ duæ, & unciæ duæ, plus, minus; cui mellis copiæ pulueres addantur, & probè miſceantur. SE. Aliqui ſunt, qui Lincis lapidem in hac cõpoſitione recipiũt. BRAS. Ob quam cauſam recipiatur, ignoramus, & fabuloſa lapidis lincis miracula, & experimenta negamus: icirco illum minimè adderem, cum & à multis prætermittatur codicibus: qui uerò hunc lapidem addunt, ſimul & maſtichẽ, & ami coniungunt: de ſolis granis nihil in præſentiarum agemus; quoniam de illis ubertim in noſtro ſimplicium examine pertractatum eſt. SE. Lapis ille fabuloſus deinceps compoſitiones noſtras haud ingredietur. BRAS. Et probè ages: tamen & maſtichẽ, & ami addi poſſe non negamus. SE. Ad quos ualet affectus Benedicta? BRAS. Podagræ conuenit, chiragræ, & arthritidi, cùm à frigiditate ortum habent, renes, & ueſicam expurgat, paralyſi obuiat, neque in uteri affectibus deſpicienda eſt.

SE.

SE. *Ad quantam copiam præberi potest?* BRAS. *Nicolaus præbet ad castaneæ quantitatem cum uino calido, nos drachmas sex, et octo præbemus: ex his pulueribus pilulæ fiunt, quæ de Benedicta uocantur; de quibus in pilularum examine mentionem fecimus; at cum hæc de Benedicta satis esse uideantur, ad alia te conferas.* SE. *Diacarthamum sequitur.*

DIACARTHAMVM.

BRAS. *Est'ne in publico usu diacarthamum?* SE. *Est, & ego illud semper in meo pharmacopolio paratum seruo.* BRAS. *Quis nam fuit huius compositionis author?* SE. *Ignoro, audiui tamen esse compositionem (ut uocant) magistralem.* BRAS. *Quas magistrales compositiones appellas?* SE. *Illas, quæ certum non habent authorem, sed ab ipsis pharmacopolis in usum redactæ sunt, uel à medicis, qui tunc artem exercent.* BRAS. *Si huius compositionis authorem inuenero, quid mihi erit premij?* SE. *Labor illum referendi.* BRAS. *Premium est te dignum: sed en, reperitur apud Nicolaum Florentinum, sermone* II. *summa* IIII. *tractatu* II. *distinctione.* VII. *cap.* XVII. *ubi de hemitritei curatione uerba facit; & ipse Arnaldum de Villa noua adducit, ueluti ipsius compositionis authorem.* SE. *Ergo non est magistralis.* BRAS. *Non, ut uidetur. at tu compositionem, quam paras, referto.* SE. *Hæc est, quæ sequitur:*

℞. *Specierum diatragacãthi frigidi,* unc. I.
Carnis cotoneorum, unc. II.
Gingiberis albi, drach. I.
Medullæ carthami, unc. s.

Turbith electi, drach. II.
Diagridij, drach. V.
Mannæ granatæ, } Singulorum
Mellis rosati ad solē purificati, drach. III.
Zuccari albi, unc. XV.
Fiat cōfectio in bolis, quorū unusquisq; sit. drach. IIII.

BRAS. Nicolaus Florentinus in uno solùm ab hac tua differt compositione, quia ipse ponit specierum diatragacanthi frigidi, & carnis cotoneorum singulorum unc. I. tu uerò ponis diatragacanthi, unc. I. & carnis cotoneorum, unc. II. aliqui uerò sunt pharmacopolæ, qui in pondere magis aberrant: nonnulli etenim illam, quæ sequitur compositionem seruant:

℞. Medullæ carthami, drach. I. scrup. I.
Specierū diatragacanthi frigidi, scrup. II.
Carnis cotoneorum, drach. II. s.
Gingiberis albi, scrup. I.
Turbith, scrup. II.
Diagridij, scrup. II. et gra. I.
Mannæ granatæ, } Singulorum unc. I.
Mellis rosacei,
Zuccari albi, unc. VI.
Misce, et fiat cōfectio in rotulis, uel in morsellis.

SE. Fortè pondera hæc sunt ad proportionem ponderum meæ compositionis, sed in minori copia est hæc compositio BRAS. Est quidem in minori copia, sed nullum habet cum tua compositione, & cum illa Nicolai proportionem. SE. Illam igitur compositionem sequar, quam semper paraui. BRAS. Illam sequaris. SE. Cur dicitur mannæ granatæ? BRAS. Vel quia grana habere debeat, uel quia ex tali addu-

catur

catur prouincia: nonnunquam arbitratus sum, cùm in has compositiones ad compescendam uim fortium catharticorum thuris manna ponatur, hic manna thuris intelligendam esse, quæ non esset in puluerem redacta, sed granula haberet: tamen prima sententia potior est, nam & manna roris ad leniendum ingreditur, & licet in modica sit copia, & mel rosaceũ est in modica copia. SE. Ad quos ualet affectus? BRAS. Bilem educit, & pituitam: ualet ad hemitriteum, ad capitis dolorem, ad paralysim, & ad omnes affectus ex bile, & pituita mistos: unde, & mistis conuenit podagris. SE. Cur uocatur diacarthamũ, cùm multa sint in cõpositione in maiori copia, quàm carthamum? BRAS. Ita placuit authori suam hanc nominare compositionem, cùm ab alijs rebus, quæ ingrediuntur, aliæ sint denominatæ compositiones. At ne quicquam prætermittamus, quod ad compositionem spectet, dicito quomodo paras diatragacanthum frigidum? SE. Ita ut sequitur:

℞.	Tragacanthi albi,	unc. II.
	Gummi arabici,	unc. I. drach. II.
	Amyli,	drach. IIII.
	Glycyrrhizæ,	drach. II.
	Penidiorum,	unc. III.
	Seminum quatuor frigidorum maiorũ,	drach. II.
	Syrupi uiolati quantum sufficit.	

BRAS. Hæc est compositio, quæ fieri debet, & quæ diacarthamum ingreditur. SE. Quam copiam præbes placentularum diacarthami? BRAS. Omnes dicunt ad drachmas quatuor præberi posse, nos dicimus & usq; ad sex; præsertim quando rotulæ sunt re-

ad quos ualent affectus

cur uocet. diacarthamũ

quo cõficiat. diatragacãth. frig:

q sit eius dosis

quietæ, & non recenter factæ. at quid sequitur diacarthamum? SE. Diaprunis solutiuum:

DIAPRVNIS SOLVTIVVM.

BRAS. Aestiuo tempore libenter hoc utor medicamento ad illa acuenda, quæ tunc præbentur: qualia sunt syrupus rof. solutiuus, manna, caßia, & reliqua, quæ ex se non magnopere educunt. adest uerò duplex diaprunis, solutiuum, & non solutiuum. SE. Et nos utrunq; in nostro pharmacopolio seruamus. BRAS. Nicolai compositionem referto, quam te seruare arbitror. SE. Illa profectò est, quam seruo, & ita conficio: accipio pruna cẽtum damascena. BRAS. Ob hoc à nonnullis uocatur Diadamascenum. SE. Illasq; in uas repono æreum, stanno delinitum, tantumq; addo aquæ, quantùm pruna tegantur; postea igne supposito, tantùm ebullire facio, quantùm satis est, ut pruna dissolui incipiant: tunc illa ab igne remoueo, & cùm aqua fuerit effecta frigida, uel non tam calida, ut manibus obesse poßit, tũc pruna ab aqua aufero, in uasq; perforatum repono, uel in cribrum, cui catinum figulina arte factum, & uitreatum subsit; & tamdiu manibus frico, quòd tota prunorum caro per foramina liquescit, & in catillum colligitur, & sola semina, ac prunorum cortices in qualo relinquuntur: tunc aquam illam, in qua pruna ebullierint, accipio, & in eadem ebullire facio uiolarum unc. I. permitto uerò unica ebullitione ebullire, quia uiolæ uehementem non ferunt ebullitionem, postea uiolas aufero, & huic decoctio addo:

Zuccari,

Zuccari, *lib.* II.
Pulpæ prunorum, *lib.* I.

Tuncq; ad spißitudinem coquo : cùm inspissari incipit, addo:

Tamarindorũ percolatorũ, / *Caßiæ percolatæ,* — *Singulorum unc.* I.

Iterum igne lento ebullire facio, rudicula semper agitando, quousq; ad perfectionem peruenerit : deinde sequentes pulueres superaspergo:

℞. *Sandalorum alborum,* / *Rubrorum,* / *Spodij,* / *Rhabarbari,* / *Cinnamomi,* — *Singulorũ drach.* III.

Rosarum, / *Violarum,* / *Seminis portulacæ,* / *Scariolæ,* / *Berberorum,* / *Succi Glycyrrhizæ,* / *Tragacanthi,* — *Singulorũ drach.* II.

Seminũ quatuor frigidorũ maiorũ, Singulorũ drach. I.

Hæc omnia misceantur, in pulucrem redacta.

BRAS. *Imponis'ne hos pulueres, quando ebullit medicamentum?* SE. *Minimè, sed frigescere sino, uel tepescere.* BRAS. *Probè agis, at quo caßiam alis, atque tamarindos?* SE. *Portionem quandam illius decoctionis, in qua uiolæ ebullierint, seruo, & caßiam, ac tamarindos ex ea dissoluo, postea prunis, & zuccaro commisceo.* BRAS. *Ita erat agendum.* SE. *Quæ'nam quantitas huius electuarij præberi potest?*

test? BRAS. Hoc non est solutiuum; & si soluit, id leniendo facit, & ratione rhabarbari: unde si ex eo uentris solutio quæreretur, duæ, & tres unciæ præberi possent: at cùm exhibetur, potiùs exhibetur ad refrigerandum, & leniendum: iccirco à Nicolao dicitur, in acutis præberi febribus, & in peracutis; ut in causonide, & in ardente febre: immo in initio præbet, in augmento, & in consistentia. SE. In declinatione uerò non præbet? BRAS. De declinatione nullam mentionem facit, quia nullus est, qui in declinatione præberi posse, ambigere debeat. SE. Potest'ne ex alijs prunorum generibus fieri à damascenis? BRAS. Potest prorsus, & ex prunis myrobalanis uocatis, & ex Ibericis confici; præsertim cùm ad educendum præbetur, & emolliendum. SE. Pruna, quæ accipiuntur, debent'ne esse probè matura? BRAS. Omnino, sed non tam matura, ut sint corruptioni propinqua: ex alijs prunorum generibus ab enumeratis confici non debent: tamen si intentio tua sit emollire, plus emolliũt Iberica, quæ uulgus nostrũ Catalonica uocat, & myrobalana, quàm damascena: unde à Galeno in 11. de Alimentorum facult. dicitur: Damascenis à Damasco Syriæ monte, in quo nascuntur, appellatis, prima laus bonitatis magna hominum opinione defertur, proxima ijs, quæ in Iberia & Hispania proueniunt. Verùm hæc nullam adstringendi uim repræsentãt, damascena quædam sanè quàm præclaram: tamẽ Galenus pruna probat, quæ aliquam habent adstrictionem, inquiens probatißima in his sunt, quæ cum mediocri constrictione, ampla, laxaq; sunt. SE. Magis igitur emolliet: si ex Ibericis prunis conficiatur. BRAS. Ita profectò

 est, sed

quales pr pru ne debeat

q plus emoliat

est, sed fortè non erit ita frigidum, ut cùm sit ex damascenis, in omni affectu ex bile præberi potest; & si quis bilem egregiè educere uoluerit, illud solutiuum faciat cum diagridio, ut admonuit Nicolaus. non ne & uos in omnibus Nicolaum sequimini? SE. Sequimur: nam huius non solutiui diaprunis libram accipimus, & septē diagridij drachmas addimus statim, cùm ab igne deponitur; itaq; solutiuum euadit. BRAS. Aliqui integram diagridij unciam in hac compositione commiscent, alij drachmas quatuor. SE. Ego semper authorem sequutus sum, qui drachmas septem commiscet. BRAS. Contemplemur quanta sit diagridij quantitas, quæ singulam diaprunis drachmam ingreditur. SE. Diagridium, quod libram diaprunis ingreditur, quantitas granorum quadringentorum & uiginti, diaprunis uerò libra nonagintasex capit drachmas, idcirco in singula diaprunis drachma quatuor diagridij grana, & tertia ferè pars unius grani ingreduntur. BRAS. Est uehemens solutiuum, bilemq; potenter educit, si ex eo quatuor tantum drachmæ præbeantur, ego libenter in æstate eo utor ad educendam bilem in omnibus biliosis febribus, & eo medicamenta tarda cholagoga acuo. SE. Ad quam copiam in summa exhiberi potest? BRAS. Ad sex drachmas in maximè stipticis, in alijs ad quatuor, uel quinque: Nicolaus ad castaneæ quantitatem præbet cum aqua calida: at cum pondere præbendum est, ut tutiùs agatur; nā soluētia medicamēta ad libitū præberi non debent, sed ad determinatū pondus. Multæ sunt apud antiquos authores ex prunis compositiones, sed nulla hanc æquat: tu igitur & diaprunis solutiuum, et

non solutiuum in tuo pharmacopolio seruato. S E. *Neque desunt, neque unquam desuerunt, sed electuarium de Sebesten hoc sequitur:*

ELECTVARIVM DE SEBESTEN.

B R A S. *Nullus est antiquus author, uel ex recentibus fidedignus huius electuarij inuentor: sed apud Mõtagnanam reperitur.* S E. *Tamen omnes pharmacopolæ Ferrariæ illud parant.* B R A S. *Tu descriptionem, quam sequeris, referto.* S E. *Hæc est:*

℞. *Sebesten recentis,*		*unc.* V.

Infundantur in libram unam aquæ uiolarum, ut bulliant, demum colētur, & prædictæ colaturæ addãtur:

Aquæ iridis, *Anguriæ,*	*Singulorum unc.* V I.
Tamarindorum, *Prunorũ siccorũ cõtusorũ,*	*Singulorum drach.* V.
Seminum cõium frigidorũ, *Violarum,*	*Singulorum unc.* I.
Succi Mercurialis,	*unc.* I I I I.

Coquantur simul usque ad consumptionem medietatis, & uehementer exprimantur, ac colentur, & percolatæ parti addantur:

Penidiorum,	*unc.* V I I I.
Diaprunis non solutiui,	*lib.* I. S.
Diagridij,	*drach.* I I I.

Misce, & fiat electuarium. B R A S. *Est leue, ac mite medicamentum, quod bilem præcipuè educit. legimus compositionem quandam, in qua aderãt soldanellæ herbæ succi, unc.* V I. *ad quantitatem succi anguriæ, & iridis, neq; succum hunc addere mihi displiceret:*

cum

cùm mirificè ichoreæ purget: tunc enim non solùm bilem educeret, & non nihil pituitæ, sed & aquas in hydrope. biliosis conuenit febribus: & in summa omnibus biliosis ægritudinibus. non est tam uehemẽs, ut diaprunis solutiuum. Dosis eius potest accedere ad unciam unam, & ad drachmas decem. at quid accipis tu pro iridis aqua? SE. *Ipsius iridis succũ.* BRAS. *Probè agis, & succus hic ex radicibus sumendus est.* SE. *Et anguriæ succum accipio.* BRAS. *Immo, & accipe aquam illam, quæ sponte in anguria à carne distincta est.* SE. *Diasena huc pedem confert: posteaquam de Diasebesten satis dictum uidetur.*

dosis eius

DIASENA.

BRAS. *À quo authore refertur?* SE. *À Nicolao.* BRAS. *Compositionem huc adducito.* SE. *Hæc est, quæ sequitur:*

℞.	*Senæ,*	*unc.* III.
	Auellanarum assatarum,	*num.* L.
	Serici combusti,	*drach.* II.
	Lapidis armeni,	*drach.* I.
	Lapidis lazuli,	*drach.* III.
	Zuccari,	*unc.* VI.
	Cinnamomi,	*unc.* I.
	Garyophyllorum,	*Singulorum drach.* II.
	Galangæ,	
	Piperis,	
	Spicæ,	
	Ozimi,	
	Gingiberis,	
	Folij Gar.	



Cardamomi,
Croci,
Zeduariæ,
Floris rorismarini,
Macropiperis,
Mellis, quod sufficit.

BRAS. Est profectò hæc compositio Nicolai, sed non Nicolai Præpositi, quem uos sequimini; at est Nicolai Alexandrini, qui multo tempore ante Nicolaum Præpositum scripsit, & Nicolaus Præpositus ab eo ad uerbum accepit: hoc autem uerum esse, non solùm compositio ipsa ostendit, sed & cōpositionis initium: nā ita incipit Alexādrinus: Diasena dicitur, quia plus de sena ponitur ibi, quàm de alia specie: ualet propriè melancholicis, maniacis, cardiacis, & tristibus: tota confectio apponderat libram unam. SE. Ita ad uerbum dicit Præpositus. BRAS. In descriptione idem præcisè dicit, & in ponderibus: postea in calce ita conueniunt, & in conficiendi modo, ut Præpositus Alexandrini simia uideatur: nempè dicit: Detur cum aqua, in qua infusa sint folia senæ per noctem, sub diuo. Conficitur sic: Cum melle auellanæ benè puluerizatæ despumato melle, ad ignem decoquantur, deinde puluis specierū admisceatur: quod ualet quartanarijs, & magis spleneticis. SE. Et ipse Præpositus neque in uno differt uerbo. BRAS. At compositionem ipsam cō sideremus. SE. Mihi prius conuenire uidetur, ut aliā adducamus compositionem, quæ in ipso Nicolao Præposito scripta est. BRAS. In Alexandrino non fit alterius Diasenæ mentio, quàm illius. SE. Tamē multi pharmacopolæ hanc, quam adduximus, non parant,



rant, sed illam, quæ in secũdo loco est à Præposito scripta. BRAS. Illam igitur referto. SE. En tibi morem gero:

℞. *Senæ,* unc. III.
Cinnamomi,
Garyophyllorum,
Folij,
Candamomi,
Galangæ,
Maceris, } *Singulorũ drach.* III.
Ligni Aloës,
Piperis longi,
Gingiberis,
Zedoariæ,
Spicæ,
Nucis moscatæ,

Borraginem, & calamentum addito, & cætera, quæ melancholiam purgant:

Auellanarum assatarum num. L.
Setæ combustæ, drach. II.
Lapidis armeni, unc. I.
Lapidis lazuli, drach. III.
Zuccari, unc. V.
Mellis spumati, quod sufficit.

BRAS. *Est tam modica inter unam, & aliam compositionẽ differentia, ut non magnifacerem si prima, uel secunda conficeretur, ac seruaretur ad usus.* SE. *At tu quam potiùs seruari cuperes.* BRAS. *Primam; quia est compositio* Nicolai Alexandrini. SE. *Ego semper illam seruaui.* BRAS. *Quid accipis pro sena folia, an folliculos?* SE. *Folliculos: nã Mesue*

folijs

folijs folliculos præfert. BRAS. *Deinceps uolo, ut folia folliculis mista accipias, & nos cum* Mesue, *folliculos potiùs probamus; tamen ubi folia, & folliculi habentur simul, miscendi iubemus. sed ob quam causam auellanæ compositionem hanc ingrediuntur?* SE. *À nonnullis audiui apponi ad roboranda membra.* BRAS. *Ego nunquam legi roborari membra auellanis, nisi fortè dicamus uim quandam habere adstrictoriam, ut* Galenus *monet in* II. De *Aliment. facult. & in* VII. De *simplic. medic. facult. at uis hæc adstrictoria membra roborat, & magis consistentia facit: nobis potiùs uidetur, cùm à* Galeno *dictum sit in præcitatis locis, esse difficilioris coctionis, quod hîc positæ sint, ut totam compositionem diutiùs in uentriculo, & in intestinis retineāt; & cùm uaporosæ sint, ad caput ascendant, & ad cor, secumq; uapores ducant, qui ab alijs simplicibus eleuantur, qui uim habent membrorum roboratoriā, & atrabilares materiæ educantur: nam potissimum cōpositio hæc in atrabilarijs affectibus præbetur; & quia atrabilares materiæ naturam quandam habent uenenosam, fortè appositæ sunt, quia auellanæ ueneno obsistunt: immo à* Galeno *in* II. de *Alimentorū facult. notatur, nucem iuglandem auellanam, & rutam simul esa, à lethalibus uenenis liberare. quicquid, sit cōpositio hæc auellanas recipit. at quomodo torrentur?* SE. *Nuclei à putamine exeruntur, & in sartaginem ponuntur, igniq; appenduntur, semperq; sunt baculo mouendi, ne urantur.* BRAS. *Mihi potiùs placet, ut in duas, uel tres partes diuidantur, postea more tuo torrefiant, deinde manibus perfricentur, ut extima pellicula auferatur, debentq; esse adeo tostæ, ut ustæ non sint,*

sint,

ſint, ſed facilè in puluerem redigantur : & cùm hic puluis difficilioris ſit coctionis, propterea cùm melle prius deſpumato coqui debet: mel uerò id ſit, quod cōpoſitionem ingredi debet. SE. *Ita ferè facio: tamen auellanas integras aſſabam, uerùm ut felicius, & probius aſſentur, non ab re erit, in partes diuidere.* BRAS. *Ob quam cauſam ſericum combuſtum crudum apponitur?* SE. *Aiunt humori atrabilari obſiſtere, & cor ipſum roborare.* BRAS. *O` mira fatuitas, nullā habet ex qualitatibus, quæ cor roborare poſſunt, neque odoratum eſt: immo potiùs fœtet ſericum crudum; imaginariq; neſcimus quomodo ſericum, & per quam qualitatem atræ bili aduerſetur: dictū profectò eſt à nonnullis de tincto in chermes, quod ob tincturam ad hæc ualeat: tamen nulla habetur uel ratio, uel experientia, uel alicuius uiri fidedigni authoritas, quæ hoc nobis ſuadere poſſint. at dicito folij loco, quid accipis in hac compoſitione?* SE. *Folium ipſum, uel malabathrum, quod Venetijs emo.* BRAS. *Immo id non eſt folium, quod Venetias pro folio comportatur: deinde Nicolaus Alexandrinus in ſua compoſitione folium non ponit, ſed inquit foliorum Garyophyllorum, ut uelit non ſolum garyophylla ipſa compoſitionem ingredi, ſed & garyophyllorum folia, quæ & ipſa aromatum naturam habent.* SE. *Quanta mellis copia accipi debet?* BRAS. *Tres libræ & ſemis. ad garyophylla uerò redeuntes, quod ipſorum folia intelligi debeant, & non folium, quod eſt malabathrū, ex hoc oſtendi poteſt, quia prius poſuerat in compoſitione garyophylla, deinde contextus ferè omnes Nicolai legunt. fol. Gar. Si legamus folij garyophyllorum,*

bis

bis repetita sunt garyophylla: iccirco conueniẽtius est, legere foliorũ garyophyllorũ, quàm folij: & postea iterum garyophyllorum: scito tamen adesse & Ferrariæ pharmacopolas, qui neque unam, neque alteram ex præscriptis compositionibus parant: at aliam quandam seruant, quæ plura recipit, quàm prædictæ complectantur. S E. *Compositionem illam, ni pigeat, referto.* B R A S. *Hæc est, quæ sequitur: neque illam referre piget:*

℞.	*Ligni Aloës,*	
	Garyophyllorum,	
	Galangæ,	
	Nucis muscatæ,	*Singulorũ drach. ii.*
	Folij,	
	Maceris,	
	Cinnamomi,	
	Lapidis lazuli,	*Singulorum drach.*
	Lapidis Armeni,	*ii.s.*
	Senæ in duplo prædictorum:	
	Croci,	*drach. i.*
	Serici crudi combusti,	*scrup. ii.*
	Rasuriæ eboris,	
	Spodij,	
	Anacardi,	*Singulorũ drach. ii.*
	Oßis de corde cerui,	
	Blactæ bisantiæ,	
	Hermodactylorum,	*unc. i.*
	Myrrhæ,	
	Gentianæ,	*Singulorum*
	Baccarum lauri,	*drach. ii.*
	Hellebori nigri,	

Auella=

Auellanarum cõbustarum, nu. x v.
Ambræ, scrup. I I.
Mellis, quod sufficit.

Quidã addũt pro leprosis, Carnium serpentũ, unc. I I.
SE. Multo plura sunt in hac compositione, quàm in prædictis, simplicia. BRAS. At ego illa non magnifacio, nempè os de corde cerui, ita in hac compositione ualere ad atram bilem arbitror, ut id quod nihil ualet. Blactæ bisantiæ odoratæ sunt, si ueræ sunt blattæ. SE. Est longe uehementior hæc compositio, quàm sint aliæ superius enarratæ. BRAS. Est profectò uehementior, sed in minori præberi debet copia: de prima cõpositione præberi potest usq; ad tres drachmas: de hac usq; ad duas ad summũ in robustis, & stipticis: tamen drachma una solet esse commune pondus, quod præberi debet. SE. Infusio senæ consequitur.

INFVSIO SENAE.

BRAS. De hac in præsentia nihil agemus: quoniã in syruporum examine de illa ubertim scriptum reliquimus: sola præberi potest usq; ad octo uncias. SE. Est magistralis compositio? BRAS. Est profectò, si magistrales illas compositiones uocabis, quæ nullum habent certum authorem, sed à pharmacopolis fiunt secundum quendam usum, qui ferè à natura emanasse uidetur. SE. Ergo senæ puluerem consideremus.

PVLVIS SENAE.

BRAS. Pharmacopolæ Ferrariæ in hoc puluere diuersi sunt, à te uerò incipiamus; quam compositionem paratam seruas? SE. Hanc, quæ sequitur:

℞. Fo-

ut rectè confici poßit, Mesues compositionem referto.

SE. Hæc est:

℞.	Succi Solatri,	Depuratorũ singulorũ lib. II.		
	Endiuiæ,			
	Apij,			
	Succi lupulorum,	lib. I.		

Super eos proijciatur uiolarũ siccarũ, uel uiridiũ, lib. I.

Folliculorum Senæ,	unc. II.		
Agarici,	unc. I.		
Prunorum damascenorũ	nu. L.		
Cuscutæ,	unc. S.		
Miroba. Citrin.	Frixorum in oleo uiolaceo, aut amygdalarum dulcium,	Singulorũ drach. II.	
Chebulorum,			
Indorum,			
Spicæ aromaticæ,	drach. III.		

Bulliant super prunas cum facilitate, usq; dum remaneat libra una, & proijciãtur super illa epithimi mundi drach. XL. & inuoluãtur myrobalani in oleo amygdalarum dulcium, & bulliant ebullitione una, & deponantur ab igne, & colentur, & dissoluantur in una parte huius colaturæ:

Tamarindorum recentiũ,	unc. III.
Mannæ,	unc. I. S.
Pulpæ Caßiæ,	unc. IIII.
Zuccari uiolati,	unc. XII.

Colentur, & emundentur à granis, & scoffis, et in alia parte aquæ proijciantur:

Zuccari tabarzeth,	lib. III.
Aceti uini,	lib. I.

Coquantur cum facilitate: deinde proijciantur supra illud, quod dissolutum sit in succis, & aggregentur in unum,

unum, & coquantur usque ad mellis spißitudinem: ultimo uerò puluerizentur super illud:

Raued boni,	unc. II.
Myrobalanorum,	
Chebulorum, Indorum,	Singulorum drach. I.
Belliricorum, Emblicorum,	Singulorum drach. IIII.
Granorum fumiterræ, Trochiscorũ diarhodõ, Maceris, Mastiches, Cubebarum, Spodij, Sandalorũ citrinorum,	Singulorũ drach. II. s.
Quatuor sem. maio. frigidorũ,	Sing. drach. II. s.
Anisorum,	drach. IIII.
Spicæ,	drach. II.

Inuoluantur in oleo uiolato, & reponantur in uase uitreo, & da cum aqua frigida, & succo endiuiæ, uel succo solatri. Hæc est Mesues ad uerbum compositio. BRAS. *Immo potiùs confusio. Nam præter id, quod intentionem suam barbarißimè efficit: inordinatam etiam ponit compositionem. tu'ne illo modo eam paras, ut à Mesue edoceris?* SE. *Non recordor profectò quomodo fecerim: nam illam semel tantùm composui, cùm primum aperui pharmacopolium, & adhuc magna portio in labello superest.* BRAS. *Cur? non'ne illã uendis?* SE. *Raro: tamen maior medicorũ pars, et nobilium, ac ciuiũ pharmacopolium nostrũ frequentat, sed pauci medici illam suis ægris indicũt.*

BRAS. Opus ergo est, ut compositionem hanc tibi aperiam, id est quomodo fieri debeat, ostendam. SE. Id mihi gratißimum erit: sed doce me prius, cur triphera nuncupata sit. BRAS. Apud antiquos non pauca medicamenta tripheræ nuncupata sunt, id est delicata medicamenta. SE. At hoc penitus delicatum non est. BRAS. Non quidem, quo ad gustum, nec quo ad olphatum, sed quo ad opus; nempe sanitatem inducit, quæ res delicata est: uel ita compositori uisum est, quod esset delicatum medicamentum: cùm tamen amarum sit. SE. Cur Persica uocatur? BRAS. De hac nomenclatura idem scio, quod tu; sed Mesue dicit, quia apud Persas sit experta, uel ab ipsis inuenta. at hæc ad rem ipsam nihil faciunt; modò compositio rectè fiat, quam nemo rectè faciet, si ordo, quem ex Mesue adduxisti, seruabitur. SE. Quem ergo ordinem seruare oportebit? BRAS. Illum, quem tibi referam. ne cogaris illa, quæ minima ferunt, decoctionem prius ponere, & posterius, quæ maiorem ferunt. SE. Tuum igitur referto ordinem, quo tripheram hanc fieri iubes. BRAS. En, primò accipiendi sunt depurati succi, qui erunt septem libræ, in quos pruna imponuntur, quæ damascena sint, ut ebulliant, sintq; aliquibus in locis ad semen usque incisa: deinde facilè bulliant ad succorum ferè consumptionis medietatem, postea sena addatur, quæ crasso modo contrita sit, deinceps agaricum addatur, & cuscuta, postea spica, rosæ, & uiolæ. SE. Nulla est facta rosarum mentio in hac compositione. BRAS. Non quidem in tua, quam adduxisti, sed in antiquis codicibus adsunt rosæ ad uiolarum pondus, postea addatur epithimum,

qr triphera dicta sit

cur persica dicat?

qui ordo ser vandus in compositione

an rose addende

thimum: nam modicißimam fert coctionem: denique myrobalani addantur enucleati, crassoq; modo contriti: posteaquam fuerint impositi, sinatur compositio parumper feruorem eleuare: deinceps ab igne remoueatur: quoniam uel modicißimam, uel nullam ferunt myrobalani decoctionẽ. SE. *Non'ne bis ingrediũtur myrobalani?* BRAS. *Minimè, quia illi, qui primo loco scripti sunt, uacant; & hi tantum accipiendi, qui secundo loco referuntur: idq; inconueniens est, quod retulisti, authorem scilicet tantùm ebullire facere, quoad una sola libra supersit; sed ad minus duæ libræ esse debent, si tamarindi, caßia, manna, & zuccarum uiolatũ aptè dissoluẽda sunt; immo nisi esset acetum, quod additur, relinqui deberet maior quantitas, quàm sint duæ libræ. Mannam igitur accipito, tamarindos, & caßiam in decoctione illa, uel in una decoctionis parte dissolue: postea in alia decoctionis parte imponatur zuccarum taberzeth, & acetum uini, & bulliant quo ad mellis spißitudinem acquirat: postea rhabarbarum, & reliqua, quæ sequuntur, imponantur, præter myrobalanos, qui iam sunt prius impositi in ebullitione illa parua, uel in infusione: postea omnia simul misceantur.* SE. *Iam confecta est compositio.* BRAS. *Confecta, ac perfecta quidem est.* SE. *Quomodo inungitur compositio ex oleo uiolaceo?* BRAS. *Nõ est intelligendũ, quòd compositio inungatur, sed quòd rhabarbarum, & cæteri pulueres sunt oleo uiolaceo delinendi, & postquam fuerit perfecta, in uitreatum uas ponatur, ac seruetur.* SE. *Non inceßisti secundum ordinẽ Mesues.* BRAS. *Quia inordinatus est, & ut arbitror à librarijs est ordo peruersus: nempè*

cùm talia in compositionibus uidentur, homo componendi ordinem seruare dicitur, & quæ maiorem decoctionem ferunt primò imponere, deinde quæ minorem, & ultimo loco, quæ minimam: quæ uerò nullam ferunt coctionem, infundenda sunt, & non ebullienda SE. Profectò magna confusio est, nisi ita fiat, ut à te prædictum est. BRAS. Ita igitur facito. SE. Sed non tam cito: nam in pixide adhuc adest huius compositionis portio, & rari admodum ea utuntur: immo ignoramus quibus competat affectibus, nisi tu aperueris. BRAS. Mesue inquit, conuenire febribus acutis, & stomachi inflammationibus, ac hepatis: conuenit & arquatis, & obstructionem habentibus: uisum reparat, cùm à biliosis fumis deperditus est; sitimq; sedat: adustionis morbos prohibet; & est magna medicina in æstate pestilenti, & autumno: bilem educit, pituitam, & atram bilem. Nos in magnis æstibus eo usi sumus, cùm fuit opus, calidos alicuius humores euacuare, quia non calefacit, neque corpus alterat ad calidum. SE. Quomodo præbes ægro huius generis medicamentum? BRAS. Præbeo in bolo, si annuerit æger; sin minus, in endiuiæ aqua, uel solatri dissoluo, & propinandum præbeo. potest inter lenientia numerari medicamenta, uentremq; mirum in modum lenit. SE. Quænam est ipsius dosis? BRAS. Mesue unciam præbet, nos ad decem usque drachmas absque incommodo exhibuimus. SE. Cùm de Tripheris sermo fiat, huc accedet Triphera de epithimo.

TRIPHERA DE EPITHIMO.

BRAS. Hæc in minori adhuc usu est, quàm Persi-

ca.

ca. rarißimi sunt Ferrariæ pharmacopolæ, qui illã ser uent: tamẽ à nõnullis cõficitur, & à paucißimis quibusdam medicis indicitur: tu uerò compositionẽ refer to, ut illam contẽplemur. SE. En, ex his conficitur:

℞. Myrobalanorũ chebulorũ,
Emblicorum,
Indorum,
Belliricorum, } Singulorum partes æquales.
Epithimi partes duas,
Hieræ picræ partem semis:

Misce, & confice cum melle emblicorum, uel chebulorum. BRAS. De hac compositione loqui non est opus, cùm in communi usu non sit: at despicienda minimè est. SE. Ego illam paratam seruo, & tu eandem pro tuis ægris nonnunquam, me annotante, indixisti: tamen cuius sit authoris ignoro. BRAS. Est Mesues, qui illam refert in curatione maniæ, & melancholiæ sanguineæ. SE. Quænam est ipsius dosis? BRAS. Mesue præbet à duabus drachmis usq; ad quatuor, & singulo die: si autem rariùs præbeatur, ad unciam usque exhiberi potest. SE. Ad quos ualet affectus hæc triphera, quæ triphera non est, id est delicata, cùm sit amara? BRAS. Mesue illam præbet inter euacuationem, & euacuationem, quando non administratur euacuatio: nam reiuuenescere facit, & gaudium generat. hæc Mesue. Atram bilem potißimum educit, sed leuiter illam cum alijs humoribus secundariò educit: maniæ confert, & melancholiæ sanguineæ. SE. Est ergo multi nominis compositio? BRAS. Est prorsus, & in atrabilarijs affectibus haud despicienda. SE. Quid est mel embilicorum?

cuius authoris dosis

ad quos ualet affectus

rum? BRAS. Est mel quodam ex emblicis myrobalanis confectum. SE. Quo'nam modo conficitur, & quis est huius mellis author? BRAS. Legitur apud Rasim in IX. ad Almansorē lib. in capite de melancholia, & hoc modo conficitur:

℞. Myrobalanorum chebulorum, nu. XX.
Emblicorum, nu. XXX.

Misce, & terantur, & in tribus aquæ libris percoquantur, quo ad una supersit: postea colentur: deinde huic percolatæ aquæ mellis libram adijcito, quæ ad aquæ consumptionem ebulliat; & cùm hæc compositio chebulos etiam recipiat, si tibi animo sit ex solis emblicis conficere, ex ipsis quinquaginta accipito, & ut dictum est, conficito. SE. Hoc modo ex omni myrobalanorum genere mel conficere possum, & ex duobus simul generibus. BRAS. Immo, & ex omnibus. SE. Syrupus rosatus solutiuus in examen succedit.

SYRVPVS ROSATVS SOLVTIVVS.

BRAS. De hoc in syruporum examine ubertim locuti sumus, ut superfluum uideatur nunc iterum absq; utilitate repetere. SE. Cùm & ipse uentrem soluat, non mirum si in aliorum ordinem accedebat. memoria autem habeo, & bilem & Ichores educere, si, ut conuenit, confectus fuerit. sed in examen accedit Puluis Sanctus.

PVLVIS SANCTVS.

BRAS. Est recentiorum inuentum, & ipsum nomen

men illud ostendit: quoniam antiqui habebant quidem Hieras, & sacra medicamenta, non uerò sancta. at ex quibus illum paras? SE. *Ex his:*

℞.	*Folliculorum Senæ,*	*unc. I. s.*
	Tartari albi,	*drach. II.*
	Gingiberis,	*drach. s.*
	Misce, & fiat Puluis.	

BRAS. *Cùm mihi ignotum sit unde appelletur Sanctus hic Puluis, tu habes'ne aliquid ex quo nominis rationem expiscari poßimus?* SE. *Nihil penitus habeo.* BRAS. *Fortè igitur ob actionem, quam facit, nomen sortitum est? nam absque molestia humores purgat: quippè integra drachma mirificè educit, neque drachma & semis excedenda est. Atram bilem educit, adustosq; humores, & secundariò pituitā. adest tamen Puluis alter, & ipse uocatus Sanctus, ex Elaterio, qui educit usque ad intestinorum ramenta: conficitur uerò ex elaterio, gingibere, & nitro, ex quibus Pilula etiā cōficitur, quæ Sancta nūcupatur: Sed audias quid contigerit Procurio Brassauolo patruo meo: Hic cùm uehemētiore capitis dolore premeretur, medicum quendā cōsuluit, quid accepturus esset, quod in modica copia sumptū, caput euacuaret: medicus illi dixit: Pilulā Sanctam deglutito: Tūc Procurius rei ignarus, pilulam Sāctam unius scrupuli ex elaterio domum attulit, quam summo mane deglutire tētauit, & minimè potuit: propterea iußit, ut sorbile ouum coqueretur, in quod pilula imposita, ouum deglutiuit, & pilula in ore firmata est: iußit & aliud ouum sorbile decoqui: secundoq; ouum deglutiuit, & non pilulam: & ut breui te expediam, tredecim oua absorpsit, & pilulā deglutire nunquā potuit.*

tuit. non aderant amplius domi oua: arbitror si adfuissent, fuisse absorpturũ ad trecenta, ipseq́; ira concitus, pilulam in terram iecit, atq́; dormiuit. SE. *Iam pransus erat.* BRAS. *Et plusquam pransus ante auroram.* SE. *Excreuit'ne uel semel?* BRAS. *Plusquam sexageties.* SE. *Si ergo pilulam deglutiuisset, ducẽties excreuisset.* BRAS. *Arbitror elaterij uim ouis inhæsisse, neque pilulam plus, uel minus eduxisse.* SE. *Ad Sanctum Puluerem redeamus: semper uidimus puluerem ante enarratum Sanctũ Puluerem uocari, & non alium.* BRAS. *Et nos in aliquibus pharmacopolijs, pro Sancto Puluere elaterij puluerem præberi, & in alijs uocatum Præcipitatum, ex quo Sanctam Pilulam conficiebant: ita forte per catexochen nominatam.* SE. *De Diaturbith, ergo uerba faciamus.*

DIATVRBITH.

BRAS. *Sunt in hac compositione diuersißimi pharmacopolæ: tamen pars maior illud Diaturbith cõficit, quod in capite de Turbith à Mesue refertur. Est uerò hoc, quod sequitur:*

℞.	*Turbith,*	*partes x.*
	Gingiberis,	*partes v.*
	Zuccari,	*partes xx.*

Misce, & fiat puluis. SE. *Hoc est, quod filius Zẽsar conficere edocuit.* BRAS. *Id est profectò, cui nonnunquam author addit mastiches drach. III. quandoque alia.* SE. *Hæc fortè causa est, cur aliqui pharmacopolæ huic compositioni plura addunt, aliqui pauciora.* BRAS. *Immo & nonnulli cum rhabarbaro*

baro miscent. S E. *Nonnullos uidimus, qui sequent i modo conficiebant:*

℞.	*Sandalorum alborum,*	
	rubrorum,	*Singulorū drach. 1. s.*
	Violarum,	
	Gingiberis,	
	Anisorum,	*Singulorum drach. s.*
	Cinnamomi,	
	Masticbes,	*Singulorum unc. 1.*
	Turbith,	
	Hermodactylorum,	
	Diagridij,	*drach. IIII.*
	Zuccari albi,	*lib. II.*

Misce, & fiat confectio solida,

B R A S. *Huic cōpositioni, quam attulisti, quidā addūt rhabarbari electi drach. x. Itaq; medicamentū conficiunt nonnulli in forma electuarij; alij deducunt in morsellos; alij in rotulas, uel placentulas; tamen zuccari copia uariata: ueruntamen Diaturbith, uel medicamētum de Turbith, quod seruare debetis, illud est, quod superius adduximus ex Mesue in capite de Turbith, iuxta filij Zensaris sententiā; quamuis & eodē loco nominauerit diaphiniconē Diaturbith.* S E. *Ad quos ualet affectus Diaturbith ex Mesue acceptum?* B R A S. *Ad pituitosos affectus; egregieq; per aluum pituitam educit.* S E. *Quanta ex eo prebetur copia?* B R A S. *Drachma una est satis, uel ad summum drachma cum dimidia in iure epota, uel in catapotia, uel in morsellos, uel in trochleas cum zuccaro redacta; sed tunc opus est, ut maior copia accipiatur, quàm drachma, immo tunc accipi potest ad quatuor drachmas, et usque ad sex.*

S E.

SE. Picra Galeni hiera succedit.

HIERA PICRA GALENI.

BRAS. Intelligis'ne picram illam simplicē hieram, quæ ex. VII. Methodi medendi accipitur? SE. Illam intelligo. BRAS. At de illa nihil prorsus agendū est, cùm in pilularum examina ubertim pertractata sit. SE. Ergo de diacolocynthidis hiera uerba faciamus.

HIERA DIACOLOCYNTHIDIS.

BRAS. Diuersæ sunt huius diacolocynthidis hieræ descriptiones: nam Mesue unā parat ex ruffo compositionē. SE. Non est in usu. BRAS. Immo & multi pharmacopolæ illam conficiunt, & præbent, quoties à medicis hiera diacolocynthidis indicitur? SE. Mesues compositionem afferto, ut illam contemplemur. BRAS. Hæc est:

℞. Stœcadis,
Agarici,
Chamedridis, } Singulorū drach. X.
Colocynthidis, drach. XX. in alio codice habetur, Trochiscorū.
Alandahal, drach. XXV.
Serapini,
Oppopanacis, } Singulorum drach. VIII.
Petroselini,
Aristolochiæ rotundæ,
Piperis, } Singulorū drach. V.
Caßiæ, drach. VII.
Cinnamomi,
Croci,

Spicæ,

Spicæ,
Myrrhæ,
Polij, — Singulorum drach. IIII.

Myrrham in uinum infunde: medicinas tere, & confice cum melle despumato. SE. Quas medicinas intelligit esse terendas? BRAS. Intellige omnia simplicia superius enarrata, quæ pharmaca nuncupari possunt: nam & herbæ omnes medicatæ ab Hippocrate, & à Galeno quandoque pharmaca nuncupantur, etiam si minimè educant. intelligit ergo omnia esse in puluerem redigenda, & ex melle compositio secundum artem conficienda. SE. Hanc compositionem haud seruo, sed illam potiùs Ruffi, à Nicolao descriptam: itaque multos uidimus hanc conficere, & seruare; quamuis audiuerim nonnullos Mesues compositionem conficere, & seruare. BRAS. Hanc tuam refero compositionem, quam præbes, cùm à medicis hiera diacolocynthidis indicitur. SE. Hæc est, quam Nicolaus in suo Antidotario retulit:

℞. Aloës, — unc. I.
Hellebori albi, nigri, — Singulorum unc. s.
Diagridij,
Pulpæ colocynthidis, — Singulorum drach. III.
Nitri,
Euphorbij,
Polypodij,
Salis hammoniaci, — Singulorum drach. II. gra. XV.
Piperis,
Chamedridis,
Croci,
Agarici, — Singulorum drach. I. s.

Masti-

Masliches,
Epithimi,
Caßiæ ligneæ,
Xilobalsami, — Singulorum drach. II.
Oppopanacis,
Git,
Myrrhæ, — gra. XV.

Mellis, quod sufficit. Datur uesperi cũ calida, in modum castaneæ. BRAS. Hæc est longe diuersa compositio ab illa Mesues: et si utra ex his duabus ser uanda esset, Mesues compositionem potius seruandam iuberem: quam & Serapio illam ferè sub nomine Dia colocynthidis describit. SE. Ni pigeat, Serapionis compositionem referto. BRAS. Haud piget, ita ue rò dicit, tractatu septimo:

℞. Pulpæ colocynthidis — aur. XX.
Chamedridis,
Agarici, — Singulorũ drach. X. quidam dicunt, aur. XI.
Serapini,
Oppoponacis, — Singulorũ drach. VIII. aliter habetur, aur. VIII.
Petroselini,
Aristolochiæ rotũdæ,
Piperis albi, — Singulorum drach. V.
Cinnamomi,
Spicæ,
Croci,
Myrrhæ,
Polij, — Singulorũ drach. IIII.

Misceantur omnia, & in puluerem redigantur, & cum melle despumato conficiatur. SE. Differt prorsus & in simplicibus, & in pondere, ab illa Mesues.

BRAS.

BRAS. *Sequitur Serapio, Paulum Aeginetam addidiſſe caßiæ ligneæ, aur.* VIII. *et ſtœcadis, aur.* III. *his additis, non multùm differt à compoſitione adducta ex Meſue.* SE. *Non'ne Auicenna in quinto canone hieram quandam Ruffi deſcribit?* BRAS. *Deſcribit quidem, & ne illam deſideres, eſt hæc, quæ ſequitur:*

℞.	*Pulpæ Colocynthidis,*	*aur.* XX.
	Chamedridis,	*aur.* X.
	Serapini,	*Singulorum*
	Oppoponacis,	*aur.* VIII.
	Se. Apij montani,	*aur.* V.
	Ariſtolochiæ rotũdæ,	*aur.* V.
	Piperis albi, nigri,	*Singulorum aur.* V.
	Cinnamomi,	*aur.* IIII.
	Caßiæ,	*aur.* VIII.
	Stœcadis,	
	Croci,	
	Polypodij,	*Singulorũ aur.* IIII.
	Polij,	
	Myrrhæ,	

Infunde myrrham cum uino, & tere ſimplicia, & conſice cum melle deſpumato. SE. *Hæc eſt ſatis affinis compoſitioni Meſues.* BRAS. *In pondere ſolùm differentia eſt, & in aliquibus ſimplicibus: tamen Auicenna poſt prædictam deſcriptionem aliam addit in pondere diuerſam, quam ne chartas uertendo defatigeris, huc attulimus: eſt uerò hæc, quæ ſequitur:*

℞.	*Pulpæ colocynthidis.*	*drach.* XX.
	Aloës,	*drach.* V.
	Galangæ,	*drach.* X.

Chamedri=

Chamedridis, drach. xx.

Serapini,
Oppoponacis,
Singulorum drach. VIII.

Aristolochiæ rotũdæ,
Petroselini,
Piperis albi, nigri,
Singulorum drach. v.

Spicæ,
Caßiæ,
Cinnamomi,
Croci,
Gingiberis,
Myrrhæ,
Polij,
Singulorũ aur. II.

Auicenna in aliquibus descriptionibus præter ea, quæ adducta sunt, additum inuenit:

Chamepithidis,
Agarici,
Praßij,
Singulorum drach. x.

Confice cum melle secundum artem.

SE. Inter hanc Auicennæ, & illam Mesues compositionem, non adest magna differentia. BRAS. Non, ut uidetur: immo antiqui authores, ut Paulus, & Aelius, compositiones quasdam huius hieræ adducunt, quæ ab illa Mesues non magnopere differunt. SE. Has audire cuperem, nempè in his authoribus plurimùm fido. BRAS. Paulum audias lib. VII. cap. VIII. ita dicentem:

℞. Interranei Colocynthidis, drach. VIII.
Trixaginis, drach. x.
Sagapeni, drach. VIII.
Petroselini, drach. v.

Aristolo=

Aristolochiæ rotũdæ, Piperis albi,	Singulorum drach. V.
Cinnamomi,	drach. IIII. uel
Caßiæ. i. canellæ,	drach. VIII.
Spicæ, Croci, Polij, Myrrhæ,	Singulorum drach. IIII.

Mellis, quantùm satis est.

SE. Nonnulla in hac compositione desunt, quæ in illa Mesues scripta sunt. BRAS. Desunt quidem nonnulla, sed eandem esse compositionem nemo ambigere debet. Aëtius uerò ita hanc hieram refert libro tertio cap. 119.

℞.

Pulpæ colocynthidis,	drach. VIII.
Camepithidis, Chamedridis, Agarici, Marrubij,	Singulorum drach. X.
Sagapeni, Caßiæ,	Singulorum drach. V.
Oppopanacis,	drach. VIII.
Petroselini, Aristolochiæ rotũdæ, Piperis albi,	Singulorum drach. V.
Cinnamomi, Spicæ nardi, Croci, Myrrhæ, Polij,	Singulorũ drach. IIII.

Aßumito in melle.

de spetio Aetij lib: 3° cap: 119

SE. Hæc Aëtij compositio amplior est, quàm illa Pauli. librariorum gratia hoc contigisse arbitramur, qui modò unum simplex medicamentum, modò aliud dimittebant: nempè non dubitamus Ruffum compositionem fecisse, quæ ex eisdem semper constaret: adest & compositio quædam apud Nicolaum Alexandrinum, quam Hieram Diacolocynthidis uocat. SE. Quænam est? BRAS. Hæc, quam educemus, in ipso authore est, cap. 418.

cōpōsit° nicolai cap: 418.

℞. Interioris colocynthidis, drach. II.
Hammoniaci, drach. I. s.
Agarici,
Scillæ assæ,
Diagridij,
Hellebori nigri,
Hyperici,
Epithimi,
Polypodij,
Prassij,
Bdellij,
Aloës,
Chamedridis,
Cassiæ, } Singulorum unc. I.
Myrrhæ,
Piperis,
Croci,
Oppopanacis,
Sagapeni,
Camphoræ,
Petroselini,
Aristolochiæ longæ, } Singulorum unc. I.

Rotundæ,

Rotundæ,
Amomi,

Mellis, quod sufficit. Tamen hæc Hiera ab Aëtio libro tertio cap. 116. uocatur Hiera Logadij. S E. *Has Hieras, obsecro, dimittamus, & contemplemur, num illa Mesues, an illa Nicolai conficienda sit, atque seruanda.* B R A S. *Necessarium est, & nonnihil de his Hieris te prius audire; nam quandoque suadebamus, ut conficeretur Hiera Pachij Antiochi, quam dicit ualere ad uniuersa capitis uitia, quæ à Scribonio refertur sectione 106. & quæ:*

℞.	*Stœcadis,*	*Singulorum* P. x.
	Marrubij,	
	Chamedridis,	
	Agarici,	
	Colocynthidis,	

Oppoponacis,	*Singulorum* P. v.
Sagapeni,	
Petroselini,	
Terræ muli,	
Piperis albi,	

Cinnami,	*Singulorũ pōdo* IIII.
Nardi spicæ,	
Myrrhæ,	
Folij,	
Croci,	

In unum omnia ponderata contundantur, & cribrentur, præter oppopanaces, & sagapenum: hæc enim mortario teruntur, adiecto melle tenui, id est quàm liquidißimo: deinde cæteris miscentur; quæ & ipsa tantùm mellis recipere debēt, quantùm satis erit, ad com

prehendenda, & continenda ea: reponitur medicamentum uase uitreo. SE. *Fecisti'ne fieri hoc medicamentum?* BRAS. *Prorsus, & profecère, qui acceperunt. Pachius magnum quæstum fecit ex eo, & uocabat Hieram Diacolocynthidis. Scribonium lege de huius hieræ uiribus, à sectione 97. usque ad 106.* SE. *Eadem uidetur cum Mesues compositio.* BRAS. *Modicè differunt: nam quod in Mesue legitur Polij, in Pachio habetur Folij; & quod in Mesue scriptum est casiæ, in Pachio legitur marrubij: nonnihilq; in ponderibus differunt. an uerò hæc compositio fuerit incognita Ruffo, ignoramus; neminemq́; hoc scire arbitramur: neque Galenus omnia antiquorum retulit medicamenta, neque etiam potuisset, si id exequi tentasset.* SE. *Cur non iubes, & nunc confici hunc Diacolocynthidis hieram?* BRAS. *Si hæc fiat compositio, est magnis dotibus insignita, & illa fortè est, quæ fieri debet: tamen pro Hiera Diacolocynthidis, Galeni catapotia, quæ primo cap. primi libri, De compositione medicamentorum secundum locos describit, in usum deduximus: est uerò compositio hæc, quæ sequitur:*

Catapotia galeni p.º de cop: medic: sm loc: Cap: pr.º

℞.	*Colocynthidis,*	*partem unam.*
	Aloës,	*Singulorum partes*
	Scammoneæ,	*duas.*
	Succi absinthij,	*partem unam.*
	Mastiches,	*Singulorum partem*
	Bdellij,	*semis.*
	Misce.	

Vtq; Galenus refert, hoc modo Quintus utebatur: sed Galenus postea ab hac compositione mastichen, & bdellium

bdellium reiecit: at ob quam causam id fecerit, promittit se dicturum in sermone, quem in compositionis purgantium pharmacorum libros reseruabat: tamen non constat Galenum hos unquam perfecisse libros. SE. Pro Hiera igitur Diacolocynthidis, aut hanc conficiam à te nunc ex Galeno acceptam, aut illam Mesues. BRAS. Immo potius illam Pachij, quæ apud Scribonium legitur: nam hæc, quam adduxi, nõ est Hiera Diacolocynthidis, quam Galenus præbuit adolescenti, de quo mentionem facit; sed erant pilulæ, quas uocat de Aloë; quarum undecim illi tribuit ad ciceris magnitudinem ante Hieram. SE. Ad quos ualet affectus Hiera ista Pachij, uel Mesues? BRAS. Scribonium lege, ne tam magnam affectuum syluam referre cogamur: ad omnes affectus simpliciter conuenit, at pituitam potißimùm educit, & humores crassos, glutinososq́;: educit præterea atram bilem, maniæ confert, melancholiæ, epilepsiæ, torturæ, paralysi; flatus discutit, coctionem procurat, uentriculum à pituita, fluxuq́; liberat; fistulis conuenit, mali moris ulceribus, cancroq́;, lepræ, & alijs penè infinitis affectibus. SE. Ad quam copiam præberi debet? BRAS. Quatuor drachmæ sunt extrema dosis, tres dimidia, duæ minima: ad ampliorem uerò doctrinam Scribonium legito, à sectione 97. usque ad 106. nempè monet quomodo secundum diuersos affectus accipi debeat, & quæ sint illi miscenda: quoniam aliqui affectus nonnulla expetunt, quæ in alijs non conuenirent: tu uerò ad alia te conferas. SE. Sequitur Hiera Logodion.

HIERA LOGADII.

BRAS. *De hac Hiera in pilularum examine ubertim scriptum reliquimus: excidit'ne memoria?* SE. *Nunc memoriæ subijt, idq; in mentem uenit, uocandam esse Hieram Logadij, non autem Logodion.* BRAS. *Aliam igitur adducito compositionem.* SE. *Hiera picra Nicolai succedit.*

HIERA PICRA NICOLAI.

BRAS. *Est'ne illa, quæ ex sexdecim rebus constat?* SE. *Illa inquam est.* BRAS. *Maximus est illius usus in clysterijs: & quamuis de sexdecim rebus uocetur, tamen sunt decem & octo: intellige uerò præter aloën, & mel, esse sexdecim res. at tu compositionem ex Nicolao adducito.* SE. *En, illam refero:*

℞. *Cinnamomi,*
Spicæ,
Croci,
Schœni,
Assari,
Xilobalsami,
Xilocaßiæ,
Carpobalsami,
Violarum,
Absinthij,
Epithimi,
Agarici,
Ros.
Turbith,
Colocynthidis,
Mastiches,

} *Singulorum scrup.* II.

Aloës

Aloës ad pondus omnium.

Mel, quod sufficit.

BRAS. Quomodo uos pharmacopolæ compositionem hanc conficitis? SE. Omnia in puluerem redigimus: postea huius pulueris uncias duas accipimus, & cum despumati mellis libra commiscemus, & magna Galeni Hiera nuncupatur. BRAS. Tamen Galenus de hac hiera nusquam mentionem fecit, neque de simili compositione. adsunt nonnulli pharmacopolæ, qui Hieræ simplicis Galeni puluerem accipiunt, & ex melle electuarium conficiunt, quod præbent quoties à medicis pro clysmatibus Hiera Picra indicitur. SE. Hoc nunquam audiui. BRAS. Ego autem uidi, sed error non est, cùm res sit, quæ facilè educit: uerùm potius laudo, ut hæc Hiera uocata Magna, uel composita accipiatur; quia cùm à medicis pro clysterijs indicitur, cupiunt magis educere, quàm Hiera simplex educere posit. SE. Quanta præberi potest huius Hieræ copia? BRAS. In clysterijs à semiuncia usque ad duas uncias: in potu drachma præbetur integra: nam & per os præberi potest. SE. Quibus opitulatur affectibus? BRAS. Diuersis captis affectionibus aurium, & oculorum à materia pituitosa frigida crassa, crassos humores educit, uentriculum egregiè purgat: hepatis obstructiones, & lienis durities remouet; renibus, & uesicæ proficit; & uteri distemperantiam emendat. SE. Est ergo admiranda compositio. BRAS. Si hæc fecerit, quæ à Nicolao referuntur. Mihiq; potius arridet, ut tres pulueris unciæ pro singula mellis libra accipiantur. SE. Vehementior esset.

BRAS. Et id expetitur, cùm raro præter quàm per annum accipiatur. at reliqua prosequaris. SE. Iusti Hiera consequitur, quam semel paraui, sed nunquam uendere potui.

HIERA IVSTI.

BRAS. Raro in usu est, quamuis à nonnullis paretur pharmacopolis, & illam ego nonnunquam præbuerim: tamen, & de illa nonnihil agamus. compositionem referto, ut illam parasti. SE. Hæc est compositio, quam paraui:

℞. Epithimi, drach. XXXII.

Marrubij,
Stœcadis,
Chamedridis,
Hellebori nigri,
Scammoneæ,
Agarici,
Piperis longi,
Albi,
Nigri,
Scillæ assatæ, } Singulorum drach. XVI.

Pulpæ colocynthidis,
Euphorbij,
Aloës,
Croci,
Gentianæ,
Petroselini,
Samoniaci, Thimiamatis, } Singulorũ drach. VIII.

Sagapeni,

Oppopa=

Oppopanacis, *Polij,* *Cinnamomi,* *Caßiæ,* *Myrrhæ,* *Spicæ Nardi,* *Floris iunci odorati,* *Pulegij,*	*Singulorum drach.* IIII.
Aristolochiæ longæ, *Rotundæ,*	*Singulorum drach.* II.

Mellis despumati, quod sufficit.

BRAS. *Quid accepisti pro caßia in hac compositione?* SE. *Caßiam ipsam, quæ educit.* BRAS. *Caßia est uocata cãnella, et cùm cinnamomo careatis, pro caßia, & cinnamomo duodecim cannellæ drachmæ, quæ est antiquorum caßia, accipiantur; & à Galeno monemur, cùm cinnamomum defuerit, eius loco duplum caßiæ accipiendum esse.* SE. *Quæ'nam est huius Hieræ dosis?* BRAS. *Aëtius inquit exhibitionem integram esse drachmas quatuor, cum melicrato, & in minutißimo sale, quantum est paruum coclear. hæc compositio, quam attulisti ab Aëtio refertur libro* III. *cap.* CXX. SE. *Adsunt'ne & aliæ huius generis compositiones? nos hanc parauimus, quam in paruo libello scriptam habemus.* BRAS. *Eandem compositionem refert Paulus, sed in epithimi pondere differt, quia duodecim solùm recipit epithimi drachmas, neque caßiam addit Paulus: at Nicolaus Alexandrinus cap.* 420. *hanc Iusti Hieram describit absque epithimo, & in ponderibus euariat, multaq; præterit simplicia.* SE. *Quo'nam modo?*

alexandrini copo

modo? BRAS. Audias Alexandrini compositionē, & id oculatè percipies:

℞.	Stœcadis,	drach. xxx.
	Colocynthidis, Camedridis,	Singulorum drach. xxv.
	Scammoneæ,	drach. xvi.
	Piperis nigri, Albi, Longi,	Singulorum drach. x.
	Hellebori nigri, Hammoniaci, Croci, Aloës, Absinthij pontici,	Singulorū drach. viii.
	Myrrhæ, Euphorbij, Libani,	Singulorū drach. iiii.
	Mellis, quod sufficit.	
	Dosis eius drach. iii. cum tepida.	

SE. Epithimi loco Stœcadem ponit: sed quam compositionem parabo, si contingat me illam uendere, quæ nunc in pixide continetur? BRAS. Illam, quam prius paraueras. SE. Quibus conuenit affectibus? BRAS. His omnibus, ad quos Hiera Ruffi conuenit, de qua superius mentio facta est: sed quæ compositio sequitur hanc Hieram? SE. Nulla extat amplius in mea scheda. BRAS. Tam paucas seruatis catharticorum compositiones, quæ pilulæ non sunt? SE. Non plures seruamus, neque alibi seruari audiuimus: immo & tempus instabat, quo domum profecturus eram, cras uerò (ni tibi graue sit) hac ea-

quibus conueniat affectibus

dem

dem hora huc accedito, ut Trochiscos unà contemplemur, qui in usu publico seruantur. B R A S. *Non solùm mihi graue non est, sed maximè iucundum, tibi, quem uti patrem amo, ac diligo, rem gratam facere. cras statuta hora huc me conferam.* S E. *Interim bene uale.*

F I N I S.

INDEX

INDEX ELECTVARIORVM, Puluerum, & Confectionum.


FINIS.





143=





1480

